2 C. XVII 1818

Quid juvat innumeris impleri Scrinia chartis?
Unus pro multis hic, liber esse potest.

33675/A/1

151

94097-

27468

IO. LINDESTOLPE
MED. DOCT.

LIBER
DE
VENENIS

IN ORDINEM REDACTVS COROLLARIIS ANIMADVERSIONIBVS ET INDICE ILLVSTRATVS

AVCTORE

CHRISTIANO GOTTFR.
STENTZEL

ARTIS SALVTARIS AC PHILOSOPHIAE DOCTORE, CHIRVRGIAE ET PATHOLOGIAE IN ACADEMIA VITEMBERGENSI PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO P. T. FACVLTATIS MEDICAE DECANO.

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE

IMPENSIS GOTTL. HEINRICI SCHWARTZII
M D C C XXXIX.

GOETTINGSCHE BIBLIOTH.
2146

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PERILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CHRISTIANO
GOTTLIEB
AB HOLZENDORF
DYNASTAE
BAERENSTEINII, LICHTENAVII
SVPERIORIS, RELIQV.
POTENTISSIMI SARMATARVM
REGIS
ELECTORIS SAXONIAE
SVMMI SENATVS ECCLESIASTICI
PRAESIDI
REGII CVBICVLI COMITI PVRPVRATO
AERARII PROVINCIALIS QVAESTORI
DOMINO SVO PERINDVLGENTI
FELICITATEM PERPETVAM!

PERILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIME DOMINE

Peregrinos literarum fructus, patriis amico ſociatos connubio, Tibi, Domine Perillvstris, ſumma animi pietate, piaque religionis et obſequii, Tibi debiti, uerecundia, offero, exhibeo, trado. Rubore, pudorem conſequente, ſuffundor, moram recordans, et languorem reſpiciens, quo quaſi ſopitus, nulla ex parte, partibus officii

mei ſatisfacturus, ſatisfeci. Exultat laetitia ac gaudio triumphat Leucoris noſtra, frontem exporrigunt Patres huius Academiae conſcripti, maxima affecti uoluptate, gaudent una ac uehementer laetantur Muſae noſtrae, e moerore, quo affligebantur, exemtae, omnia multiplici applaudentium plauſu, approbatione ac gratulatione plena ſunt, quam primum certis nuntiis, certis auctoribus, comperimus, quod Tv, Domine Excellentissime, grauiſſimus literarum literatorumque Cuſtos, Defenſor ac Patronus, Patrocinium Academiarum et Eccleſiarum in Saxonia ſummum, Regia auctori-

ctoritate in Te ſuſceperis, ſuſcepti rationibus optime et ſapientiſſime proſpecturus ac conſulturus. Accedo iam et egomet, ſed pudore praeſtrictus, tacitoque affectus rubore, nec uerba, nec argumenta, aut ſubſidia, inuenio ſufficientia, meam, quam iam accuſaui, excuſandi tarditatem, officioque meo, quo Tibi, Domine Perillvstris, deuinctus teneor, perfecte planeque fungendi. Inter eos omnino, qui Tibi, Domine Excellentissime, Praeſidium, in Summo Senatu Eccleſiaſtico clementiſſime collatum, felix fauſtumque eſſe cupiunt, optant, et precantur, ultimus quidem numero

mero ſum, minime uero committam, ut grati ſtudio atque officio animi, TIBI, DOMINE PERINDVLGENS, ſemper attenta cura praeſtando, ultimus inueniar, omni potius ſedulitate, omni mentis corporisque contentione, omni cogitatione, in id incumbam, ut ipſa re, rerumque teſtimoniis, meam erga TE, DOMINE GRATIOSISSIME, pietatem, deuotionem, ac religionem, exacte ac perſpicue probare ac demonſtrare queam. Nunquam oculis TVIS praeſentem librum expoſuiſſem, imo, ne quidem, TIBI, DOMINE EXCELLENTISSIME, in tanto Dignitatis faſtigio collocato, tot tantisque

que praeſentiſſimi momenti negotiis obruto et diſtracto, commodis Eccleſiarum, Academiarum et Scholarum prouehendis ſemper intento, quem arduae nullo non tempore occupationes occupatum tenent, ac multiplex actuum publicorum et controuerſiarum turba circumſonat, praeſentes de uenenis meditationes conſecrare et publice dedicare conatus fuiſſem, niſi incredibilis ac prope ſingularis ac Diuina, DOMINE PERILLVSTRIS, Gratia TVA, qua quoſuis ſedulos literarum cultores amplecteris, me, iam iam a propoſito declinantem, reuocaſſet, mihi-

que erubeſcenti et haeſitanti animum denuo addidiſſet. Hoc ſolatio recreatus, hac ſpe lactatus, TIBI, DOMINE EXCELLENTISSIME, iam offero, quod poſſum, non quod uolo; uellem equidem, ut praeſtantius, tantoque dignum Heroe, animi, TIBI totum dediti ac deuincti, ſpecimen, in promtu haberem, ſed, cum deſiderium meum, meas excedat uires, TE, DOMINE PERINDVLGENS, bona uoluntate, ac ſtudio in TE meo, quae ſola in magnis etiam ſufficiunt, clementer acquieturum, certe ſpero, ſpeque plenus confido. Confidentia illa creſcit, creſcente, cum annis,

nis, literarum, et de iisdem bene merendi amore, quo incenſus atque incitatus, per octodecim, quos in hac Academia, docendo exercendoque medicinam, tranſegi, annos, hanc conſuetudinem, hunc ordinem obſeruaui, ut, edito quotannis uno, alteroue, uel pluribus ſpeciminibus, ſpartae Docentis, mihi clementiſſime demandatae, rationem redderem. Reddo et eandem iam TIBI, DOMINE EXCELLENTISSIME ſed minus ſufficientem, ſufficiet autem, addito, quod Gratia TVA mihi promittit, pondere. Accipe, quaeſo, et aſpice ſerena fronte menteque libellum, ſaluta-

lutares et noxias ueneorum uires enodantem, ac TVO, DOMINE PERILLVSTRIS, Patrocinio ac Gratia me haud dedignare. Hoc, uti uotorum meorum ſumma eſt, ita Diuinum Numen indefeſſis pro TVA TVAEQVE PERILLVSTRIS GENTIS incolumitate perpetua precibus ſollicitabo, fatigabo, qui nunquam non ero

PERILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIMI NOMINIS
GENTISQVE TVAE

Vitembergae
V. Iduum Octobris.
Ao. CIↃ IↃ CC XXXIIX.

Cliens deuotiſſimus
CHRIST. GOTTFR. STENTZEL.

BENE-

BENEVOLO LECTORI
S. P. D.
CHRIST. GOTTFR. STENTZEL
ARTIS SALVT. ET PHILOS. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. VITEMBERGENSIS.

Praeſumtam non modo atque ementitam, ſed abominandam prorſus ſummeque deteſtabilem PLINII *a*) iudico ſententiam, qui nullus ueretur aſſerere: terram, et uenena, noſtri miſertam, inſtituiſſe, ne, in taedio uitae, dirae famis mors, terrae meritis alieniſſima, lenta nos conſumeret tabe, ne, lacerum corpus abrupta diſpergerent, ne, laquei torqueret poena praepoſtera, incluſo ſpiritu, cui quaereretur exitus, ne, in profundo quaeſita morte, ſepultura pabulo fieret, ne, ferri cruciatus ſcinderet corpus. Ita eſt, miſerta genuit id, cuius facillimo hauſtu, illibato corpore, et cum toto ſanguine, extingueremur, nullo labore, ſitientibus ſimiles, qualiter defunctos, non uolucris, non fera attingeret, terraeque ſeruaretur, qui ſibi ipſi periiſſet. Haec temeraria impudentia, impudensque, numeroſe et iucunde cadens, qua hic Plinius utitur, nititurque, argumentatio, Philoſophiae Stoicae, *ἀπάθειαν*, ſeu *ἀναλγησίαν*, ſerio commendantis, inculcantis, fructus eſt. Vides igitur, nimiam, qua Stoici prae aliis excellere uolebant, ſapientiam, proximam ſummae dementiae

a) Hiſt. Natur. Baſileae, in fol. 1554. a Frobenio, edit. lib. 2. cap. 63. p. 19.

tiae cauſam fuiſſe. Vides Plinium, horum ueſtigia prementem, cum ratione inſanire. Vides, inquam, eundem, de uenenorum diſputantem fine, finem eorum genuinum prorſus ignorare. Farrago argumentorum, ſibi contradicentium, quae affert Plinius, connexi et fundati argumenti, certique ac firmi fundamenti defectum innuit ac demonſtrat. Non opus eſt malis exemplis, multo minus ad eadem patranda artificioſis homines adducendi perſuaſionibus, nec deteſtanda facinora ingenioſe excogitatis defendenda ac ſuffulcienda rationibus, cum iisdem maximam mortalium partem, ad mala per ſe procliuium, miſere elidi, atque interire, quotidie aduertamus. Nec unquam ſapiens, uere ſapiens, aſſerto Pliniano, tot contradictionibus referto, ſanaeque rationi et ſacris literis aduerſo, aſſenſum praebebit; terram enim, munificam omnium, quae deſiderari poſſunt, bonorum, matrem eſſe, primo Plinius aſſerit loco, mox deinde, tanquam prioris immemor ſententiae, ſubiungens: eandem, ne fame ſitiue, ex neceſſariorum inopia alimentorum et potulentorum, luctuoſo intereamus modo, ſimul produxiſſe uenena, uitae, una cum omnibus calamitatibus, allatura finem. Repugnat plane, munificae matris, omnia neceſſaria largientis, naturae, neceſſariorum egeſtas alimentorum, terra quippe, innumeris plantis, fruticibus, arboribus, animantibus abundans et exultans, omnis generis frumenta, radices, olera, legumina, fructus, carnes, aliaque alimenta, eaque innumera fere, tum ſolida, tum fluida, in maxima

ſup-

ſuppeditat copia, adeo, ut, hoc deficiente, abundantia alterius, alterius penuriae ſuccurrat, ac hoc, noſtrae aduerſo naturae, diſplicente, habeamus plura, ex quibus grata, congruaque, ſeligere, atque adhibere queamus. Ac quis, cum ratione et perpetua conſtantia conſentiens, eo, quo ab ipſa natura deferimur, delatus, credet, aut plane aſſeret: Summum Numen, humani Creatorem ac Conſeruatorem generis, aliquid hunc in finem condidiſſe, quo mortalium interitus accerſatur, promoueatur, acceleretur. Nonne quotidianis edocti experimentis comperimus, ea ipſa, quae communi perniciosiſſimorum nomine uenenorum, allegantur, damnantur, multis, et medicamenta, et alimenta fuiſſe, et adhuc eſſe? Nonne e contrario alimenta, potulenta et medicamenta optima, quorum bonam indolem, uires, et operationes, unanimi omnes praedicant conſenſu, multis morbis, mortique praematurae, abuſu, anſam dederunt. Si Plinius diuerſa ita dictorum uenenorum principia et facultates etiam atque etiam conſideraſſet, ac diſcrepantes, qui hinc in uariis ſubiectis reſultant, effectus, accuratiori examine eruiſſet, et certiori mentis trutina ponderatos examinaſſet, aliam certe ſententiam, certioribus nixam rationibus, tuliſſet. De uiribus hoc modo, fineque uenenorum, Plinius, ut coecus, de coloribus, loquitur, et diſſerit, *c' eſt un iuger*, dicunt Galli, *comme un aveugle des couleurs.* Nondum quippe, examinata perſpectaque corticis exterioris, quo fructus comprehenditur, ſecluſus, figura, natura ac uirtute, mox de

ipſis

ipſis fructus operationibus ſuum fert iudicium, iudicio licet ſapientis aduerſiſſimum. Quid pluribus opus? ipſe PLINIVS, *b*) ſibi non ſatis conſtans, alio aliam prorſus ſententiam loco amplectitur, reprobans, quod modo affirmarat, hunc in modum loquendo: ſequitur natura frugum, hortorumque, ac florum, quaeque alia, praeter arbores, aut frutices, benigna tellure proueniunt, uel per ſe tantum herbarum immenſa contemplatione, ſi quis aeſtimet uarietatem, numerum, flores, odores, coloresque, et ſuccos ac uires earum, quas ſalutis aut uoluptatis hominum gratia gignit. Qua in parte primum omnium patrocinari terrae, et adeſſe cunctorum Parenti iuuat, quanquam inter initia operis defenſae. Quoniam tamen ipſa materia intus accendit ad reputationem eiusdem parientis et noxia, noſtris eam criminibus urgemus, culpamque illi noſtram imputamus. Genuit uenena, ſed quis inuenit illa praeter hominem? Cauere ac refugere alitibus feriſque ſatis eſt.

Satis hoc omnino eſt brutis, ratione deſtitutis, quidni hominibus, intellectu praeditis? Minime uero ſatis eſſe, cum CICERONE *c*) iudico, quid faciendum, non faciendumue ſit, ſed ſtare etiam oportet in eo, quod prudenter iudicatum. Nihil uero nobis natura iucundius, nihil charius, nihil rationali uita dignius, cui omnis noſtra diligentia, diligensque attentio atque indulgentia impendatur,

impenſa

b) Hiſt. Nat. lib. 18. cap. I. edit. cit. p. 310.

c) Lib. I. de finibus.

impenſa conſumatur, dedit. Quid uero magis ab his abhorret, quam morbus, morsque praematura, uiolentis adducta mediis? Quid hominum incolumitati uitaeque infenſius, quam repentinus, quem praeceps hauſti uis uirulenta ueneni, procurauit, interitus, peſſimum relinquens ſepectaculum, in omnium quotidie uerſans ore? Quid ſanae legibus rationis aduerſius, quam pernicioſi deglutitione ueneni, ſuccos nimium reſoluentis, condenſantis, uiſcera erodentis, obſtruentis hominemque ipſum miſera torquentis ratione, uitam, qua homini nihil antiquius eſt, nec eſſe poteſt, ſibi ipſi adimere? Vt ſane, ex CICERONIS *d*) effato, bona, naturam ſequentes, appetimus, ſic a malis natura declinamus. Quiuis nempe ſe ipſum, ſuamque uitam, naturae, qua nihil potentius, potentia ac uiribus, incitatus, diligit. Quid uitae, quid ſanitatis, uſura, ſuauius? quid expotatius? quid contra morte infenſius? quid acerbius? quid triſtius? Quid igitur, his ita conſtitutis, atque in apricum deductis, reſtat, quod non audeat ſperetque diabolus perſuadere miſeris hominibus, cum huiusmodi technis et perſuaſionibus adeo ipſos inducere poſſit, ut uitam abdicare, mortem ambire mauelint. Horum igitur fructibus fruiturus cacodaemon, homines ingenio intellectuque praeſtantiſſimos, uoluntate contra, menteque, a bono perficiendo, alieniſſimos, nequiſſimos, ſceleratiſſimos, ſeligit, iisque, tanquam perfectiſſimis atque accommodatiſſimis uſus inſtrumentis, optimos quoque haud

)( )(raro

d) lib. 4. Tuſculanar. Quaeſt.

raro fallit, bona ſuadendo, maiora mox hinc conciliaturus mala; mala, ſub optima bonorum ſpecie cauſaque, ſiſtendo, commendando; certiſſima atque euidentiſſima bona, malorum nomine, diſſuadendo, commemoratis pro forma, quae hinc certo expectanda ſunt, malis; mala denique diſſuadendo, peiora, omnium malorum complementa, inducturus. Haec diligenter diſquirens et conſiderans, peſſimam grauiorum, quos PLINIVS fouet, errorum originem, non aliunde, quam a temerariis Stoicorum, quae ſibi fingebant, quae aliis commendabant, *ἀλυπίας καὶ ἀπονίας* fundamentis, uti antecedentibus iam monui, arceſſendam eſſe, arbitror. Nullo unquam tempore defuerunt, aut iam deſunt, qui ſtulta plane, diuini, uti temere credunt, ingenii, iudicii, ac uirtutis perſuaſione elati, rem omnem turbidam ac controuerſam reddendo, totum reipublicae ſtatum maxime peſſundant, corrumpunt, euertunt, eliminandum retinendo, retinendum eliminando, bonaque malis, mala bonis, ima ſummis, miſcendo. Hinc multi cum LVCANO *e*) exclamant: ſunt nobis nulla profecto Numina, cum coeco rapiantur ſingula caſu, mentimur regnare Iouem. Nam, dum rapiunt mala fata bonos, cum OVIDIO *f*) ratiocinantur, ignoſcite faſſo, ſollicitor nullos eſſe putare Deos. Eo usque hominum impiorum ueſania iam proceſſit, ut Diuini cultum Numinis, pro figmento prudentum, frenandae multitudinis ferociae accommodata

e) lib. 7. *f*) lib. 3. Eleg. 8. Am.

to, habeant, ſequentes POLYBIVM, *g*) qui, quod ſane mireris, ex hac cauſa Romanos laudat, *μεγίστην*, ſcribens, *δοκεῖ μοι διαφορὰν ἔχειν τὸ Ῥωμαίων πολίτευμα πρὸς τὸ βέλτιον ἐν τῇ περὶ Θεῶν διαλήψει. Καί μοι δοκεῖ τὸ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ὀνειδιζόμενον τοῦτο συνέχειν τὰ Ῥωμαίων πράγματα· λέγω δὲ τὴν δεισιδαιμονίαν, ἐπὶ τοσοῦτον γὰρ ἐκτετραγῴδηται καὶ προσῆκται τοῦτο τὸ μέρος παρ' αὐτοῖς, εἴς τε τοὺς κατ' ἰδίαν βίους, καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως, ὥστε μὴ καταλιπεῖν ὑπερβολήν, ἐμοίγε μὲν δοκοῦσι τοῦ πλήθους χάριν τοῦτο πεποιηκέναι. Πᾶν γὰρ πλῆθός ἐστι ἐλαφρὸν καὶ πλῆρες ἐπιθυμιῶν παρανόμων, ὀργῆς ἀλόγου, θυμοῦ βιαίου. Λείπεται τοῖς ἀδήλοις φόβοις, καὶ τῇ τοιαύτῃ τραγῳδίᾳ τὰ πλήθη συνέχειν.* Nemini igitur mirum uideatur, cur, ſuccreſcentibus huiusmodi peſtis moralis uenenis, ſaepe etiam dapes Magnatum uenenis naturalibus atque artificialibus contaminentur. Sed, quo conſilio, quo auxilio ex his eluctaturi malis, rebus deſperatiſſimis ac difficillimis medebimur? Ara certiſſima, ad quam tuto hic confugere licet, eſt Pietas, ueram ueri Dei culturam ſequens, quae in humillima Dei trinuni reuerentia conſtituta, omnem fucum damnat, ſuperſtitionem reprobat, ac quaeuis uitia auerſatur. Hanc praeſertim Ducem ſequi, hac uia incedere decet Medicum, qui alias, Dei ope et gratia deſtitutus, nihil boni unquam praeſtabit. Tale exemplum ſuppeditat noſter LINDESTOLPE, uir cer-

g) lib. cap. 11. et 12.

te eruditus ac prudens, ac, quod praecipuum, pius et ſincerus, uno uerbo, genuinus Medicus. Optaui non ſaltem, ſed omnem etiam impendi operam, Tibi, Beneuole Lector, exactam deſcriptionem fatorum, quae per uitam ſuam habuit Noſter LINDESTOLPE, ſuppeditandi, ſed praeter ea, quae primo capite, de eiusdem Parente, milite gregario, et ſumma, qua preſſus fuit, paupertate, nihil reſcire potui. Quod uero eiusdem pietatem, peritiam, ſedulitatem, ingenii promtitudinem, iudicii praeſtantiam, ac ceteras, quibus ornatus fuit, uirtutes attinet, de his te certum reddent ſequentia, quae Tibi perlegenda commendo, capita. Quo uero diſtinctum de argumentis, hoc libro pertractatis, conceptum acquiras, Tibi Beneuole Lector, praecipua eorundem momenta, corollariis paucis comprehenſa, et ex ipſo libro excerpta, conſpicienda, examinanda, ſequentibus trado.

I. *Vita hominis in mutuo functionum mentis et corporis commercio conſiſtit.*

II. *Vita corporis a ſanguinis circulo dependet.*

III. *Sanitas, notat liberum et conſtans, ſine dolore, ſine mora, ſine incommodo procedentium functionum mentis et corporis exercitium.*

IV. *Morbi contra ratio formalis in partium et functionum laeſione fundata eſt.*

V. *A diſcrepante corporum conſtitutione, diuerſi unius eiusdemque remedii effectus reſultant.*

VI. *Hinc omnia medicamenta, ſunt uenena.*

VIII.

VII. *Omnia econtrario uenena, ſunt medicamenta.*

VIII. *Omnia alimenta, ſunt medicamenta.*

IX. *Omnia medicamenta, ſunt alimenta,*

X. *Vis uitae eſt, quae uim agendi uenenis tribuit.*

XI. *Vis uitae notat motum cordis, mutua cauitatum contractione et dilatatione conſtantem.*

XII. *Ergo omnia uenena in mortuis nihil, uel maxime parum, agunt.*

XIII. *Quo maior uis uitae, eo facilius homines morbis acutis corripiuntur, iisque correpti moriuntur.*

XIV. *Robuſtus homo, rigidioribus neruis ac ſuccis tenuioribus inſtructus, citius acri perimitur ueneno, quam debilis, laxiora obtinens ſolida.*

XV. *Debilem contra, phlegmaticae hominem conſtitutionis, citius interficiunt uenena adſtringentia atque obſtruentia.*

XVI. *Venena itaque, ſanguine ſuſcepta, plus agunt in arteriis, quam uenis.*

XVI. *Omnia cardiaca ita dicta, quae uim cordis augent, ſunt peſſima in ſiccioribus uenena.*

XVII. *Languidi non tam cito contagiis afficiuntur, quam robuſti.*

XIIX. *Venena omnia, uel ſunt acria, uel obſtruentia, uel narcotica.*

XIX. *Acria primum ſunt acida, eaque iterum uel uegetabilia, uel metallica.*

XX. *Deinceps dantur acria putrefactiua alkalina, ex animalibus, et plantis, uel naturaliter, uel putrefactione externa alcaleſcentibus, deſumta.*

XXI. *Demum etiam proſtant acria mechanica, ex non uenenis facta uenena.*

XXII. *Obſtruentium atque obturantium uenenorum alia dicuntur infrigidantia, alia flacciditatem ſolidis inducentia.*

XXIII. *Narcotica omnia adurunt neruos.*

XXIV. *Hinc omnia acria, largius aſſumta, ſunt narcotica.*

XXV. *Sunt uero uenena omnia, uel naturalia, uel artificialia.*

XXVI. *Acria omnia erodunt ſolida, a ui uitae, non a ſe, in actum deducta.*

XXVII. *Augetur uero uis uitae, irritatis per acria neruis, quibus omnes partes conſtant.*

XXVIII. *Acria et reſoluunt, et coagulant, prouti corpora uarie ſunt diſpoſita.*

XXIX. *Acria omnia, ne alkalinis quidem exceptis, coagulant fluida.*

XXX. *Acria alkalina, aucto attritu, ſanguinem primo tenuem reddunt, ſed deinceps diſſipando particulas ſubtiliſſimas, eundem inſpiſſant.*

XXXI. *Acria, quo ponderoſiora et rigidiora, eo plus agunt.*

XXXII. *Acria metallica, uel ſunt ſapones metallici, ex ſale et oleo conſtantes, uel aceta, hoc eſt, ſpiritus ſoli, ſeu ſales, ope ignis in fluorem redacti, ſuoque phlegmate ſoluti.*

XXXIII. *Halitus metallici ſunt foſſoribus exitiales.*

XXXIV. *Ab acribus, reſpiratione adductis, pulmo et eroditur, et ſpaſmo contrahitur, hinc mortes*

tes

tes ſubitaneae a metallicis uaporibus, uel a putridis per ignem alcaleſcentibus.

XXXV. *Pulueres pretioſi, ex margaritis et ſimilibus parati, uenena ſunt, ſenſim laedentia et tollentia.*

XXXVI. *Fulmina eodem modo agunt, ac uenena acria.*

XXXVII. *Inclinationes hominum diuerſae ex diuerſitate ſolidorum, fluidorum, alimentorum, motus, etc. oriuntur.*

XXXVIII. *Hinc tantum, et in moribus, et in reliquis actionibus uitae, diſcrimen obſeruatur.*

XXXIX. *Homines, carnium eſu delectantes, et abutentes, maxime uenenati, ſi incanduerint.*

XL. *Hinc cholerici conſtanter febri laborare dicuntur.*

XLI. *Animalium uenena, uel ſunt contagioſa pluribus, uel non, et quare hoc?*

XLII. *Nempe, praeter idioſyncraſiam, hic magna conſuetudinis uis eſt.*

XLIII. *Quaedam externe atque interne adhibita, ſunt uenena.*

XLIV. *Quaedam duntaxat interne nocent, externe tuto applicanda, ac quaedam ſolummodo externe laedunt.*

XLV. *Homines ignei in putredinem uergunt et alcaleſcentiam, febribusque calidis ſaepe exponuntur, ſed cito tranſituris.*

XLVI. *Peſtis, ſi cauſam materialem reſpicias, uel uerminoſa, uel acida metallica, uel ut plurimum alcalina putrefactiua eſt.*

XLVII. *In peſte pulmones primum et canalis alimentorum afficiuntur.*

XLVIII. *Dehinc prima peſtis ſymptomata, dyſpnoea, pleuritis, ſuffocatio, conatus uomendi, tormina uentris atrocia, etc.*

XLIX. *Aer, tanquam uector effluuiorum, praecipuus morborum epidemiorum et contagioſorum auctor exiſtit.*

L. *Aer nimium calidus, nimium leuis, nimium frigidus, et nimium grauis, frequens peſtis, uariis ſtipatae ſymptomatibus, cauſa eſt.*

LI. *Acida in primis regionibus maximam partem regnant.*

LII. *Sanguis ſanorum ad uolatilis ammoniaci ſalis naturam proxime accedit.*

LIII. *Sanguis aegrotorum, febribus decumbentium continuis, alcalino abundat ſale.*

LIV. *Dantur tamen febres, et intermittentes, et continuae, quae iam a dyſcraſia pituitoſa, iam a ſalis acidi exceſſu, modo ab humorum abundantia, modo a defectu oriuntur, uti plethoricorum, phlegmaticorum atque infantum exemplis probatur.*

LV. *In aprico igitur poſita eſt ratio, cur alii uenae ſectione, alii abſtinentia, alii alimentorum, alii medicamentorum acidorum, alii alcalinorum uſu, a febribus liberentur.*

LVII. *Pulmones, praecipuam machinam, continuo ſuo motu et attritu ſalia praeparantem, conſtituunt.*

LVII. *Solida et fluida noſtra ſal neutrum poſſident.*

LVIII. *Hinc raro eorum procedunt experimenta, qui uel alkali, uel acidum, partibus noſtris inhaerens, elicere uoluerunt.*

LIX. *Sal marinus, et alii ſales minerales, partibus corporis noſtri haud aſſimilantur, ſed integri iterum e corpore ſecedunt.*

LX. *Nullum in homine fermentum unquam reperitur, nec fermentatio intra uaſa ſanguifera locum habet.*

LXI. *Fungi duplici cauſa uenenati, uel acri, uel uiſcido, laedentes.*

LXII. *Plantarum acre, plerumque eſt uolatile, et alcalinum.*

LXIII. *Saturnina, ſunt ueterum frigida uenena.*

LXIV. *Sanguis in febre ardente maxime ſtagnat, et ex attritu alcaleſcit, putreſcit.*

LXV. *Inflammatio, quo cordi uicinor, eo exitioſior, ſuppuratione mox ſubſequente.*

LXVI. *Hinc morbi pectoris, qualis pleuritis, peripneumonia, etc. ceteris omnibus peiores, et curatu difficiliores.*

LXVII. *Salina, et terrea, lapidum generationi anſam et materiam praebent.*

LXIIX. *Frigoris ratio formalis non in quiete ſola conſiſtit, ſed praecipuum eius fundamentum a ſalibus nitroſis repetendum.*

LXIX. *Pauimenta, lapidibus ſtrata, ſalia frigida exhalando, poros conſtipant, ſuccos condenſant, et obſtructiones, ſtagnationes, etc. pariunt.*

LXX. *Oſſium ſubſtantia ex firmius unitis atque induratis neruis deriuanda.*

LXXI. *Podagrae et plurimorum morborum chronicorum fundamentum in ſolidorum flacciditate conſiſtit.*

LXXII. *Hinc tot et tanta detrimenta, ex uberiori potulentorum ingurgitatione, in arthritidis, mali hypochondriaci etc. medela, oriuntur.*

LXXIII. *Calculi humani ſemen, frequenter eſt grumulus ſanguinis, in renibus ſecretus, atque induratus.*

LXXIV. *Non omnis dorſi dolor certo deſignat calculi in renibus praeſentiam, ſed frequenter indicat renum inflammationem.*

LXXV. *Potus nimius aquae calidae, noxius eſt, et flacciditatem ſolidorum excitando, paralyſin, apoplexiam pituitoſam, etc. producit.*

LXXVI. *Hinc homines Caffeae, Theae et ſimilium rerum infuſis, acidulis, ac thermis abutentes, labefactato ſolidorum tono, et coaceruato ſero, in hydropem incidunt.*

LXXVII. *Plethora ſanguinis, frequens multorum morborum, ac repentinae mortis cauſa eſt.*

LXXVIII. *Narcotica ab antiquis minus adaequate uenena frigida uocata, cum ſint ſalia uolatilia oleoſa.*

LXXIX. *Spiritus uini pernicioſis merito annumeratur uenenis.*

LXXX. *Spiritus uini, quo defecatior et penetrantior, eo pernicioſior.*

LXXXI. *Arſenicum infallibili experimento, tertianas febres, aliosque morbos, a uiſcido ortos, tollit.*

LXXXII. *Omnia, quae quocunque modo ſanguinem coagulant, ſunt hypnotica, et narcotica.*

LXXXIII. *Omnia, quae cauſam tollunt uigiliarum, ſunt ſomnifera.*

LXXXIV. *Cauſae uero uigiliarum ſunt multiplices, unde ſpecifica et tuta hypnotica adhuc deſiderantur.*

LXXXV. *Opium, non eſt ſpecificum hypnoticum, aut antiſpaſmodicum, ſed uehemens ſtimulans.*

LXXXVI. *Hinc ueneris ſtimulus, et repentina uirium refocillatio, opii uſum ſequens, deriuanda.*

LXXXVII. *Succus nerueus, in motu ſuo perturbatus, grauiſſimum conſtituit uenenum.*

LXXXIIX. *Omnes affectus uehementiores, et uenenum, et remedium, ſunt.*

LXXXIX. *Diuerſae ſolidorum in hominibus actioni, diuerſi et diſcrepantes uenenorum effectus, iam ſalutares, iam noxii, tribuendi.*

XC. *Chylificatio, actione uiſcerum, humorumque diluentium et ſoluentium uirtute, peragitur.*

XCI. *Nullum datur uentriculi fermentum, ſola ſolutione chylificationem perficiens, datur tamen ſaliua, limpha gaſtriaca, bilis, ſuccus pancreaticus, qui liquores omnes, diluendo, emolliendo, ſoluendo, ſuum ſymbolum ad chylificationis negotium contribuunt.*

XCII. *Lac, omnium alimentorum optime et citiſſime nutrit.*

XCIII. *Vnde lac, optima hecticorum medicina.*

XCIV. *Nec hepati, nec cordi, aliique uiſceri, uis ſanguificatoria tribuenda, ſed omnia hic conſpirant.*

XCV. *Plurimum tamen ad negotium ſanguificationis contribuit perpetua pulmonum et cordis actio.*

XCVI. *Animalia, uenenis mortua, tuto non aſſumuntur.*

XCVII. *Omnis magia, eſt phyſica ſubtilior.*

XCVIII. *In magia primas partes ſibi uendicat ſuperſtitio.*

XCIX. *Carniuori, ſunt peſſimi faſcinatores, illique morbis acutis obnoxii, facile contagium disſeminant.*

C. *Remedia, quae languenti debent ſuccurrere ueneri, uel ſunt ſtimulantia, uel nutrientia.*

CI. *Stimulantia in phlegmatis, nutrientia in emaciatis, neceſſaria ſunt.*

CII. *Rachitis, eſt morbus, lui ueneree maxime analogus.*

CIII. *Hinc frequenter a Parentibus, lue uenerea infectis, infantes rachitici generantur.* CIV.

CIV. *Lappones fungis acribus in ueneficiis utuntur.*

CV. *Venena lenta, in certum tempus definita, ob diuerſam hominum conſtitutionem, non dantur.*

CVI. *Mortes, uenena exhibita ſequentes, non ſemper ac tam facile internoſcuntur.*

CVI. *Omnia uenena, mox ac ingeſta ſunt, uomitu eiiciantur, et ſic curentur.*

CVII. *Omnia uenena acida alcalinis frangantur.*

CVIII. *Omnia econtrario alcalina et putrefactiua uiciſſim acidis corrigantur, praecipue aceto uini.*

CIX. *Omnia uenena mechanico parata tritu, et quibusdam inhaerentia canalibus, medelam uix ſuſcipiunt.*

CV. *Sola hiems, eaque frigidiſſima, optima peſtis, ſi ex putrefactione, antidotus.*

CXI. *Mutatio ſoli et coeli, peſtis itidem remedium.*

CXII. *Fermentum pariter peſtilentiae, aliquando eiusdem, ſi nempe contraria fuerit cauſa, remedium.*

CXIII. *Amuleta, ad praeſeruandam peſtem commendata, ſunt maximam partem ſuperſtitioſa atque anilia.*

CXIV. *Amuleta praterea noxia dantur, quae hinc prudenter et cum delectu uſurpanda ſunt.*

CXV. *Optimum peſtis prophylacticum eſt, mentis tranquillitas, ac ſpes certa confiſa Deo.*

CXVI. *Febres exanthematicae, quales, uariolae, morbilli, purpura, magis infeſtant, et grauius affligunt, diuites, quam pauperes, ob acrem ex aromatibus, carnibus, et uino, ſanguinem.*

CXVII. *Merito igitur aromata Indica, ignes dicuntur, abuſu uitam noſtram abbreuiantia.*

CXVIII. *Nihil hinc dementius, quam diuitum infantibus, uariolis laborantibus, uolatilia, et ita dicta cardiaca, aromatica, exhibere.*

CXIX.

CXIX. *Venae ſectio, et optimum remedium eſt, et peſſimum uenenum.*

CXX. *Sudorifera alcalina, non niſi in morbis, a ſeroſa colluuie dependentibus, proſunt.*

CXXI.. *Sudorifera, proprie ita dicta, in morbis calidis peſſima uenena.*

CXXII. *Contraria contrariis optime curantur.*

CXXIII. *Hinc morbos, a plethora generatos, curat euacuatio, et quos excitauit fames, remouet amiſſi reparatio, et ita in reliquis.*

CXXIV. *Ignes aperti, ſuccenſis ſpeciebus aromaticis excitati, peſtilentiae, ex aere graui ortae, medentur.*

CXXV. *Vapor fodinarum, acidum exhalantium, optima eſt peſtis putredinoſae antidotus.*

CXXVI. *Homines ieiuni facilius iraſcuntur, quam paſti.*

CXXVII. *Natura cuiusuis ſola, ſibi relicta, integra adhuc, ad medendum ſufficit.*

CXXVII. *Natura, non archaeum, aut animam, aut ſpiritus quosdam fictos, ſed corporis mechaniſmum, et ab eodem dependentes functiones, notat.*

CXXIX. *Naturam igitur medicus probe obſeruare, illamque in medendo ſequi debet.*

CXXX. *Muſicorum concentus inſtrumentorum, magnum medicinae condimentum, ac praeſtantiſſimum multorum morborum remedium eſt.*

CXXXI. *Venena uiſcida, omnium optime acidis reſoluuntur.*

CXXXII *Morbi chronici maximam partem a ſolidis male affectis, nimium relaxatis, obſtructis, ſcirrho obſeſſis, eroſis, dependent; unde iidem rariſſime, et difficillimo curantur negotio.*

CXXXIII

CXXXIII. *Quandoque tamen ſolida labem acceperunt a fluidis uel qualitate, uel quantitate peccantibus, ubi quoque tempeſtiuâ et congruâ medelâ facilius exoptatus medelae ſcopus obtinetur.*

CXXXIV. *Quo ſimpliciora alimenta et potulenta, eo meliora.*

CXXXV. *Simplicia medicamenta, omnium optima.*

CXXXVI. *Nihil igitur magis, in medicinae cultura et exercitio damnandum, quam multiplicium farrago remediorum, et frequens eorum mutatio.*

CXXXVII. *Quid dehinc de theriaca, Oruietano, et ſimilibus antidotis, ſit ſentiendum, nemini, rerum medicarum probe gnaro, obſcurum eſſe poteſt.*

CXXXVIII. *Natura, in morborum cura, ſi ſolidorum reſpicias uitia, in laxo, uel ſtricto, uera Themiſonis ſententia, occupatur.*

CXXXIX. *Vitium fluidorum in chronicis, ſapones eluunt; ſolidorum laxiorum morbis exercitia et roborantia remedia ſuccurrunt; plus uero iisdem unitis praeſtabis.*

CXL. *Mercurialia, rite parata, optima ſunt morborum, a uiſcido ortorum, ſubſidia.*

CXLI. *Mercurialium uſum ſaliuatio haud abſolute ſequitur.*

CXLII. *Omne animal naſcitur ex uermiculo; quidni ex ouo?*

CXLIII. *Gypſea uenena non facile tolluntur e corpore, et hinc immedicabilis eſt labes, quam relinquunt.*

CXLIV. *Optima narcoticorum uenenorum antidota, ſunt acida.*

CXLV. *Citius uero et melius metam aſſequeris, ſi acidis iungas largiorem diluentium, calide hauriendorum, uſum.*

CXLVI. *Faſcina uel remediis, uel rationibus, et perſuaſionibus, a contrario petitis, curantur.*

CXLVII. *Spirituum morbi, uel rationibus, uel opiatis, uel demulcentibus, uel ſpecialibus antidotis, ſpecialem reſpicientibus dyſcraſiam, remouentur.*

CXLVIII. *Hic etiam aliquid dandum eſt quieti et mutationi circumſtantiarum.*

CXLIX. *Praecipitationes, in detegendis uenenis, uenenorumque natura, haud omnem abſoluunt paginam.*

CL. *Summa hinc medicus utatur circumſpectione, et in determinandis ac iudicandis, et curandis morbis, qui uenenis exhibitis imputantur.*

CAPVT

Capvt Primvm.

In hoc, ut praeſamine, Auctor inſtituti reddit rationem, et paucis de occaſione, qua ad hunc tractatum conſcribendum commotus fuit, diſſerens, quatuor mortis proponit genera, quorum ultimum a uenenis deducit, cum ſedula ad omnes Medicos admonitione, de fugiendis uenenis, et remediis fortioribus, uenena aemulantibus. Hiſce demum catalogus Auctorum, qui de uenenis ſcripſerunt, ac uariae illorum de uenenis opiniones, adiunguntur.

Tertius iam annus agitur, ex quo per occaſionem eorum, quae a biennio ante id temporis, in celebri Suecorum Vpſalenſi

Academia, diſputatione publica, *a*) de uenereae uirulentia luis, examini a me fuere commiſſa, ſuis originibus, Sodomiae puta, homines inter et cercopithecos *b*) magnos, ſiue ueterum Satyros, *c*) aliquando exercitae, audacter forte uindicata, leuidenſe hoc, coactum et quam plurimis erratis typographicis ſcatens *opuſculum de*

---

a) An.1708. Auctor diſſertationem de uirulentia luis uenereae habuit, atque An. 1709. d. 9. Ian. hunc librum inchoauit, eundemque anni ſequentis fine perfecit.

b) Cercopithecus a uerbis, πίθηκος ſimia, et κέρκος cauda, uel κέρκωψ, nomine populi, inſulam Pithecuſam inhabitantis, deriuandus, quem, cum nullo flagitii genere abſtineret, in ſimias mutatum fabulatur Ouidius 14. Metamorph. Ab ARISTOTELE *l. 11. Hiſt. Anim. c. 8.* cercopithecus etiam κῆβος uocatur, diciturque eidem: πίθηκος ἔχων ὀυρὰν, h. e. ſimia habens caudam. In ſpecie de illis traditur, quod cauda quinum cubitorum, barba propenſa, coma humana, atque alba facie ſint praediti, reliquis partibus nigris exiſtentibus, et quod tanta illorum copia in montibus Indiae apud Taxilam ciuitatem reperiatur, ut Alexandro illac tranſeunti terrorem incuſſerint.

c) Veterum Satyros de quibus PAVSANIAS *l. 1.* & PLINIVS *hiſt. nat. l. 7. c. 3.* ſcripſerunt et quos Poetae bicornes fingebant, a recentiorum Satyris non differre, perhibet TVLPIVS *l. 3. obſeru. medicin.*

de uenenis, d) primam aſpexit lucem; poſtquam non longo abhinc tempore in incluto Ducatus Geldriae Harderouicenſi Athenaeo, ſub forma inauguralium theſium, quaedam a me breuiter et generatim in hac non incelebri uaſtiſſimae Medicinae particula dicta fuiſſent, animumque poſtea cogitatio ſubiiſſet, omnia, quae ab Auctoribus pro uenenis habentur, in unum catalogum redigere, eorumque naturam et qualitates introſpiciendo, ac uberius examinando, ad certas claſſes et ſumma ueluti capita referre, et perducere.

Quod exiguum ac leue, ſic tamen mox quibusdam placere uidebatur, ut ab eruditiſſimo ac clariſſimo Lipſienſium Collectaneorum Auctore, menſe Aprilis, Anni 1708. inter tot multa erudita locus ipſi aſſignaretur, ampla ſatis et mihi nunquam ſperata cum laude. Putabam tum ſtatim, dedecori mihi non uerſum iri, quod inſignia Doctoratus in nominata

 Aca-

c. 56. Ab hoc uero diſſentit ERASMVS FRANCISCVS, in libro Germanico, dicto: *Oſt-Weſt-Indiſcher und Sinaeſiſcher Luſt und Staats-Garten, Part. 1. p. 374.* et ſequ.

d) Loquitur hic Auctor de prodromo praeſentis tractatus, qui prodiit Lugduni Batauorum An. 1708. cuius in *Actis eruditorum Lipſienſibus* dicti anni, atque in Relationibus Gallicis, appellatis, *memoires de Trevoux*, fit mentio, fuitque ſaltim II. plag.

Academia accepiſſem, quamuis alias communiter dici ſoleat, quod ego per paupertatem, alios propter doctrinae inopiam, feciſſe, falſo ſaepius dicterio. Sic refert Cl. GORIS, *Med. contemt. c. 10. p. 160.* SARTORVM, Collegii Decanum, increpatum aliquando a Profeſſore Leydenſi, de Magiſtrorum quorundam in iſta arte imperitia, lepide reſpondiſſe, a ſe amandatos ire Harderouicum. *e*) Itaque ego in haec erumpere poſſum cum Aeaco Ouidiano *l. 7. Metam.* quod

Flebile principium, melior fortuna ſecuta eſt.

Praeſertim, cum Cl. Pariſienſium, Medicus D. HECQVET, in praefatione doctiſſimi ſui libri *de purgant. medic. pag. 42.* inſignem mihi praeter omne meritum attribuat laudem. Milite enim nautico, gregario, prognatus, paupere, et pluries

e) Iam non amplius neceſſarium, Harderouici adire Profeſſores, nec imploranda amplius Lugdunenſis Academia; ubiuis aureae atque argenteae Idiotarum, eruditi characterem uiri affectantium, reſponſiones, beneuolas inueniunt aures, et nunc haud amplius merita et progreſſus ſtudiorum, ea, qua par eſt, aeſtimantur, dignitate; aurum atque argentum quaerunt Promotores; pro eo, cuiuis Idiotae, Doctoris uendunt titulum, eique ſimul libere occidendi tradunt priuilegium, non reputantes: peſſimi huius facinoris tandem coram tribunali Diuino reddendam eſſe rationem.

pluries in bello ſuperiore Danico uulnerato, ac tandem captiuato, quid, niſi ſitum et quisquilias cogitarem, iuxta illud THEOGNIDIS, Poëtae, *in Gnomicis, p. m. 14.*

Πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος, οὔτέ τι εἰπεῖν
Οὐθ' ἕρξαι δύναται· γλῶσσα δὲ οἱ δέδεται

Verum tamen ope Diuina et hominum quorundam erigere animum coepi, atque ingenitam ad ſtudia indolem eo pertinacius ſequi, quo paupertas pertinacem ſtudiis ſtimulum addere ſoleat, inſtar mihi Cumaeae Sybillae, conſulentis ita Aeneae, *l. 6. Aeneid.*

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito,
Quo tua te fortuna ſinet.

Nam cum aliorum fortunas ſpectando, ex conditione abiecta atque contemta emerſiſſe claritatem uideamus, quid oberit, quin et ipſi meliora de nobis ſemper cogitemus? memores, ſtultum eſſe, perpetuae infelicitatis ſe praedemnare, ſpemque, quae etiam incerta recte fouetur, interdum certam in deſperationem conuertere, uerba ſunt VALERII MAXIMI, *Memorabil. Ex. lib. 6. cap. 9.* Et CVRTIVS, *de Reb. Geſt. Alex. M. l. 5. c. 4.* ſic pulchre fatur: *ignauiam quoque neceſſitas acuit, et ſaepe deſperatio ſpei cauſa eſt.* Quemadmodum de Philomela, quam Tereus affinis ſtupratam lingua mutilauerat, ſuam querimoniam in tela pingente, NASO *lib. 6. Metam.* cecinit:

Grande doloris
Ingenium eſt, miſerisque uenit ſolertia rebus.

Quamuis adhuc, fatis ſic uolentibus, in tantum non proceſſi, ut aut eloquentia per gentes enotuerim, aut iuſtitia, aut bellicis rebus, et mihi et Patri quoque ingentem circumfuderim famam, tenebrasque natalium meorum clariore luce diſcuſſerim, audito ſaepe opprobrio, quod Poeta habet, *Serm. lib. 2. Sat. 5.*

Et genus, et uirtus, niſi cum re, uilior alga eſt.

Quo circa iuxta M. ANNAEVM LVCANVM, Poetam ſuauem et ſucci plenum, *Panegyr. in Piſon.*

Ipſe per Auſonias Aeneia carmina gentes
Qui ſonat, ingenti qui nomine pulſat olympum,
Moeoniumque ſenem Romano prouocat ore,
Forſitan illius nemoris latuiſſet in umbra,
Quod canit, et ſterili tantum cantaſſet auena,
Ignotus populus, ſi Maecenate careret.

Fuere praeterea multi, qui nimiam breuitatem, aliaque nonnulla, in Tractatulo meo priore, de hac materia conſcripto, carperent; ideoque ad hanc ſecundam tam leuidenſis opellae editionem, partim me amicorum exhortationes, partim propriae pertinacia lectionis impulerunt; Nam iuxta Lyricum, *Carmin. lib. 4. Od. 9.*

Paulum ſepultae diſtat inertiae
Celata uirtus.

Et

Et PERSIVS, *Sat. 1. ℣. 27.*

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc, ſciat alter.

Quanquam, ſi uerum fatear, poſteriores hae curae atque interpolationes maximam partem natae ſint, Anno 1709. et 1710. inter continuos armorum uentorumque ſtrepitus, cum claſſi contra Ruſſos praelianti inſeruirem, Muſis, quae inter arma ſilere ſoleant, ne ſic quidem ſolatio ſuo defraudatis, in hoc ipſo ueterum plurimos imitatus, qui uel in aduerſis, uel aegritudinibus corporis, in literis aliquid profecerunt. confer. AELIANVS *uariar. Hiſtor. l. 4. c. 15.* Nunc uero cum feſtiuiſſimo M. ANNAEO LVCANO, dicto loco, dicam:

Nec enim ſi bella quierunt,
Occidit et uirtus: licet exercere togatae
Munera militiae; licet et ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub iudice bella mouere.

Studebo ſane pro uirili per omnem aetatem auibus ſimilis eſſe, ſubuentanea in initio oua quaedam parientibus, aliquando uera parituris. Sed haec hactenus.

Omnis homo, poſt lapſum primorum Parentum, uolente ſic optimo et iuſtiſſimo Creatore, mori debet; Sed in iſta moriendi neceſſitate, quatuor *f*) praecipue moriendi generibus homines decedere contingit. Vel enim primum,

 cum

f) Cum quatuor mortis genera, a diuerſis, quibus ea inducitur, cauſis, Auctor deducat, quatuor haud

cum in ſe ipſo acceperit aliquod mortiferum, conſumto per aetatem corpore, ex attritu ipſo ſolidorum ad ſolida, fluidorum ad ſolida, ſolidorumque ad fluida; obit, et ſic inſtar automati, ipſo itu ſeſe atterentis, perit. Conſumitur porro, Radicale, ut dicebant ueteres, Humidum, ſeu ſanguis noſter, *g*) itaque exſiccatur totum corpus. Hinc uidemus, omnes ſenes ſiccos eſſe, inſtar arborum, in ſuo ſenio exſiccatarum. Vel ſecundo, ex morbis diuerſis diuerſae ipſi ſtruuntur inſidiae, quales ſunt febres omnis generis, Calidae et Algidae, *h* dolores

ſufficiunt claſſes, ſed plures, ſi copiam cauſarum, mortem inducentium, examinemus, eſſent conſtituendae; morte autem in genere conſiderata, nimis prolixa eſt haec diſtinctio, cum unico, eoque ſummo mortis genere, idem poſſit expediri; nam, eadem uiolentam, eamque nunc derepente, nunc pedetentim inductam ſolidorum et fluidorum laeſionem, et functionum deſtructionem, ac his ſuccedentem mentis a corpore ſeparationem, denotat.

g) Praecipue uero limpha tenuis gelatinoſa, quae maximam ſanguinis conſtituit partem, atque appropriatum omnibus partibus nutrimentum ſuppeditat, in ſenibus incipit deficere, et fibrae multo diuturnoque duratae attritu, aridae euadunt, illarumque languet tonus.

h) Non de nihilo equidem Auctoris eſt diſtinctio febrium in calidas atque algidas, ab effectu peti-

lores colici aut laterales, fluores alui, renum ueſicaeue cruciatus, morbi contagioſi, et reliqua id genus pene innumera, quae tamen ſingula peculiari ſaepe et proprio ſibi pugnant ueneno, propriaque poſcunt antidota. Vel tertio, uiolenta, ut dici ſolent, morte, homo perimitur, quanquam omnis mors ſit uiolenta, *i*) quocunque demum modo unquam fiat.

ta; cum quaedam reperiantur, quae ſolo calore aegrotis ſint moleſtae, calidae dehinc dicendae, aliae uero aegrotos ſolo frigore affligant, quibus exinde algidarum competit nomen, *tales etiam ſemper algidas*, inquit FR. *de le* BOE SYLVIVS *Idea noua Pr. Med. l. 1. c. 30. §. 8. in noſocomio Academico habuimus, ita manifeſtas, ut non tantum incipiente, ſed etiam uigente ac declinante, imo ceſſante paraxyſmo, id eſt, ſemper, tum ſuo, tum adſtantium, tum Medicorum ſenſu, moleſte ubique frigerent, nunquam teperent, minus calerent ullibi aegri;* Cum autem allegata febrium in calidas atque algidas diuiſio, non omnes febrium ſpecies ſub ſe complectatur, quatenus plures dantur febres, quae calore et frigore alternante, nunc utroque ſimul praeſente, aegros afficiunt, hinc a BELLINO traditam in febres continuas atque intermittentes diſtributionem praefero priori.

i) Rationi utique adaequata eſt auctoris ſententia, qui contra CASTELLVM, *Lexic. Med. p. m. 509.* mortem in lentam et uiolentam, diſtinguentem,

Ex horum numero ſunt: ferrum, lapis, ruina, aqua. Vel denique et quarto, cauſa occulta, et clandeſtinis inſidiis mortem oppetere homo dicitur, ſicut ex Venenis: quae quidem, ſi acriora et ſibi relicta, ſemper perimunt necantque, licet cauſa non ſemper aeque ſit nota, et ratio effectuum ad liquidum perducta. Tali morte mortuos praedicare ſolent eos, qui febre Peſtilenti, uel ipſa Peſtilentia, qui animalium uenenatorum ictibus uel halitibus, qui hauſtu lethiferi uaporis, cuiuscunque generis et ille fuerit, qui philtris, ueneficiis, faſcinatione, qui umbra praua plantarum arborumue, qui delibutoriis *k*) medicamentis, qui excantationibus et carminibus, uel cito intereunt, uel miſeram uitam diutino malo protrahunt. conf. CARDANVS, *Praef.*

---

aſſerit, omnem mortem eſſe uiolentam; quia per uim atque iniuriam corpori illatam uinculum uitae diſſoluitur, ac ferme nulli, annuente mente, ex hac terreſtri ſecedunt uita; imminentis iam tela mortis ſentientes, auxilium contra eadem implorant, coactique e uiuis ſurripiuntur.

k) Vocabulum *Delibutorius*, cuius genuina ſignificatio, in Medicis aliisque deſideratur Lexicis, denotat hic omne illud, quod rodendo, radendoque, partes ſolidas, earumque diſſoluendo contextum, ſubitam affert perniciem, uti ex draſticorum emeticorum et purgantium, nec non acrium acidorum ſpirituum propinatione conſtat.

Praef. l.1. de uenen. Bene ergo BOETHIVS:

Conſtat aeternâ poſitumque lege eſt,
Conſtet ut genitum nihil.

Verum enim uero de hiſce uenenis meditantem, me denuo meas edere cogitationes, deterrent a propoſito, illa, quae GALENVS *de Purg. cap. 4.* et *de ſimpl. med. facult. lib. 10. c. 1.* habet, in τὸν ὅρκον, ſeu iusiurandum Magni HIPPOCRATIS, digitum quaſi intendens, ubi uenena propinare, et componendi rationem alios docere, eiuramus, odio ſcilicet nonſolum illos habendos eſſe, qui uenenis aliquid patrarunt facinoris, ſed eos quoque, qui eorundem uſum ſcriptis ſuis proderent. Atque idem GALENVS *lib. d. Anim. cap. 7. Horum Mendeſium, Orpheum Theologum, Heliodorum Athenienſem*, Poetamque *Aratum*, damnauit, quod docuerint rationem componendi uenena. Praeterea lex fuit PLATONIS *lib. 2. de Republ.* ut nulli liceret, nec pharmaca adminiſtrare, nec componere.

Ex eiusdem tamen iuramenti ſtatuto, et praeſcripto legali, aegros ab omni in uictu δηλήσει καὶ ἀδικίᾳ εἴρξειν, (ut textus habet) h. e. ab omni iniuria et nocumento liberum conſeruare, eademque, quae iisdem damno ſunt, arcere debet Medicus. Quocirca cum aliud omnino ſit, uenena conficiendi et propinandi methodum tractare, aliud uero eadem, ab Auctoribus nominata, ac tradita, per modum ſuae actionis in

cor-

corpore, examinare, et mechanice deſcribere, iisque idoneis medicinis obuiam ire, ab incoepto ſtudio deſiſtere non potui, nec debui: praeſertim, cum tela praeuiſa minus noceant, cognitumque rite malum facilius eliminetur atque extirpetur, quam illud cuius facultatem atque indolem interiorem penitus ignoramus; et omnium maxime, quod totus homo ex natiuitate morbus ſit, teſte DEMOCRITO, uiro ſapientiſſimo, et Medicinae peritiſſimo, *Epiſt. ad Hippocr.*

Et, ſi uerum fatear, omnis omnino Medicina fortis, eſt Venenum. *l*) Venenorum autem cognitio eo magis Medico eſt neceſſaria, cum maxime, ſic dicta uenena, celebratiſſimas Veteribus ac Recentioribus Medicis compoſitiones ingrediantur. Sic uiperarum carnibus Theriaca ſuperbit, Philonia Opio, aeris ſquama unguentum, dictum Aegyptiacum. Quid Pſilotra

l) Venenum enim, cum in genere omne illud denotet, quod naturalem ſolidarum et fluidarum partium diſpoſitionem laedendo, corpus deſtruit, parum a medicamentis fortioribus differre uidetur; eundem certe, eadem, doſi maiori, incongrue propinata, exerunt effectum; Venena ita peſſima, ſpiritus bezoardicus Buſſii, ſpiritus cornu cerui, ſal uolatile oleoſum Syluii, in continuarum medela febrium, quae ex alcalini acrimonia atque abundantia ſalis originem trahunt.

tra *m*) Veterum, ſine cantharidibus, ſine euphorbio, ſine arſenico, ualerent? Igitur ſcire, qualia ſint, et quomodo agant, uenena, multis modis utile erit, ut ſcilicet ſciatur, quodnam adſumſit aeger: ut illa deuitentur; innoteſcat, quantum ex illis nocere poſſit, et ut denique curentur, aut ab ipſis praeſeruentur; randemque, ut medicamenta inde conficiantur, ad morbos refractarios feliciter abigendos utilia. *n*)

Quomodo enim Medicus poſſet auxilia inuenire contra tam diuerſa mala, niſi cauſas eorum et genera, modum operationis in corpore, indeque reſultantes effectus, antea bene nouiſſet. *o*) Quis enim, ut exemplo res fiat clarior,

m) Pſilotrum, alias uitis albae, quae Graecis etiam *ἀμπελευκὴ*, *ὀφιοστάφυλον* et *μέλωθρον* dicitur, ſpeciem ſignificat, teſte PLINIO, H.N. *l. 23. c. 1.* Deinde idem, ſecundum dictum H. N. auctorem, *l. 32. c. 10.* eſt thymni ſanguis, fel, iecur, ſiue recentia, ſiue antiqua. Tertio pſilotrum, depilatorium denotat medicamentum, cuius meminit MARTIALIS *l. 6 u. 93.* et CASTELLVS *Lex Med. p. m. 248.*

n) Antimonium ita, uenenum metallicum ponderoſum, chymica tractatum analyſi, praeſtantiſſima praebet medicamenta; imo, ipſum antimonium crudum, in morbis chronicis, a ſuccorum uiſciditate et ſtagnatione deriuandis, exoptatos exerit effectus.

o) Mala enim, ignota cauſa mali, eiusque forma-

rior, curaret bene inflammationem uenercam, niſi antea bene ſciret eiusdem luis uenenum ad *Alcali Putrefactiuum p*) inclinare. Nam qui acidum praeternaturale crepant, ipſi naturae contradicunt, ingenue et ipſe nunc faſſus, hunc mihi errorem olim fuiſſe, promulgatumque in operoſa mea Vpſalis habita *diſputatione de Venerea Lue.* Ergo ad damnandum et prorſus reiiciendum aliquod ſalutare remedium non ſatis eſſe interdum debeat quibusdam Medicis, quod Opium, uel Chinae Chinae corticem, uel Mercurium dulcem, in ſui compoſitionem recipiat, *q*) ſine quibus tamen remedium eſſet inane

litate, formatur indicatio, qua totius medelae cardo innititur.

p) Alcali haud raro in lue uenerea eſſe accuſandum, haud negari poteſt, idemque felix acidorum confirmat uſus; in omni uero lue uenerea ſolum peccare alcali, diſſuadet diuerſa huius mali origo, diſcrepans ſymptomatum indoles, uariaque medela, ac cumprimis exoptata alcalinorum in hoc morbo propinatorum operatio.

q) Haec quippe remedia non pro ſpecificis habenda, ac ſi certis ſaltem curandis morbis dicata eſſent; opii ſaepius uſu augetur dolor, exacerbaturque peruigilium; cortex chinae febres intermittentes haud raro reddit deteriores; ac mercurius dulcis, decantatum illud in lue uenerea remedium, in eo ſaepius morbo fruſtra non uſurpatur modo, ſed funeſta etiam affert ſymptomata. Cul-

inane et mancum, peruerſo prorſus ſtudio excogitata ſolertia.

Non autem eum in finem haec ſcribuntur, ut aliquis doceatur, per uenena homines interimere. r) Nec nominantur a me, niſi quae uenenorum catalogo inſerere, mihi ipſi placuit. Abſit autem per omnem uitam a Medico Chriſtiano, ullam unquam mortis dare occaſionem. Duplici enim ex cauſa Medicus iſte, qui eiusmodi horrendum perpetrauit facinus, morte certa malum expiet, et propter ſcelus, et ne prodat factum. Sic Solymus, Turcarum Princeps, cum Baiazethum Secundum, Patrem, fraudibus Medici ſui Hebraei ſuſtuliſſet, Medicum occidit. Potius in hoc caſu imitandum eſt Auenzoaris, Arabis Medici, factum, qui ab Haly Tyranno interrogatus, quo poſſet inimicum tollere ueneno, conſtanter, ſe ſcire, pernegauit; ob id uero in carcerem coniectus eſt, bienioque ibidem miſerabiliter detentus. Et Chriſtiano Medico ſemper tenendum memoria eſt eximium illud Medici, ſimulque ſerui Domitii, tempore Caeſaris. Tenebatur Domimitius incluſus in urbe Corfinio, obſeſſa a Caeſare;

pam uero non in ipſis latere medicamentis, ſed eandem a peruerſo illorum uſu eſſe accerſendam, probat felix illorum rite uſurpatorum ſucceſſus.

r) Vti *Heliodorus Athenienſis*, teſte *Praeuotio*, fecit.

ſare; ad extrema igitur redactus imperauit Medico, ut ſibi uenenum daret, mortem ipſi, ni uellet, minatus. Quid facit? Dedit illi medicamentum innoxium bibendum; quo, cum ſopitus eſſet, acceſſit ad filium eius: iube me, inquit, adſeruari, dum ex euentu intelligis, an uenenum patri tuo dederim. Vixit ita Domitius, et a Caeſare, et a Medico ſeruo ſeruatus eſt, referente SENECA *de Benefic. lib. 3. c. 24.*

Sed laborem hunc, quanquam ſumme utilem deprehendi, immenſus tamen ille, intimius mihi introſpicienti, fuit, meisque humeris omnino intolerabilis. Bene FLACCVS *de Art. Poet.*

Sumite materiam ueſtris, qui ſcribitis, aequam
Viribus, et uerſate diu, quid ferre recuſent,
Quid ualeant humeri.

Exclamandum namque hic eſt in conſimili caſu cum I. C. SCALIGERO *Exot. Exerc. d. Subtil. ad Cardan. 218. n. 8. Latent tales qualitates*, (de uenenis loquitur) *animos temperatos, illudunt curioſis*; nec alio forte praeſagio meis conatibus euentus ſtabit, quam

cum grauatam rauita aduerſa ratem
Propellit unda, cedit in uanum labor,
Et uicta prono puppis auffertur uado,

ut SENECAE Tragoedi uerbis *Hippol. Act. 1.* utar.

Quia uero in munerum erogatione, dantis praecipue animus prae dono aeſtimari ſoleat, ſicut

ſicuti Rex Perſarum, Artaxerxes, Auctore AELIANO, *Var. Hiſtor. l. 1. c. 32.* pauperis ſubditi, Sinaetae, friuolam frigidamque ex Cyro amne limpham, regali clementia excepit, et liberalitate ſtolae Perſicae, phialae aureae, milleque daricorum, compenſauit; ita apud humanos beneuolosque lectores, non quidem munuſculum, nec quaſi Mineruam illam Phidiae eburneam, PLINIO, *Hiſt. Nat. lib. 44. c. 8.* memoratam, in arce poni dignam, ſed uilem hanc, et feſtinatam inter uaria itinerum incommoda, et tumultus bellicos, ingenii opellam, ueniam ſpero inituram, dum nihil niſi ſcribentis intentio, et quamuis deſint uires, uoluntas tamen, et bene de bonis merendi ſtudium, aeſtimata fuerint.

Scripſere de uenenis, et reſtim mihi ductitarunt quam plurimi ex ueteribus et recentioribus, quos partim uidiſſe, partim propter pauperiorem librorum ſupellectilem non vidiſſe contigit. Antiquiſſimus omnium, ex iis, quos habemus, eſt, NICANDER, Poeta, et Medicus, in *carminibus theriacalibus*, quem IOANNES GORRAEVS, tam uenuſto carmine Latino expreſſit, ut ADRIANVS TVRNEBVS, non dubitarit, hoc epigrammate GORRAEVM alloqui:

Vipereo quae tu uulgas aduerſa ueneno
Carmina, Romani comta nitore ſoni:

Iurat Apollo DEVS uatum, Latiaeque Camoenae,
Eſſe ex Albanis haec tibi nata iugis.

Poſt hunc, DIOSCORIDES, Medicus ſane clariſſimus, et M. Antonio, et Cleopatrae, magni habitus, NICANDRVM preſſe ſecutus. Ex quo DIOSCORIDE omnes in poſterum ſua deſumſerunt, pauciſſimis uel adiectis, uel mutatis, prout cuiuis innoteſcit, ſedula manu peruoluenti auctorum ſcripta; ſicuti hoc iam olim PHOTIVS, in *Bibliotheca, c. 178. pag. 156.* teſtatur. ERASISTRATVS quidem a DIOSCORIDE citatur, *de Venen. cap. 18.* et GALENVS a RHAZE, *Contin. Lib. 20. cap. 2.* in hoc argumento uiſus eſſe perhibetur; ſed ambo periere edacis iniuria temporis. Et forte hic eſt tractatus, quem GALENVS ſe ediſſe ſcribit, *de proprietatibus ſecundum totam ſubſtantiam, lib. 6. Epid. c. 5.* PLINIVS quoque paſſim per hiſtoriam ſuam naturalem, noxiorum pharmacorum meminit. Dolendum quam maxime eſt, multa Medicorum ſcripta periiſſe. Sic refert SVIDAS, olim fuiſſe in templi Salomonis ueſtibulo librum, remediorum cuiusuis morbi, inſciſſum, quem retulſit Ezechias, Rex, quod populus, neglecto Deo, nec inuocato, ſanationem malorum inde peteret.

Ex recentioribus maxime eminet HIERONYMVS CARDANVS, tribus in hoc argu-

argumentum egregiis libris; poſt hunc MATTHIOLVS, *Commentario in Dioſcoridem*; IOH. GORRAEVS, *Praefat. in Alexipharmacum Nicandri*, AMBROSIVS PARAEVS *in ſua Chirurgia*; SANTES ARDOYNES, *Dioſcoridem* imitatus, in quam plurimis, et ANTONIVS GVAINERIVS, HIERONYMVS CAPIVACCIVS, HIERONYMVS MERCVRIALIS erudite, AVICENNA itidem DIOSCORIDEM ſecutus, et NICOLAVS FLORENTINVS. Quibus ſeſe adiungit PETRVS ABANVS, uel APONANVS, alias Conciliator cognominatus, EVSTACHIVS RVDIVS, IOANNES PRAEVOTIVS, BARTHOLOMAEVS PERDVLCIS, DANIEL SENNERTVS egregie, SCHENCKIVS *lib. 7. obſeruationum*, ATHANASIVS KIRCHERVS, *in Mundo Subterraneo*, FRANCISCVS IOELIS, *Oper. Tom. 5. lib. 2.* EBERHARDVS GOCKELIVS, IOANNES IONSTONVS, *Id. uniuerſ. Med. lib. 21.* et, qui ob tituli celebritatem, mihi multum quaeſitus fuit BENIAMIN SCHARFFIVS, in ſua *Toxicologia*, ſeu *Tractatu Phyſico-Medico-Chymico, de Natura Venenorum in genere*, edito

Ienae, 1678. in 8vo. Scripſiſſe quoque hac de materia Vir eruditus, RICHARDVS MEAD, dicitur, ſed neque hunc uidiſſe, contigit. *s*)

Latinis

s) Praeter allegatos auctores, tum in genere de uenenis ſcripſerunt, tum in ſpecie peculiarem certorum uenenorum indolem, operationem, atque antidotum, deſcripſerunt, FRIDERICVS HOFFMANNVS, *Med. Conſultatoria Dec. 1. p. 3. 4. 31. 36. 43. 46. 271. 273. Dec. 3. pag. 205. 212.* TEICHMEYERVS, *Inſtit. Med. Forenſ. cap. 20. qu. 1. ad 7. p. 161. ad p. 176.* VALENTINVS, *Corp. Iuris Medico-Legali, in Pandect. p. 88. 113. 118. 119. 134. 135. 185. 190. 233. 235. in Nouellis p. 164. 315.* ZACHIAS *Quaeſt. Med. Legal. T. 1. lib. 2. tit. 2. qu. 1. ad 13. p. m. 159. ad p. 190. Tom. 3. Conſil. 12. 13. et ſequ. p. 16. 17. et ſequ.* De ueneno, peculiarem conſcripſit diſſertationem, CHRISTOPHORVS SHELHAMMERVS, Ienae, 1651. Peculiarem tractatum, de Veneno animantium, in 4to, edidit Greuin de Clermont, idiomate gallico, ſub titulo: *Deux Livres des venins, auſquels il eſt, amplement diſcouru de beſtes venimeuſes, theriaques, poiſon et contrepoiſon.* Dictis, adiungendi, et de uenenorum natura euoluendi, ROBERTVS LYONETTVS, *de peſte cap. 17. p. 76. et ſequ.* CAPIVACCIVS, *de Venen. c. 6.* FRACASTORIVS, *de morb. contagioſis l. c. 2. et 5.* ZIMARA, *antrimag. med. l. 4. p. m. 444.* IOH. ZECHIVS, *Conſil. Med. 66.* VALLERIOLA, *loc. com. l. 3. c. 18. it. obſ. Med. l. 1. obſ. 6.* STEGHIVS, *Med. Pr. l. 7.*

Latinis *Venenum*, uocabulum μέσον eſt, utramque, et bonam, et malam, habens ſignificationem, adiecto, quo epitheto, antiquis ſcriptoribus, praecipue uero Iurisconſultis, ſemper uſurpatum fuit. Hinc Iurisconſultus CAIVS, ad Legem duodecim Tabularum commentatus, *Tit. 1. lib. 35.* ſic fatur: *Qui uenenum dicit, adiicere debet, utrum bonum eſſet, an malum? Nam, et medicamenta Venena ſunt, quia eo nomine continetur omne, quod adhibitum, naturam eius, cui adhibitum eſt, mutat: cum id, quod nos Venenum appellamus, Graeci Φάρμακον dicant, apud quos tam medicamenta, quam, quae nocent, hoc nomine continentur.* Praeclare hoc quidem. Apud Poetas uero Latinos, Veneni uocabulum, pro colore quocunque adhibebatur; hinc Venenum Aſſyrium, pro colore puniceo ſeu purpureo. Verſus Virgilianus ſic habet, *lib. 2. Epiſt. 1.*

Alba nec Aſſyrio fucatur lana Veneno,

Et VENVSINVS, *lib. 2. Epiſt. 1.*

Lana Tarentino uiolas imitata Venenum.

Graeci quoque Φάρμακον pro colore uſurparunt, ut ex POLLVCE et DIONYSIO HALICARNASSENSI probat Celeberrimus noſter SCHEFFERVS, *de Art. Ping.*

 §. 41.

c. 24. TIMAEVS *a* GVLDENKLEE *Caſ. Med. l. 71. c. 4.* ut innumeros alios ſilentio praetercam.

ſ. 41. p. m. 156. t) Sequiore autem tempore Veneni uocabulum pro eo tantum adhiberi coeptum eſt pharmaco, quod corpus humanum, ſub parua ſui mole, nec tam aperta atque explicabili ratione, laedere poſſet.

Variae tamen fuerunt Auctorum, tam ueterum quam recentiorum de Venenis opiniones; Quidam enim, abſolute ſic dicta dari uenena exiſtimarunt, quidam reſpectiua, alii uero, nihil aliud eſſe ea, contendunt, quam draſtica quaedam et generoſa remedia, ac ſic uenenum et medicamen ſimul ſtare poſſe, autumant, ita quidem, ut ipſa illa ſic denominata Venena, ſi in pauca atque acciſa fuerint exhibita doſi, nocere non ualeant, imprudentius uero et praepoſtere uſurpata, noxam corporeae machinae, uiuae adhuc et motu praeditae, adferant inſignem. Quod aſſertum demonſtrare uidetur, non

t) Frequentiſſime φάρμακον, apud HIPPOCRATEM, ſignificat remedium purgans, ἄνω ϰ̀ κάτω operans, uti ex *libro primo aphoriſmorum* conſtat; hac itaque de cauſa, ad euitandam ἀμφιβολίαν, quando φάρμακον HIPPOCRATI uenenum denotat, adiectum inuenimus δηλητήριον, uel θανατήφορον, aut quoque τοξικὸν; quod exinde noxium remedium, uel uenenum, indicare dicitur, quia, teſte DIOSCORIDE, *l. 6. c. 20.* barbarorum ſagittae ueneno illinebantur, uel, quia uenenum, ſagittae inſtar, hominem interficiebat.

non tot reuera eſſe uenena, quot quidem ueteres Medici enumerarunt. Nam, ſi illud omne, quod in modica doſi propinatum ſanitatem amiſſam reſtituit, in maiori exhibitum copia, Veneni nomen indueret, nullum certe haberemus remedium innoxium, ex toto, quaqua patet, Medicinae uniuerſae promptuario. Nec ueſpis ſimile animalculum tarantulas impune uenaretur, nec equi et ſues, ſine damno comederent antimonium, ſi non eſſent Venena Reſpectiua.

Ego uero, ueterum ueſtigia premendo, ſi non omnia, ſaltem maximam eorum partem, quae Veneni titulo ueniebant, uel alias uenire poſſint, pertractabo; non eum in finem, ut oſtendam, ſingula haec eſſe pernicioſa, ſed, ut illa ſecundum Naturae Mechanicen examinata, mihi aliquo modo demonſtrent, quonam artificio et adparatu, in humano corpore uiuo, ſuas actiones perficiant, illaque ſaepe lugubria ſymptomata exerceant, quae in Medicinis faciundis tam frequenter ſoleant occurrere. Sed perquam egregius eſt PLINII, Naturalis Hiſtoriae conditoris, locus, *in Praefamine ad Veſpaſianum: Res ardua, uetuſtis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus uero naturam, et naturae ſuae omnia.*

Sunt tamen etiam quaedam pharmaca, quae,

licet cauſas morborum deſtruant, atque auerruncent, ſimul tamen corpus ſenſim ſenſimque laedunt; ita, ut ſecundum GALENVM, *Meth. Med. lib. II. cap. II.* difficillimum ſit, remedium inuenire, quod ſine damno, magnopere proſit. *u*) Hinc quoque Medicinae omnes, a GALEOTTO MARTIO, *de Doctr. Promiſſ. cap. 5.* non inepte cineri lixiuio comparantur, qui, eo ipſo, quo ſordes eluit, pannos atterit. Illud equidem negari non poteſt, *ſatius*

u) Hoc probe perpendant illi, qui continuo medicamentis, alimentorum more, abutuntur; nullum datur remedium, ſiue ſit magneſia, ſiue lapides cancrorum, uel pulueres nitriati, uel ſalino alcalini, aut denique ſpiritus nitri dulcis, bezoardicus Buſſii, ſal uolatile oleoſum Syluii, azoth Paracelſi, aut alia plura, quae polychreſtorum inſeruntur catalogo, quod quotidie, bis terue hauſtum, non certam corpori afferat labem, et loco ſanitatis, quam conſeruare ſtudemus, plurimos inducat morbos. Non repudiatam hac ratione uolo ὑγιεινὴν, ſeu methodum praeſeruatoriam, ſed repudio ſaltem continuam medicamentorum ingurgitationem, quae huic obeſt. Omnium optime ſanitas, legitimo alimentorum et potulentorum, reliquarumque rerum ſex non naturalium, uſu, conſeruatur, ſi modo ſedulo ea, quae nobis noxia ſunt, euitemus, iisque potiundis ſtudeamus, a quibus commodum percipimus.

tius interdum eſſe, *anceps auxilium experiri, quam nullum*, dicente CELSO, *de Med. lib. 2. cap. 10.* periculoſaque illa medicamenta, ſeu Venena, uulgaribus medicinis antecellere, nec in cura pertinacioris morbi, tantum tuto effici remedio, quantum periculoſo; in tam multiplici tamen tutorum remediorum ſupellectile et prouentu, conſultius erit, uiolenta illa et uirulenta, ſolidorum peruertentia elaterem, ac liquidorum deſtruentia compagem, uel nulla omnino, uel parca manu, et ſumma cum prudentia exhibere, quo ſic Medicus ſaluam ſibi conſcientiam, uirique boni famam ſartam tectamque conſeruet.

Sed quorſum iſta? poſtquam enim chymia ſuum exſerere caput coepit, nihil fere admittitur, niſi, quod igneum, et eius arte confectum, ac cum plurimis aliis commixtum fuerit, cum tamen ſimplices, atque ab ipſa natura elaboratae Medicinae, plus longe proſint, et tutius adſumantur. Accedit porro, et hoc exinde incommodi, quod maxima laboremus inopia medicamentorum uere comprobatorum: prorſus, ut eam Medicinae partem, quae de Medicinis authenticis et poſitiuis w) tractet, inter deſide-

 rata

w) Medicamenta authentica, ſi ad unum idemque morborum, ex diuerſa enatorum cauſa, genus, reſpiciamus, haud dantur; interim cuiuis cauſae accommodata et poſitiua reperiuntur remedia; alia ita medentur fibrarum laxitati, alia ni-

rata adhuc, magna forte Medicorum cum contumelia, cum Illuſtriſſimo Angliae Cancellario, VERVLAMIO, numeremus, *de Augment. Scient. lib. 4. cap. II.* Is quoque *Hiſtor. Vit. et Mort. in Addit.* dicit: *Laudes immodicae Medicinarum Chymicarum primo inflant hominum ſpes, deinde deſtituunt.* Atque hoc quidem uere.

Venena iam adeo fere omnia cognita ſunt, ut nullis egeant notis generalibus, ſed uiſu facile cognoſcantur, atque euitentur. Si autem quis inexpertus inciderit in rem ignotam, uel tangendo, uel guſtando, uel odorando, poterit haec ſigna ſecum in promtu habere: quod tactu ſint acria, et ſaepe ueſiculas in manibus excitent, guſtu uero et ſapore ſint amaro atque acri, odore tetro, olido, nauſeoſo, acri, putrido. Sunt tamen quaedam, quae nullum habent odorem, ut metallica aliquot. Porro, ſi

guſtata

miae earum rigiditati emendandae conducunt; alia ſunt dicata corrigendae dyſcraſiae alcalinae, acidam acrimoniam emendant alia; alia obtundendis bilis ſpiculis acribus conueniunt, uiſciditatem eius diſſoluunt alia; alia ſuccos nimium reſolutos cogunt, coactos coagulatosque alia reſoluunt. Immerito ita Medicina Medicique uere docti in crimen uocantur, ſi Idiotae non rite formalem cauſae morbificae rationem perquirunt, nec conuenientia, atque cauſae morbi e diametro oppoſita remedia praeſcribunt.

guſtata ſequitur inflatio linguae et labiorum, gutturis morſus, nauſea, uel ſtrangulatio. Si odorata ſequitur capitis dolor, uertigo, ſternutatio, ſuffocatio. Poteſt et hoc ſignum interdum ualere, quod uideamus intacta a muſcis. Inſuper, omnia uenena, ignis ope producta, acuta et feruida guſtu percipiuntur. Quae ex metallis, olent fortiter, neſcio, quid acris ſtrangulantis. Quae ex animalibus fiunt, omnia ſunt foetida, horrido ſapore, nauſeoſo. Quae ex plantis odorem ferunt tetrum, acutum, grauem, ſaporem amarum, horribilem, nauſeabundum.

In triplex autem, ueteres, *Venena* omnia, genus, diſpeſcuerunt, *Erodentia* nempe, *Frigida*, et *Putrefacientia*, quae partim tota ſubſtantia, partim occultis qualitatibus, in ſubiectum ſibi agere corpus crediderunt; quod quidem, ſi non tam ad uerba, quam ſenſum ſcriptorum attenderis, facili negotio ſtare poterit. Nec iam aliquid dicitur, quod non dictum eſt prius. Alii ſe optime, Venenorum omnium naturam indicaſſe ſibi putant, cum illa diuidantur, in Venena naturalia et praeternaturalia. Naturalia faciunt ea, quae ex metallis, mineris, herbisque; Praeternaturalia, quae fiunt per putrefactionem. Sed mihi non minus per naturam facta uidentur illa Venena, quae putrefactione oriuntur, quam reliqua. Multi pariter fuere priſcorum Medicorum, qui beſtiarum ſolum-

modo

modo et plantarum fecere Venena; priora appellabant ἰοβόλους; poſteriora δηλητήρια, incognitis per iſta tempora metallis, malorum irritamentis. Vnde quoque Medicina, ueteribus Graecis, ἰατρικὴ dicta fuit, ab ἰοῖς, hoc eſt uenenis, ac ſi tota in Alexipharmacis conſiſteret.

Alii aliter, ac, ut ipſis ſaltem uidetur, feliciori diſcrimine, eorum et genera, et naturam, agendique facultates, exhauſiſſe ſibi perſuadent, quorum tamen omnium placita, non huius chartulae anguſtia caperet, cum, quot de hac materia ſint auctores, tot etiam ſingulares fere concluſiones liceat deprehendere. Ego autem mihi ſupponendum duxi, *Venena* omnia, quot quot iſto nomine cognita ſunt, & circumferuntur, ad has potiſſimum claſſes referri poſſe, nimirum, quod ſint uel *Corroſiua*, atque *Acria*, uel *Obſtruentia*, uel *Narcotica*, ſeu Soporifera. *x*). Sub corroſiuis atque acribus non tantum

x) Exiſtimarim duplicem uenenorum claſſem, acrium nempe, et obſtruentium, ſufficere, cum narcotica et ſomnifera optimo iure ad utramque poſſint referri; nam, tum obſtruentibus, tum acribus uenenis, et ſtupor, et profundus, uti experientia docet, inducitur ſomnus; ita Opium, decantatum illud narcoticum, et ſomniferum, acrium copiae particularum, quae in deſtillatione, albiſſimi forma uaporis, ſummam alembici partem petunt, praecipuam debet uirtutem. Imo opium obſtruentis quandoque of-

tum Acida et Alcalina comprehendo, ſed et Artificialia ac Mechanica, quocunque demum modo, pungendo, lancinando, uulnerando, ſcindendo, uel trahendo, inflammationem, eiusque effecta, produxerint. Elegantiſſime haec omnia complexus eſt HIPPOCRATES, diuini Vir ingenii, *de Morb. lib. 1. n. 2.* Morbi multi ſunt, et a cauſis uariis, a bile, pituita, laboribus, uulneribus, calefacientibus, frigefacientibus, ſiccantibus, humidis. Quae ſi recte conſiderentur, totam morborum, et Venenorum, hiſtoriam abſoluunt.

CAPVT SECVNDVM.

Venenorum Corroſiuorum, in genere conſideratorum, uarietatem, elementa, et mechanicam horum in ſolidis et fluidis partibus operationem, examinat.

Omnia Venena Corroſiua, ſiue Mechanica fuerint, ſiue Metallica, aut Alkalina, putre-

officium ueneni obit; ita ſanguis ab hujus uſu inſtar glaciei in cerebro congelatus fuit, ſecundum CVRAEI, *lib. 2. de ſenſu, cap. 17. p. 229.* et LEVINI LEMNII, *de occult. Nat. mirac. l. 2. c. 52.* teſtimonia, conferatur noſter tract. Lat. Graecus, *de ſomno cap. 19. p. 155.*

trefactione orta, ſi uolatilia exceperis, conſideranda ſunt per ſe, atque extra corpus uiuum, uel intra corpus mortuum, ut res mortuae, et nullius motus. Atque haec ueritas, inſtar axiomatis mathematici, primum tenenda. In fluidis uero, quorum quaeuis particula eſt ſolida, inter tot alias proprietates, ſolummodo conſideramus figuram, quae, uel conſiſtit in particularum, fluidum componentium, acumine, uel earundem inertia. Vbi enim nullus angulus eſt in aliqua particula, ibi eſt ſphaera, et quamdiu ſphaerica figura permanet, liquida ſunt inertia, nullique nocentia. Atqui ex ſphaerica figura, in mille alias irregulares, calculus ducendus eſt.

Theſ. 2. Receſſus ergo a ſumma blanditie, ſeu ſphaerica fluidorum figura in uarios angulos *y*) uertitur, eosque, uel 1) mechanicos, uel 2) ſalinos receſſus, illosque iterum, uel alkalinos fixos, aut uolatiles, uel ſales ex his compoſitos; uel acidos fixos, aut uolatiles, uel ex his compoſitos, uel ſales muriaticos, ſeu ammoniacos. Vel 3) acria oleoſa. Quo referuntur alkohol uini, olea ambuſta, olea ſalina, ſeu ſales oleoſi. Vel 4) acres receſſus ſaponaceos, fixos, uel uolatiles. Huc pertinent omnia Venena animalium,

y) Vid. LEEVWENHOCKII, *Arcana Nat. detect. epiſtola I. Part. priore, a p. 3. ad 37. et epiſt. 9. Part. altera, a p. 119. ad 149.* et BOERHAAVE, *Inſtit. med. Pariſiis 1732. in 8uo ed. Pathol. §. 725. p. 237.*

lium, plantarum, arſenicalia, et ſulphurea. Quacunque uero figura haec omnia donata fuerint, per ſe nihil agunt, niſi ab alio moueantur. z)

Theſ. 3. Ergo uis uitae, hoc eſt, contractio cordis atque arteriarum, indeque reſultans uaſorum reliquorum omnium contractio, facit, ut uenena haec ſint corroſiua atque acria, omnesque hinc effectus reſultantes efficiant. Et quo fortius ſeſe ad motum cordis contrahunt reliqua uaſa, eo magis laeditur a Veneno corpus; ſed quo debilius, eo languidior uis Veneni ſentitur. Quod pariter probe notandum, cum absque hac cautela, toto erraremus coelo, in uiribus Venenorum explicandis, et determinandis.

Theſ. 4. Vim uitae appello, robur contractile cordis atque arteriarum, a quacunque demum cauſa robur illud oriatur, ſiue ab influxu liquidi alicuius ſpirituoſi per ſtamina neruoſa, ſiue a niſu fibrarum cor atque arterias conſtituentium, redeundi ad punctum aliquod internum. Conſenſu enim Mathematicorum, elaſticum illud corpus dicitur, quod extra locum ſuae quietis in quamcunque determinationem emotum, in nullo alio puncto ſibi iterum relictum, quieſcit,

z) Optime et diſtinctiſſime hanc theſin explicauit, et mathematicis demonſtrationibus probauit, BOERHAAVE, *tr. de uiribus medicamentorum, ed. ſec. Pariſiis 1726. in Suo cap. 5. §. 1. et ſequ. a p. 16. ad 24.*

quieſcit, quam quo ante deductionem quieuit. Niſi forte, quod interdum contingit, tamdiu ſimul et ſemel continuata fuit iſta deductio, ut fibrae oſcillantes tonum amittant priorem, ſe in priſtinum contractionis punctum reducendi, ſicque flacceſcant. Hanc elaſticitatem ueteres, docente GELLIO, *Noct. Att. l. 18. c. 10.* *σφυγμὸν* dixere, *quae eſt intenſio motus atque remiſſio in corde, et in arteria, naturalis, non arbitraria.* A Medicis autem ueteribus, oratione Graeca, ita definitus eſt; *σφυγμός ἐςὶ διαςολὴ καὶ συςολὴ ἀδιαίρετος a) ἀρτηρίας καὶ καρδίας. b)*

Th. 5. Sed poſita ui uitae, id eſt, ut iam dictum,

a) Merito hic, pro *ἀδιαίρετος*, ex Henrici Stephani emendatione, *ἀπροαίρετος*, reponitur.

b) Iisdem fere uerbis utitur AEGINETA, ita *σφυγμὸν*, *lib. 2. cap. 11.* deſcribens: *σφυγμός, κίνησίς ἐςι καρδίας καὶ ἀρτηριῶν, κατὰ διαςολὴν καὶ συςολὴν γιγνομένη.* His autem GELLIUS, medicos imperitos, genuinum pulſus fundamentum ignorantes, docendi ergo, uſus fuit; reſpicit quippe medici ſui imperitiam loquendi, qui Caluiſio Tauro narrans, quid incommodi pateretur Gellius, et quibus modulis, quibusque interuallis accederet febris, decederetque, potes, ſubiungebat demum, Taure, tu quoque id ipſum comprehendere: *ἐὰν ἅψῃ αὐτοῦ τῆς φλεβός*, hoc eſt, ſi attigeris uenam illius.

ctum, contractione et uibratione reciproca atque oſcillatoria partium omnium corporis fibroſarum, *Corroſiua et Acria, illa ſunt Venena, quae intro per os admiſſa, ac deglutita, labia, linguam, palatum, fauces, oeſophagum, uentriculum, et tubulum inteſtinalem, pro maiore ſua uel minore acredine, rigiditate, et pondere, particularumque ſuarum uel aculeata et acuminata figura, uel ancipiti ſpiculorum acie, per paruam ſuperficiem pungunt, fodicant, inflammant, excoriant, atque exulcerant; non quidem a ſe ipſis in hunc nocendi actum commota, ſed a ui contractili uaſorum, quibus fuerint applicata. c)*

Theſ. 6. Irritatis ergo ſic uentriculi uiſcerumque nerueis fibris, uel ſingultus, uel uomitus, uel febris, uel ſpaſmi conuulſiui, et ſuccuſſiones, oboriuntur, reliquis ſcilicet ſyſtematis neruoſi funiculis uaſorumque elaſticis filamentis, ex ſimili nempe principio neruoſo, prout reliqua ſtamina omnia partium omnium, deriuatis, in eundem anomalum conſenſum tractis; acribus uero, iterata fibratione, uaſa minima perforantibus, et tenuiſſima exprimentibus, diarrhoea

c) Vnde nulla dantur uenena abſolute talia, ſed omnia ſunt reſpectiua, uariaque uenenorum operatio, non tam a modo actiuitatis ſuae, ſed receptiuitatis potius, uti philoſophi loquuntur, dependet.

exſurgit ſeroſa, uel et dyſenteria, ſubſequente inteſtinorum tumore ulceroſo, fecumque aluinarum foetore teterrimo, poſt febrim iam excitatam, et partium ad partes attritum uehementem. *d*) Sed nec tantum huiusmodi Venena in praedictas corporis partes graſſantur, uerum etiam ipſum noſtrum uitalem liquorem, ipſiusque uaſa aggrediuntur, ex inteſtinis iam uel cum flumine liquidorum, uel eroſis uaſis, elapſa, uariaque ſcena, rodendo, coagulando, uel et reſoluendo ſanguinem, tragoediam ſuam abſoluunt.

Theſ. 7. Res autem, quæ corpus per acredinem ſuam laedunt, uel ſunt mechanicae, atque ab artifice aliquo in eam nocendi figuram efformatae; uel commode diuidi poſſunt in ſalia duplicis generis, *Fixa* aut *Volatilia.* Animalium nempe et Plantarum Venena ſunt Vola-

d) Ex his ſatis patet, quam abſona ſit eorum ſententia, et conſilium, qui, in diarrhoeae, uel, quod maius adhuc eſt, in dyſenteriae medela, rhabarbaro, et aliis purgantibus, de alcalini acrimonia ſalis participantius, utuntur; hic quippe de ſalibus acribus corrigendis, temperandis, implicandis, eluendis, haud exaſperandis, uel retinendis, medicum decet ſollicitum eſſe; unde, euitatis, quibusuis acribus, ſola oleoſa ſimplicia, demulcentia, ac ſeroſa, emolliendo, euacuantia, in praeſenti ſtatu, caſuque, optimorum titulum remediorum, promerentur.

Volatilia, et motu gaudent ſpontaneo, motumque, quem a ſuo acceperunt eiaculatore, aliquandiu conſeruant. Sed eadem, motu proprio ſufflaminato, conſideranda ſunt, inſtar rei mortuae, alio motore opus habentis, et plerumque non amplius nocent, exhalatis uolatilibus, in quibus uis nociua conſiſtit. Fixa uero, Metallica et ponderoſa Venena, nullum habent motum ſpontaneum, nec in igne ſunt diſſipabilia, cum priora habeant, (a quacunque demum cauſa motus ille oriatur,) et ſint maxime tenuium partium, in modis tamen et figuris ſuae extenſionis, utraque a ſe inuicem etiam diſcrepantia, aliis forte per acutum, aliis per obtuſum, aliis per rectum angulum, in corpus per uim uitæ ipſius corporis agentibus. *e*)

e) His illuſtrandis ſeruit Corollarium Boerhavii, *tr. de uiribus medic. ed. cit. Proleg. cap. 5. p. 24. corall.* 2. aſſerentis, quod acria effectus ſuos in corporibus noſtris partim ui propriae ſubſtantiae et figurae, partimque ui motus fluidorum arietantium, producant; quieſcente quippe liquido, nullus ſequitur effectus, utcunque aptum ſit medicamentum, uel uenenum acre, ad effectum producendum, quod hoc exemplo illuſtratur: ſcalpellum digito applicatum, licet ſatis aptum ſit ad ſecandum, nil tamen agit, niſi impellatur, uel ad agendum excitetur.

Theſ. 8. Aſſignarunt quidem Auctores cuicunque ſalium generi ſuam certam et peculiarem figuram, cryſtallosque uarias, miniſterio praeſertim microſcopiorum in minimis ſuis glebulis detectas: utpote ſali communi figuram cubicam, alumini octoedricam, nitro pyramidalem et priſmaticam, uitriolo rhomboicam, ammoniaco ſali hexagonam cuſpidulam, ſed plurimum uariantem, ſali calcario cryſtallos tenues et longas, parte media parallelogramma, et altero triangulari mucronato, altero uero, plano quadrato, ut Cl. *Willis* adſerit, *de ferment. c. 12. p. m. 92.* et ex illo *Fracaſſatus Exerc. Epiſt. de Lingu. p. m. 138. et 152. Liſter, de Therm. et Font. Med. Angl. Exerc. 1. c. 1. et Guilielminus, Diſſ. Epiſt. de ſalibus n. 17. 127. 128. 129. et 130. f)*

Theſ.

f) Huius loci quoque ſunt, quae ANTONIVS a LEEVWENHOEK, de ſale et anguillis in aceto uini, ac de ſalinarum et aquearum particularum exilitate, de ſale diuerſorum uinorum, de ſale abſinthii, cardui benedicti, aluminis, de nitro, chalcantho Cypri, ſiue uitriolo caeruleo, liquore tartari, cinere ſmectico, ſiue ollari ex Muſcouia, camphora, ſale ſiue cinere ex fornace fuſoriae officinae tormentorum aeneorum, ſiue bombardarum, ſale ſiue cinere ex ſtanni ſiue plumbi fornace, ſale in calce lapidea, ſale in calce ex conchis combuſtis confecta, ſale ſoudae Angli-

Theſ. 9. Quaecunque tamen figura ſit, pungendo interim, et ſcindendo, operari iſta ſalia, ſi uis uitae acceſſerit, abunde ſatis effectus loquitur. Namque, cum ex fixo, tum uolatili ſpiculo, inter fibras corporis uiui elaſticas interpoſito, uas ex illis fibris oſcillantibus conſtans, oſcillabit, liquido canalis, a corde protruſo, in ſpiculi extremitatem eminentem, prout clauum malleus trudit, inſultante, et ipſum pro momento ſui ipſius motus adigente; adiuuante quoque aliquando ſalis uolatilis motu ſpontaneo.

Theſ. 10. Ita quidem, ut, ſi acredines hae fuerint leues, aut obtuſiores, inpulſusque etiam leuis ipſius fluidi, ſolidumque, cui aculeus iam inhaeret, fuerit flaccidum, titillatio tantum oriatur, et nullum nocumentum inſigne, idque et intra ſanguineos canales, ac extra eosdem. Ex maiori autem particularum infixarum acie, rigiditate, fixitate, et pondere, partisque ſolidae maiori reſiſtentia, ſiue tenſione, et liquidi incumbentis fortiore incurſu, ruptio fiat et ſolutio continui, ſeu ſolidi corroſio; extremitate ſcilicet harum particularum una mota, altera manente fixa, ad inſtar uectis mechanici, accedente ui, ab una parte deſcendentis, ab altera uero, qua infixus haeret, cum eo, quod

 ſibi

canae, ſale ammoniaco, in *Arcanis naturae detectis, Part. 1. epiſt. 1. p. 3. et ſequ. et Part. 2. epiſt. 9. p. 119.* habet.

ſibi incumbit, adſcendentis, rima interpoſita, quae contiguum diſtinguit. Conf. Cl. *Bellini*, *de Morb. cap. de Dolor. p. m. 596. et de ſtimul. p. 247. et ſequ.*

Theſ. 11. Dixi, Salia Volatilia habere in ſe agendi potentiam, a cauſa nobis non adeo nota atque explicabili. *g*) Si enim dixiſſem, hunc motum ab aethere quodam coeleſti, neque adhuc alicui uiſo, nec cognito, dependere, nihil certe iſto ſophiſmate explicarem, ſolummodo reconditae alicuius ſapientiae ſpeciem darem. Medicinae autem, ſeu Medicorum Collegio, illa certe inſcribi

g) Salium uolatilium agendi potentia, non aliunde, quam a ſpiculorum, ſolutu facilium, tenuitate, deriuanda; eadem igitur in corpus non agunt, niſi ſoluta a ſuccis, et ſolidis applicata. Vnde, ex demonſtratione Boerhaavii, *tr. de uir. med. Prolog. cap. 5. no. 4. et 5. p. 19.* ubicunque humorum in uaſa influxus ceſſat, ibi quoque perit, tum medicamentorum, tum uenenorum uis; inde eſt, quod cauſticum, aegris ad extrema redactis, et iam iam morituris, in quibus ſcilicet humorum circulatio, niſi in partibus cordi uicinis fiat, admotum, uix aut ne uix quidem agit; cum idem corpori ſano ac uegeto applicatum, intra bihorium operetur. In cadauere ergo, ubi omnia quieſcunt, particula infixa nullum ſortitur effectum. His adde ea, quae citatus auctor, *Inſtit. med. ed. cit. ſub. tit. antidotorum, a §. 1136. ad 1144. p. 327. et ſequ. affert.*

bi deberent uerba, quae ſuo Auditorio inſcripſit PLATO: Neminem nempe, Geometriae expertem, huc ingredi debere. Reliqua uero cauſtica fixiora, et ſpicula nobis noxia, plerumque per ſe, et in mortuo corpore, inertia ſunt, ſiue fuerint ingenio naturali acria, ſiue per ignem talia facta, uel mechanico opificum artificio laedendi figuras acceperint.

Theſ. 12. Ergo Venena, ponderoſa nempe et rigida, in ſe conſiderata, nihil agunt, ſed quatenus intra nos aſſumta, ab elaſtica et contractili ui noſtrorum ſolidorum in actiones maiores, uel minores, pro horum uario momento impulſus, uarie determinantur. Namque uolatilia agunt extra corpus noſtrum, ex cauſa non adeo nota, intra nos uero ex cauſa propemodum eadem. Fixa uero, in ſuperficie corporis noſtri a calore reſoluta, et uibrationibus fibrarum excepta, aut per alia media parti uulnerandae adacta, id agunt, quod ab ipſis timeri ſolet. Non aliter ac, ut in exemplo uideamus, culter, licet acutiſſimus, ſi proxime ſupra manum per ſe immobilis detineatur, non nocet; ſi uero acceſſerit potentia quaedam eum adigens, lacerabit partem, uulnere, pro diuerſitate ſuae figurae, et momento impreſſionis diuerſo.

Theſ. 13. Atque hoc ipſum eſt, quod CARDANVS, ſui temporis Medicus et Mathematicus celeber, *de Venen. l. 1. c. 1.* dicit, diſſerens hunc in modum: *et etiam, quia, ſi operan-*

tur in noſtrum corpus ; prius actum recipit a calore. Et *lib. 3. cap. 6. Dum natura in Venenum agit, etiam illud agit eodem medio in naturam. Quo circa in ualde ſenibus irrita ſit Venenorum natura, quoniam calor extinguitur. Venenum igitur agit, cum natura agit. b)* Per Calorem et Naturam uidetur mihi intellexiſſe actionem ſolidorum in Venena, cum nullus calor in nobis ſit, niſi, qui oriatur ex attritu ſolidorum ad ſolida, ſolidorumque ad fluida. Putant quidam hoc dependere a fermentatione quadam ſanguinis; ſed cum nulla in nobis, hoc eſt intra uaſa ſanguifera demonſtrari unquam poſſit fermentatio, ſed putrefactio,

b) Si principia, quae CARDANVS amplectebatur, attendamus, τὸ θερμὸν ἔμφυτον, ab HIPPOCRATE in ſcenam productum, erat illi natura, a cuius potentia, et actione uaria, uim et operationem uenenorum diuerſam deducebat; dehinc ſenibus, ex defectu calidi innati, maximam partem abſumti, irrito uenena ſucceſſu exhiberi, credebat, aſſerebat, cum potius languens ſolidorum motus, pituitoſique coaceruatio humoris, genuina huius phaenomeni, ſi reſpiciamus uenena acria, fundamenta ſint; nam, ob deficientes, ex allegatis cauſis, in ſenibus, uires, praeſentiſſimus atque exitioſiſſimus eſt uenenorum opiatorum, aliorumque, quae narcotica dicuntur, effectus.

ctio, cadit argumentum. Et omnis calor, qui in corporibus eſt fermentantibus, ex attritu eſt particularum ad ſe inuicem. *i*)

Theſ. 14. Vbi itaque acredo talis, per uias dictas uiſcerum, uel externa applicatione, aut morſu animalis uenenati, in corporis receſſus pertingens, alicui canali ſanguifero inſinuatur, plures lineae liquidi ſanguinei praeterfluentis, in acrem exſtantem particulam incurrentes, determinant actionem eius in unam partem, duoque ſic puncta fibrae motricis diſtantia in propiorem contactum adigunt, unde conuulſio oritur, et contractio, ita, ut quo uis liquidi incumbentis maior fuerit ac impetuoſior, quoque uis uitae elaſtica maior, et rigiditas, ac pertinacius in aculeo robur, eo effectus eiusdem erit ualidior ferociorque. Non tamen hoc ſic

 accipi

i) Si igitur, uti perhibet auctor, ex attritu particularum ad ſe inuicem, calor in corporibus fermentantibus oritur, neceſſario, praecipua fermentationis cauſa, in attritu particularum ad ſe inuicem, quaerenda. Iam uero, ex ſtatus praeternaturalis, febrium praeſertim, phaenomenis, notum, intendi hic admodum particularum ad ſe inuicem attritum, nullum igitur reſtat dubium, quo minus fermentatio, in morboſo hominum ſtatu, locum inueniat; et hoc eo magis, cum auctor putrefactionem in humano admittat corpore, quae, ſine antegreſſa fermentatione, uix concipi poteſt.

accipi uolo, quaſi liquidis intra uaſa contentis aliquis a me motus aſſignetur, qui ex ipſa liquidorum natura dependeat. *k*) Omnis enim, quem liquida habent, motus, a motoribus ſolidis dependet. Et uis illa incurrentium liquidorum in ſpiculum acre extra canalis ſuperficiem eminens, debetur unice ui ac robori contrahentium ſe ſolidorum, cordis et arteriarum.

Theſ. 15. Id tamen uere affirmari poteſt, acria iſta, cuiuscunque ſint indolis, Mechanicae, Acidae, uel Alkalinae, in uenis, ſiue uaſis cylindricis, ab anguſto in latum deſinentibus, non tantam uim exſerere, quantam in conicis, contraria ratione a lato in anguſtum exeuntibus, ſiue arteriis exercent, propter maiorem horum motum oſcillatorium in motricibus fibris, incurſusque liquidorum in uenis ſenſim atque ſenſim elangueſcentes, poſtquam anguſtos arteriarum conos, uenarumque exorientes cylindros pertranſierunt, acribus hac ratione in tranquillius flumen delatis. *l*) *Nam flumen*

k) Licet fluida peculiari motu non gaudeant, eadem tamen, eorumque uaria quantitas, ac qualitas, uarii, quem ſolida, fluidis rigata, atque irritata, exercent, motus, principia atque auctores exiſtunt.

l) Quo de his certiorem et diſtinctiorem conceptum acquiras, legas, neceſſe eſt, BOERHAVII citatum tractatum, de uiribus medicamentorum, praeſertim ea, quae in Prolegomenis, capite ter-

ſlumen, quo latius fuſum eſt, hoc placidius ſtagnat, quippe anguſtis ripis coercita, et in anguſtiorem aluum eliſa, torrentes aquas inuehunt; contra, ſpatio aluei, ſegnior curſus eſt, uerba ſunt *Alexandri Macedonis*, apud CVRTIVM *lib. 9. cap. 2.*

Theſ. 16. Enim uero, id iuxta tenendum eſt, quod proportio fluidi ad ſolidum, ſeſe habeat pro diametro uaſis, in quo fluidum mouetur. Hinc in canaliculis minoribus, multo maior fluidi in ſolidum, et ſolidi in fluidum, eſt actio atque incurſus, quia in his puncta omnia contactuum, inter uaſculorum latera et liquidorum ſuperficieculas magis multiplicantur, quam in maioribus atque amplioribus, commune licet hoc cum illis habentibus, ut ad ſe inuicem accedant, id eſt, oſcillent, ſiue ſe extendant, et rurſus contrahant; aequilibrio et reſiſtentia liquidorum et ſolidorum ſic ſemper mutatis. Elaſticae enim ſunt ſolidorum fibrae, et in tantum fluidis reſiſtuut, in quantum ab his premuntur atque extenduntur. Quaſi dixeris: uaſa in tantum ſe contrahunt, in quantum cor, proiectu ſanguinis, ea diſtendit. Hinc etiam explicari poteſt, cur omnem nimiam et ſubitaneam euacuationem ſequatur conuulſio; Liquidis

tio, quarto, quinto, et decimo, de natura fluidorum, ſolidorum, et acrium, ac de motu proiectili, commemorantur.

quidis enim ſubito depauperatis, magis ſolito et liberius ſe mouent Solida, et conuelluntur, cum debitam a fluidis reſiſtentiam ſic non excipiant.

Theſ.17. Aureum igitur HIPPOCRATIS eſt effatum, in *Praenotionibus Coacis, p. m. 667. Corpora exercitata ac denſa citius a pleuriticis ac peripneumoniacis morbis perire, quam inexercitata.* m) HIPPOCRATIS inquam, qui, ſi quis alius, illud meruit encomium, quod *Idomeneus*, Cretenſium Princeps, apud *Homerum, lib. 2. Iliad.* Machaoni a Paride uulnerato attribuit:

Ιητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Et *Celſus Praef. lib. 1. Virum et arte et facundia inſignem* proclamat. *Erat enim cum prudentia doctus, in experientia et obſeruatione multus, non uerba aut methodos captans, ſed neruos tantum ſcientiae ſeparans et proponens,*

m) Haec Hippocratis ſententia, ex ipſo illuſtratur Hippocrate, ſequentia, Sect. I. aphor. 3. afferente: ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν· οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν· ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐδέ τι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον. Τουτέων οὖν εἵνεκα τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λάβῃ τὸ σῶμα.

nens, ut loquitur VERVLAMIVS, *Hiſt. Vit. et Mort. Art.* 5. *n.* 19. In obſeruanda natura, eiusque momentis et uiribus, totus, quantus erat, unice occupatus. Vnde etiam, quod ab Athenienſibus et Illyriis imminentem peſtem, ſuccenſis nemoribus, ut *Acron* ille *Agrigentinus*, auertiſſet, plurimaque alia egregia facinora patraſſet, Graecia ei ſtatuam, pileo capite tecto, locauit, aequalesque cum Hercule honores decreuit, ut Herculem, monſtrorum, ita *Hippocratem*, morborum domitorem deſignando. Atque hunc optimum ſcriptorem, quicunque eſtis Medici, mecum *n*)

Nocturna uerſate manu, uerſate diurna.

Sed tamen ex antea dictis ſequitur bona cum conſequentia: robuſta corpora, quae uiuidius oſcillant, uimque uitae maiorem poſſident, acribus Venenis prius oppetere mortem, quam debilia, tarda et flaccida.

Theſ. 18. Hoc, licet multis forte parodoxum uidebitur, ad partium mechanicam compagem, et uillorum elaſticam fabricam, motuumque leges, non attendentibus, confirmatur tamen exinde quam plurimum, quod ruſtici, artifices, aliique athletico et robuſto habitu gaudentes, peius

n) Idem meum quoque eſt conſilium, ſed quis idem attendit; nimis obſoletus plurimis eſt Hippocrates; plures graecae latinaeque linguae expertes, nec legere, nec intelligere poſſunt Hippocratis ſcripta.

peius multo habeant ex aſſumto purgante acri, quam qui delicatiorem, otioſam et ſegnem degunt uitam: contrahentibus ſcilicet in illis, ob repetitas frequentius corporis exercitationes, intenſe et fortiter uillorum inteſtinalium elateribus, et uehementius in pharmacum impulſantibus; in his uero, torpente magis fibrarum oſcillatione, laxisque canalibus, medicamenti ſtimulus uel non ſentitur, uel parum, aut ſi mouenda omnino ſit aluus, ſtrenuiora arma ſint neceſſaria. Optime *Celſus de Med. lib 1. c. 1.* inquit: *Ea corpora, quae more athleticorum repleta ſunt, celerrime et ſeneſcunt, et aegrotant.* o) Inſtar enim lemmatis eſt mathematici, quo uehementius corpora elaſtica, extra locum ſuae quietis deducuntur, quoque uehe-

o) Huius ſententiae explicationem uberiorem ſuppeditauit Hippocrates, aphoriſmo iam citato tertio, ſectionis primae. Praeterea hic inſpicere decet, quae Celſus de intermiſſo, propter ciuiles aliquas neceſſitates, exercitationis ordine, et hinc prouenientibus incommodis, praemiſit. His enim ponderatis, conſtabit, hic heluones deſides, qui corpus pluribus onerant potulentis, atque alimentis, ac qui, ob neglectum corporis exercitium, plures hinc in uniuerſo corpore accumulando impuritates, ſolidorum proſternunt tonum, et exinde in leucophlegmatiam, aliasque ſimiles infirmitates incidentes, praematurae ſenectae, mortisque auctores exiſtunt.

uehementius renituntur, eo etiam uelocius ſibi relicta reſiliunt, ualidiusque percutiunt. Atque hoc ipſum eſt, quod in elegantiſſimo ſuo *libro de morbis artificum cap. 41.* annotauit Cl. *Ramazzini*, ruſticanam gentem magna remedia difficilius tolerare, quam urbanam. *p*)

Theſ. 19. Vnde et ſaepius obſeruatum fuit, leucophlegmaticos, cachecticos, melancholicos, ſcorbuticos, aliosque debili uiſcerum tono, atque infarctu eorundem laborantes, a mediocri pharmaci purgantis doſi nullatenus moueri; nec ipſos quidem febri intermittente tertiana occupatos, purgari, ab accepto, per inter-

p) Non ſine limitatione haec ſententia accipienda, ſi enim ruſticos ſucci plenos, plethoricos imprimis, ac rigidioribus neruis praeditos curandos habes, tum certe peſſime illis conſuleres, ſi, omiſſa uenae ſectione, draſtica illis exhiberes purgantia; ſed plures ex iisdem, caſeo, butyro, leguminibus, oleribus, lacte et lacticiniis ueſcentes, aquamque ſimplicem bibentes, tantam humorum craſſorum copiam colligunt, ut iisdem, praeſertim ita dicta pituita uitrea, totus canalis alimentorum ſit obſeſſus, ut etiam fortiſſima emetica, et purgantia, largiori, quam decet, doſi, exhibita, nullum plane edant effectum. Noui ita ruſticos, quibus, ſucceſſiue, unico die, grana quindecim, imo uiginti tartari emetici, ſine ullo ſenſu, et operatione ſubſequente, exhibita fuerunt.

termittens febris ſpatium, pharmaco, aluum ducturo, ſaepius eſt animaduerſum; poſtquam uero ex acredine aliqua morbi ſtimulante, uel morbifica materia ipſa iam exacuata, uilli omnes et fibrae uaſorum membranoſae fuerint ſuccuſſae, inque horrores et oſcillationes crebriores concitatae, purgantem medicinam fortius impulſauerint, aluinae feces ſatis copioſe ſunt reiectae. Et CELSVS, *lib. 2. cap. 18. omne uomitorium, praecipue ex helleboro albo, non ſemper aegris prodeſſe, ſanis ſemper nocere*, dixit. Hinc quoque docemur, purgantium medicamentorum certam doſin non dari, nec reſcribi poſſe ad quendam granorum, ſcriptulorum, uel drachmarum numerum, intra quem conſiſtere liceat, ſupra quem transgredi non poſſimus. *q*) Sed niſi exactiſſima habeatur notitia,

q) Quemadmodum uero, non eadem doſis remedii purgantis, omnibus conducit, et ſufficit, ita multo minus unum idemque remedium omnibus congruum atque utile eſt. Hoc ſedulo illi obſeruent medici, qui, more circumforaneorum, tum in ſcriptis ſuis, tum peculiaribus hunc in finem editis ſchedulis, ſuas pilulas polychreſtas, promiſcue, tanquam panaceas, aut animam rhabarbari, uel magneſiam, aut cremorem tartari, ut remedia, omnibus peraeque ſubiectis, ſanis et aegrotis, accommodata, commendant; maxime enim inter ſe differunt corpora, ac haud leue inter ſolida fluidaque, quibus humani compages

tia ſolidorum oſcillantium, et elaſticitatis, in corpore purgando, quae uix in principio haberi poteſt, omnem illam pharmacorum dandorum quantitatem, ſcientiſſimo licet Medico, eſſe coniecturalem, atque idcirco male quosdam accuſari, quod ueteribus ſolitam doſin uel non attigerint, uel ſuperarint, cum nulla lex uel ſcribi in hoc caſu debeat, uel a prudenti Mechanico Medico recipi.

Theſ. 20. Quamobrem inter mille homines, ne duos quidem facie ſimiles, ſi deprehendere ſit impoſſibile, quanto maiorem putemus diuerſitatem, in naturis ipſis, et partium organicarum ingenio? *Quod autem particularis ſolidorum ſtructura faciat, ut ea pro uarietate ſtructurae uniuscuiusque uarie reſiſtant in ſuis motibus, funium experimenta abunde nos docent; aliam enim reſiſtentiam et uim*

D ba-

corporis coagmentata conſtat, diſcrimen intercedit; differunt non minus a ſe inuicem uitae uictusque genera, et conſuetudines; hinc impoſſibilis humana arte huiusmodi pilularum praeparatio eſt, quae tuendae omnium ſanitati, et quibusuis morbis extirpandis, ſatisfaciant. Ita plures noui uidique homines, qui perfecte ſani, ex uſu pilularum Stahlianarum, adeo laudatarum, in pertinacem alui conſtipationem, fluxum haemorrhoidalem ſymptomaticum, febres continuas, et alia grauiora mala, inciderunt.

habent funes, lino, cannabe, ſericoque, aliam uero lana, animalium inteſtinis, ramisque arborum, contexti, uerba ſunt Cl. BAGLIVII, *de Fibr. Motr. lib. 1. cap. 7. p. m. 57.* Proinde obſeruauit ſedulus naturae contemplator, *Diuus* HIPPOCRATES, *Epid. 6. Sect. 7.* ancillas et uiros ex angina citius et plures obiiſſe, quam paruulos. (*r*) Et *Aphoriſm. 16. lib. 4.* Veratrum periculoſum eſſe ſanas carnes habentibus, (*ſ*) conuulſionemque inducere; quod

r) Idem quotidiana adhuc hodie confirmat experientia, qua docemur, frequentius iuuenes plethoricos, ita dictos ſanguineos, febribus continuis affici, iisque maiori periculo decumbere, quam ſenes, infantes, et phlegmaticos iuuenes. His explicandis pariter ſeruit aphoriſmus Hippocratis trigeſimus nonus, ſectionis ſecundae, ſequentis tenoris: *οἱ πρεσβύται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον· ὅσα δ᾽ ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γένηται, τὰ πολλὰ συναποθνήσκει.* Eandem, nec aliam, Cous noſter agnoſcit cauſam, *Sect. 5. aphor. 9. et Sect. 8. aphor. 7.* ex qua, phtiſin, adoleſcentibus, ab anno decimo octauo ad trigeſimum, et trigeſimum quintum, familiarem, et fatalem, pronunciat.

ſ) Cauendum omnino eſt, CELSI eſt regula, *in fine capitis primi, libri primi*, ne in ſecunda ualetudine, aduerſae praeſidia conſumantur. Nihil unquam, ſine urgentium praeſentia indicio-

quod et in *Epiſtola, de Veratri uſu*, inculcat: Sic multifaria conſtat experientia, illos, qui minus firma ualetudine per totam uitam diuexantur, ut plurimum diutius imbecillem ducere ſpiritum, frequentiusque ad canam peruenire ſenectutem, quam qui ſanguineo, carnoſo, toroſo, et robuſto temperamento praediti ſunt. Quia in his uitae uis maior eſt, faciliusque ſic et cum impetu totam deſtruit machinam; (uiuendo enim morimur,) in illis autem languidius corpus deteritur. Ergo maxima uis reſiſtendi morbis, ſanitatem ſummam haud deſignat, cum corpus maxime ſanum conſtantiam quidem habeat, ſed habeat iuxta mobilitatem. Ergo ſaniſſimi ſunt morbis uiciniſſimi, ipſique morti prius obnoxii, quam animo et corpore languidi. Exclamandum itaque cum *Naſone, l.7. Metam.*

rum, prudens ſuſcipiat medicus; quid uero dementius, quam hominibus bene conſtitutis, ſordium expertibus, et robuſtis, draſtica purgantia, ex quorum catalogo helleborus, exhibere? Ab huiusmodi enim remedio hic nulla utilitas, certa uero expectanda pernicies; deeſt primum materia peccans euacuanda, hinc deinceps huiusmodi remedium acre, ſuccis corporis noſtri ſolutum, ſolidisque applicatum, maiori impetu in uaſa uiſceraque agens, fluida nimis diſſoluendo, ſolida erodendo, maximam labem, et repentinam haud raro mortem, afferunt. conf. *Toxicologia noſtra, lib. 1. §. 17. p. 16. et 17.*

Vſque adeo nulla eſt ſincera uoluptas,
Sollicitumque aliquid laetis interuenit.

Theſ. 21. Hinc homines ſaniſſimi, ſi potauerint Venenum, breuiori tempore moriantur, neceſſe eſt, quam debiles et languidi, *t*) certiſſimo naturae elogio: uaſis ſcilicet elaſticis in illis fortiter in Venenum impingentibus, unde et grauiter laeduntur; in his uero, cum uaſa omnia tardius ſeſe moueant, et debilius, omni ſymptomate exiſtente mitiori. Perpulcre, CELSVS, HIPPOCRATES LATINVS, *lib. 2. c. 1.* longis morbis ſenectutem, acutis *u*) contra adoleſcentiam magis patere, adſerit. Etenim, quo in humano corpore uis uitae magis augetur, id eſt, quo cordis muſculus et uaſorum latera in crebriores oſcillationes per aliquem ſtimulum concitantur, eo mors eſt propinquior; nam liquida ſic reſoluuntur plus iuſto, et facile uel exhalant tenuiſſima, remanentibus craſſioribus, uel motu, attrituque continuo

t) Intelligit hic auctor, uenenum acre atque erodens; nam aliter plane ſe res habet cum uiſcidis, terreis, gypſeis, et narcoticis, ex quorum uſu, certius et citius detrimentum in debiles et languidos, quam robuſtos, redundat; unde HIPPOCRATIS ſententia, *Sect. 2. apobr. 40.* βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν οὐ πεπαίνονται.

u) Horum catalogum HIPPOCRATES ſuppeditat, *Sect. 3. aphor. 29. 30. et 31.*

nuo hinc accelerato, alkaleſcunt acerrime; ſolida autem uel rumpuntur, uel flacceſcunt.

Theſ. 22. Exinde quoque deducitur, circa illa loca, ubi maior eſt uis uitae, id eſt, contractio ſolidorum ad fluida, et fluidorum renitentia in ſolida, eſſe maximos ueneni effectus. Hinc a quocunque acido, alkalino, mechanicoue, in ipſo corde, et per arteriae uiciniam, grumi ſanguinei, eiusdem nigredo, polypi, et ſolidorum ſolutio, praeprimis conſpiciuntur. Et HIPPOCRATES, *de Nat. Homin. n.* 19. uel quiuis alius, iſtius tractatuli auctor, morbos a fortiſſima corporis parte, grauiſſimos exiſtere, ait. Vnde et uidemus illos, qui optima fruebantur ualetudine, et colore faciei erant ruberrimo, ſi forte in morbum inciderint, deterius laborare, et pauciſſimo tempore perire; aliis flaccidioribus, per multos ſaepe annos, aegritudini, uel exitioſiſſimae, reluctantibus.

Theſ. 23. Sicuti parili modo conſpicimus, chronico aliquo morbo et debili uiſcerum elaſticitate laborantes, non tam cito aliquo corripi contagio, quodcunque demum et illud fuerit, ſeu febrium, ſeu luis uenereae, quam illos, qui ſanitate liberaliſſima laetantur. Et HIPPOCRATES, *Epid. 6. Sect. 6.* Quartana correptos, a magno morbo non corripi, (*x*) ait.

x) Imo, a magnis morbis plane liberari, perhibet, uti ſequentia HIPPOCRATIS uerba euincunt: *τῶν πυρετῶν ἀσφαλέςατος πάντων, καὶ*

Quo referenda ueniunt egregia loca eiusdem, *de morb. lib. 1. n. 34. et 35.* de ſenibus et iuuenibus, uiris et mulieribus, diuerſimode morbo laborantibus. Porro obſeruante CARDANO, *de Venen. lib. 1. cap. 12.* ſenes difficilius et rarius contagio afficiuntur, quam iuuenes. Obſeruaui quoque et ego aliquoties in praxi, etiam ex propria aegrorum confeſſione, gonorrhoeam uirulentam, multo truculentius prima,

---

ῥηιστος καὶ μακρότατος ὁ τεταρταῖος, ἀλλὰ καὶ νοσημάτων μεγάλων ἄλλων ῥύεται. uid. SPONIVS, *aphor. nou. ſect. 3. §. 76. p. 172.* Cum autem auctor antecedentibus perhibeat, quod morbis chronicis laborantes, a quouis, etiam luis uenereae, contagio, liberi tutique ſint, hoc praecipue monendum eſſe duxi, multa apud auctores paſſim extare exempla, multaque quotidie adhuc occurrere, quibus docemur, quod frequenter etiam phlegmatici, debiles, et chronicis affecti morbis, gonorrhoea uirulenta, et ipſa lue uenerea confirmata corripiantur; nec rarae ſunt obſeruationes eorum, qui febre quartana et lue uenerea ſimul laborarunt, ita, ut febris quartana morbo gallico ſuccedens, et uehementer ſaeuiens, exhauriendo penitus cum ſuccis uitalibus uires, mortem attulerit. Refert pariter BALLONIVS, *l. 2. Epi. p. m. 131.* quendam, luis uenereae ſuſpectum, ac ſimul quartana laborantem, ex litu hydrargyri a quartana ſanatum fuiſſe.

prima, dum aliquem occupauit, uice, in penem graſſatam, quam ſecunda uel tertia; uaſis uirilis membri multo fortius ſe contrahentibus, et uehementius in uenenum agentibus, prima contagione, quam dum penis per morbum contractum deinceps flacceſcere incepit, Venenoque quadantenus aſſueſcere. (*y*) Verum hoc eſſe, non ſolum ipſa ratio dictitat, ſed aliquot etiam exemplis probari poſſet. Nec obeſt, ſiquis dicat, Venenum, ſubſecutis infectionibus, non tam acre fuiſſe. Contrarium enim probari poteſt, tempusque fuiſſe aeſtatis calidiſſimum, et factum contagium, homine maxime ebrio, atque ex uini crapula febriente, ac catulliente. Eadem enim hic ratio eſt, ac quando aliquis ex iuſta purgantis doſi, prima uice aluum liberaliter ſoluit, ex repetita uero eadem parum uel nihil. Quidquid enim ſolidi in nobis eſt, poſt repetitam frequenter

 ſui

y) Hic etiam diuerſam ueneni uenerei, magis minusque acris et corroſiui, indolem, conſiderandam eſſe, docent aegroti, qui, ex ſcorto non adeo impuro, gonorrhoeam uirulentam, prima uice contrahentes, leuiora incommoda experti, breui lenioribus euacuantibus tempore perfecte curati fuerunt; qui tamen deinceps in idem, ex impuro coitu, prolapſi malum, longe atrocioribus cruciati doloribus, iuſtam turpiſſimi uitii poenam luentes, in poſterum cautius mercari didicerunt.

ſui contractionem, flacceſcit. Ipſa quoque peſtis, tam commune, dum ingruit, malum, iuuenibus multo magis contingit, quam capulares aggreditur ſenes, et arida ſilicernia, citiusque proſternit. Et obſeruauit THVCYDIDES, belli dux, idem et hiſtoricus, coniuncta cum Marte amoeniſſima Pallade, diriſſimam illam omnium ſeculorum conſenſu Atticam Peſtilentiam, eundem hominem bis non corripuiſſe. *Bell. Peloponeſ. lib. 2.*

Theſ. 24. Ex quo mechaniſmo iuxta docemur, quam male dantur acria languentibus atque in agone conſtitutis aegrotis; z) tum enim non poſſunt eiusmodi medicinae ſperato cum ſucceſſu morbificam materiam, ob oſcillantis naturae

z) Talia, cordialium atque analepticorum titulo, ſaepe ab imperitis et lucri cupidis medicis, non confortandi ſaltem, ſed εὐθανασίαν quoque conciliandi fine, exhibentur. Recordor Archiatri, omnes morbos, ita dicto auro potabili ſuo, ex colophonia et aromatibus parato, curantis, qui, ad aegrotam, nobili ſatam ſtirpe, iam iam morientem, et omni ſenſu, caloreque, et colore naturali orbatam, accedens, eidem guttas quasdam ſui auri potabilis inſtillabat, atque interrogatus, cur hoc faceret, reſpondebat: ſuum aurum potabile, non modo ſanis aegrotisque, uiſcera neruosque roborando, et ſanguinem depurando, prodeſſe, ſed idem quoque, mortem facilem dulcemque reddere.

naturae defectum, ad ulla amandare emunctoria, ſed in illis, quae adhuc aliquid motus reliqui habent, partibus uidelicet, cordi et cerebello uicinioribus, anxietates excitant atque anguſtias, cum uita modo exulaturas, et terminandas. Sic aqua fortis carnem quidem mortuam arrodit, ſi acceſſerit calor mouens, longiori tamen tempore, et minori multo cum efficacia, quam uiuam motusque compotem. *Quare conare, ut Phyſicus ſis, ad hominis habitum ac robur reſpiciens: ex his enim nullus eſt, qui non omnia ad amuſſim faciat*, optimum eſt HIPPOCRATIS monitum, *de Steril. n. 18.*

Theſ. 25. Sanguinem uero haec corroſiua atque acria Venena coagulant, eius globulos et totam miſturam diſcerpendo, ut tenuiſſimus appareat primo momento ſanguis, ſed mox per lateralia uaſa liquidiſſimis amandatis, coeat per arterias, & craſſior, ſic loca anguſtiora diſſicilius traiiciat; uel globulos ſanguineos, inſtar tot clauorum aut cuneorum mechanicorum, transfigendo, ſicque ineptiorem ſanguinem ad motum reddendo, non aliter ac ligneae ſphaerulae aciculis transfixae, ſi cum aliis ſimiliter ſtilo perterebratis motu ferrentur inteſtino, ad id ineptae eſſent, atque inidoneae. Conſtat namque experimento, ſanguinis globulos rubros, nihil aliud eſſe, quam olei uolatilis quasdam guttulas, fortiſſime rotatas circa ſuum centrum.

Qui globuli, dum diſcerpuntur, uel ex uiru, uel motu attritus inteſtino, non aliter ſeſe ſanguis habet, ac quidem baccae myrtillorum rubrae, quae piſtillo contuſae, pultaceam formam adipiſcuntur, liquidis a craſſioribus ita ſeparatis, mutuoque partium ſanguinem componentium uinculo diſſoluto, ut ſanguinis quaedam pars tenuiſſima, uini rubelli, uel carnium loturae inſtar, a uenis recipiatur, craſſiores uero particulae, ſui iuris iam factae, et combinatae, hinc inde in arteriarum anguſta capillaria ſecedentes, uiam ad obſtructiones ſternant ineuitabilem, uel etiam denſiſſime grumeſcentes, in magnis arteriarum cauis, et cordis uentriculis, ſtagnent, ac detineantur. *a*) Quae quidem

a) Hinc patet ratio, cur homines ſani et plethorici, tam facili negotio, ex motus, uolatiliumque medicamentorum et potulentorum abuſu, inflammationem, febresque acutas ſibi accerſant, iisque pereant. Haec fata, ante aliquot annos, iuuenis Argentoratenſis, Theologiae ſtudioſus, habebat; ille quippe, dolore dentium, quem pro catarrho habebat, affectus, accepto, uſurpatoque ſpiritu bezoardico Busſii, neglectaque uenaeſectione, hic adeo neceſſaria, in acutiſſimam febrem continuam incidebat, quae peruigilio, conuulſionibus, delirio, ſtipata, tertio die, mortem, cum extraordinaria cordis palpitatione, et procul auribus percipienda, afferebat.

dem pelliculae, ſeu ſerum ſanguinis coagulatum, dum adhuc confuſae ſanguini meabili ſunt, ſaepe in uenaeſectionibus conſpiciuntur, praeſertim in morbis inflammatoriis, ac certum ſanguinis inflammati praebent indicium. Et, ſi ſanguinem adcurato microſcopio rite adplicueris, globuli ſanguinei, cum medio puncto ſubcroceo, conſpiciuntur quidem; ſi uero flatu uehementiore idem ille in uitro examinatorio ſanguis fuerit percuſſus, iterumque ad oculum examinatus, perierat tum iſta rotunditas globulorum, atque nihil niſi continua pellicula ſubfuſca, totum obuelans uitrum, oculis pateſcit.

Theſ. 26. Vetus fuit, ut ſupra memini, Venenorum in Calida, Frigida, et Putrefacientia, diuiſio. Calida dicebantur erodere partes ſolidas; Frigida uero ſola coagulare ſanguinem. Sed ab utroque, et calido, et frigido, ſanguis cogitur. Dantur quidem Venena actu frigida, ut omnia ex metallis, ſunt tamen corroſiua, nec ſanguini tantum, ſed etiam ſolidis inimica, ut experientia patet. Vnum ſolummodo proferunt mercurii crudi exemplum, quod quidem ſolida reſoluit, liquida tamen in immenſam tenuitatem extenuat, ut in ſaliuationibus uidere eſt. Sed idem ille mercurius, ſalibus acuatus, eadem liquida quam maxime coire facit. *b*)

Theſ.

b) Hoc non tam mercurius, quam ſalia acida corroſiua, quibus globuli mercuriales corroſi, in

Theſ. 27. Per acria itaque iſta, motum uaſorum oſcillatorium in corpore uiuo augentia, ſanguis et reſolui poteſt, dum plurimis canalium contractionibus in minores atque minores diuiditur particulas, quae uis ſaepe medicinam conſtituit; et iuxta quoque craſſeſcere, dum ex maiori calore corporis, per iſtum fluidorum ad ſolida attritum excitato, tenuiſſima exhalant, coeuntibus reliquis in offam grumoſam. *c*) Atque hoc ſenſu ego quidem potentiam Alkalinorum Venenorum concipio. Primo enim, dum uaſa ſeſe ad has acredines crebrius contrahunt, oritur iſte attritus, atque ex attritu foetor, ſanguisque primo quidem momento reſolutus et tenuis per caua arteriarum apparet; ſed, dum liqui-

acutiſſima ſpicula, per ſublimationem, aut aliam quamcunque operationem chymicam, degenerarunt, praeſtant, ita, ut eadem, accedente, quod a mercurio acceperunt, pondere, praeſentiſſimi, et remedia, et uenena, effectus, prouti uarie adhibentur, conſtituant.

c) Quae, et qualia, nimius motus, detrimenta, atque incommoda, afferat, quae, et quanta, ex iniectorum copia et pondere ſtragulorum, aut conclauis nimium calefacti calore, mala, tum in ſanis, tum aegrotis, febricitantibus praeſertim, oriantur, ex iis, quae erudite diſſeruit, ac dilucide demonſtrauit, auctor, haud obſcurum eſſe poteſt.

liquidiſſima ſic exhalant, coeunt reliqua, praeſertim circa uitalia, ubi uis uitae, ſeu uaſorum actio in acria, maior eſt: remanente interim diu liquiditate et tenuitate fluidorum in uenis, liquidiſſimam ſanguinis partem, ac per conos arteriarum meabilem, lymphamque reſiduam e lymphaticis eructatam, recipientibus. *d*) Serum tamen eſt, quod ab acribus in ſanguineam ingreſſis maſſam, ut plurimum petitur, experimentis docentibus, acria tam metallica, quam putrefactione orta, ſeroſam ſanguinis partem in magma, cocto ouo non diſpar, coagulare atque inſpiſſare.

Theſ. 28. Illud autem notabile eſt, nec praetereundum a me, quod corroſiua Venena metallica, ſeu ſalia iſta, et uitriola metallorum, aut ſemimetallorum acria et cauſtica, ex acri quodam acido ſpiritu, in ſubterraneis locis uaria metalla erodente, atque cum illis in uitriolum, ſiue ſal metallicum uarium, pro uarietate metalli, abeunte, in uitriola martis, aut ueneris, ſi haec metalla offenderit, in alumen, ſi cretam ad

d) Peſſimo igitur ſucceſſu, fatalique plane euentu, in tali rerum ſtatu inſtituitur uenae ſectio; reſidua enim maſſa tenui, ſeroſa, quae ex arteriis expreſſa uenis inhaeret, euacuata, et magis grumeſcat, condenſeturque reliquus ſanguis, et idem prorſus ſtagnet, aegrotique, uiribus fatiſcentibus, repentina pereant ſuffocatione, neceſſe eſt.

adprehenderit, aut ſecus, ut docent experimenta cum ſpiritu ſulphuris facta; quo, inquam, rigidiora fuerint et fixiora haec uitriola metallica, maiusque ſibi adiunctum habuerint pondus, licet figura ſit eadem cum uolatilibus, eo tamen uehementius ferociant, atque in corpus arietando, illud deſtruant, non ſecus ac cultellus, plumbea donatus cauda, ſi in parietem fuerit proiectus, potentius ictum infligit, fortiusque mouetur, quam qui plumea adpendice inſtructus, pari percuſſionis ui ac momento, eidem negotio adhiberetur. Rigiditas autem particularum, coniuncta cum acrimonia ac pondere, laedit malo inſanabili. Atque haec rigiditas eſt primaria Venenorum metallicorum indoles, per quam ſalia metallica et mineralia a corpore noſtro nunquam ſuperari poſſunt, nec unquam fieri noſtri. Non tamen crediderim, hoc Acidum Vniuerſale, eſſe materiam ſubtilem, igneam, acidam, ipſi ſolis aſtrorumque materiae congenerem, uti uolunt nonnulli.

Theſ. 29. Iſta uero metalla, quae quaſi omnino corrodi ſe patiuntur, atque immutari, uitriola dant non adeo quidem acria, ſubdulcis potius atque adſtringentis ſaporis, ut ſaturni ſal, ſeu ſacharum, non tamen ideo innocua aut imbellia *e*) ſunt, ut infra patebit. Huc per-

e) Haec quippe, non erodendo, ſed contrahendo, condenſando, atque obſtruendo, in corpus no-

pertinent et illa, quae quidem ſaepe numero non adeo notabili plaga partes excipiunt ſolidas internas, pulmonem tamen praecipue, atque ipſum ſanguinem, per eundem fluentem, inſpiratu recepta, eodem modo laedunt, idque multo celerius, quia uolatilia alkalina, putrefactione orta, in plurimis morbis uenena frequentiſſima diriſſimaque, quae tertium Venenorum genus, ueteribus memoratum, conſtituunt, nempe putrefacientium. Sed ſingula ſeorſim, prout communiter enumerari ſolent, corroſiua, et deinceps reliqua ſuo ordine, Venena, e triplici naturae regno, minerali, animali, et uegetabili, depromta, atque illis analoga, cum breui ſymptomatum, inde propullulantium, hiſtoria, et leuiſſimo curationis promptuario, ſpectemus. *f*)

CAPVT

ſtrum agunt; ex qua cauſa horum remediorum, quae in gonorrhoea ſimplici, pollutionibus nocturnis, hectica, et ſimilibus morbis, adhibentur, uſus, circumſpectus eſſe debet, ne, dum excretiones ſymptomaticas cohibere uolumus, mala immedicabilia excitando, uitam pluribus adhuc obruamus calamitatibus, et mortem acceleremus.

f) Eo ipſo, dum auctor noſter uenenorum naturam explicat, de eo maxime ſollicitus eſt, ut ſimul egregias eorum, in morbis Herculeis, uires, ab oculos ponat, ſecutus MELCHIOREM FRICCIVM, Medicum Vlmenſem, qui tractatum

Capvt Tertivm.

Venenorum Metallicorum et Mineralium indolem et uirtutes ſcrutatur.

Ac primo quidem, ut receptum ordinem ſequamur, *Corroſiuorum* omnium in minerali regno primipilus eſt *Mercurius*; Qui crudus homini adplicatus compagem tantum partium fluidarum corporis diuidit ac reſoluit in tenuem pituitam, liquidis quibuscunque etiam ſanguini rubro, in minimis uaſis obuiam factus, mirabili globulorum ſuorum exilitate, et diuiſibilitate, plus tamen in corporibus obſtructis et reſiſtentibus, ſed tamen ualidum cor habentibus. Quod autem currens hoc metallum, metallorumque omnium primum ens, talem inſtituat liquidorum et pituitae reſolutionem, uel, ſi aptius dicam, putrefactionem, clare apparet in ſputatoria cura, per idem introducta, ubi tantus ſaepe foetor, ut homines prae illo moriantur. *g*) Nec tantum ſanguinem ſic reſol-

egregium, *de Virtute Venenorum medica*, Vlmae in 8uo 1701. edidit, eoque rationibus et experimentis probauit, uenena interne externeque uſurpata, non eſſe noxia, ſed praeſtantiſſima remedia, et ultimum, in morbis deſperatis ac rebellibus, refugium, et ſacram quaſi anchoram.

g) Talis foetor, non in omnibus, hoc remedio, et hac medendi methodo utentibus, obſeruatur,

reſoluit et putrefacit, ſed etiam ſolida adeo interdum deſtruit, ut in partes dehiſcant diuerſas, atque abſumantur, ingenti cum foetore. Foetor autem nihil aliud eſt, quam contritus fluidorum et ſolidorum iuxta ſe inuicem: et quo pinguiores, eo magis foetent homines. Interdum uero ſanguinem ſua frigiditate ſubito condenſat, aliquando neruis, uel cerebro ipſi, incumbens metallum, paralyſin induxiſſe, conſtat, docentque etiamnum aurifabri. Bene ergo PLINIVS, *H. N. lib. 33. cap. 6. Mercurium* appellat Venenum rerum omnium; *b*) exeſt ac perrumpit uaſa, permanans tabe dira.

ſed iis duntaxat, qui dyſcraſia alcalina intenſiore, uel muriatica, atque internarum ulceribus partium, ex lue enatis uenerea, laborant; nam, ſi quis leucophlegmatia affectus, mercurium dulcem, ad immeabilis pituitae reſolutionem, adiuncto ſimul decocti lignorum et eſſentiae metallorum uſu, in auxilium uocet, nullus foetor, nulla materia putrida, ſed mera pituita, putridi odoris expers, tum per ſaliuam, tum per lotium eliminatur.

b) Iniuſte hic a PLINIO mercurius omnium rerum uenenum appellatur, cum ille ſolus, et ſibi relictus, innoxius plane ſit, et tuto, maximoque fructu, in iliacae medela paſſionis, adhibeatur. Ita enim, MASSARIA, CAPIVACCIO, PARAEO, MARIANO, EPIPHANIO FERDINANDO, ZACVTO LVSITANO, SYLVIO, RHODIO, VELSCHIO, ET HENRICO AB HEER,

Theſ. 2. Sed quaſi alias non noceret ſatis, per indu-

auctoribus et teſtibus, hydrargyrum in magna copia cum aqua hauſtum, praeſentiſſimam in iliaca attulit opem. Nec deeſt ratio, nam, ſi iliaca paſſio, ex inferiore inteſtini, ſuperiorem intrantis, parte, ortum duxit, mercurius uiuus ſuo pondere deturbat deorſum, quae in capacitate inteſtinorum detinentur, ac conuoluta ingreſſaque inteſtina extricans, loco ſuo ſituique priſtino reſtituit. Iis apprime quadrant, quae FRICCIVS, *tr. cit. de uirt. uenen. med. cap. 3. p. 97.* habet, mercurium crudum, inquit, uenenoſum eſſe, olim fuit creditum, quae uero opinio hodie apud medicos uix aſſenſum inueniet. Sciunt enim omnes, remedii huius aliquot uncias innoxie intra corpus aſſumi, et in hernioſis affectibus, iliaca et colica paſſione, non ſemel accidiſſe ſcio, quod magna mercurii crudi quantitas, per aliquot dies, ſine notabili moleſtia, in corpore delituerit. Vnde mercurius, ad legitimandum ſuum uſum in medicina, non opera et defenſione noſtra, uti reliqua uenena, opus habet, niſi quis, ad aſſerendam mercurii uenenoſitatem, ſaliuationes, ab eius uſu excitatas, non ſemper periculo carere, diceret; quod, licet negari nequeat, non tamen ad probandam uenenoſitatem eius ſufficit; quia nulla proſtant remedia, quae non quandoque periculum, ſi iisdem abutamur, creare poſſint, quæ tamen non iedeo uenena ſunt.

induſtriam hominum ſpiculis magis ſalinis inebriatus, atque in uitriola uaria, *praecipitatum* dictum *Album*, *Rubrum*, uel *Luteum*, ſeu *Turbith minerale*, eroſus, uel et *ſublimatus*, linguam, labiaque et os inflammat, ſtrangulat, guttur mordet et tumefacit, uomitum uehementer ciet, uentriculumque et ductum inteſtinalem ſaepe in tumorem magnum deducit, interdum usque ad crepaturam, cum dolore ſaeuiſſimo, ſuperiore uentriculi orificio et pyloro per dorſales fibras ſpasmodice contractis, aere uero intermedio elaſtico, qui alimentis inexſtiterat, ſeſe magis magisque ex calore loci expandente. Hoc enim ſymptoma fere ſemper fit, ubi ſpicula ſublimati mercurii, uel alius ualde acris pharmaci, intus uoluuntur,

et claſum nefas
Sine exitu luctatur, et quaerit uiam;

ut Theſei uerbis utar, de uiſceribus propriorum filiorum, ab Atreo necatorum fratre, comeſti loquitur apud Tragoedum, in *Thyeſtè Act. 5.*

Theſ. 3. Praeterea diutius ibidem commoratus, interiora excoriat, torminaque, dyſenteriam, aeſtum, ardorem, ſingultum, inquietem, anxietatem, 'ſyncopen, liquidorum coagulum, ſitim, ob coacta atque immeabilia facta liquida, et conuulſiones horrendas, excitat, idque tanto maiori cum uiolentia, quanto prae ceteris

omnibus, pondus grauiſſimum, gladiolis ſuis ſuperadditum, gerit. *i*)

Theſ. 4.

i) Valde, his in aprico poſitis, miror, a BONETO, *Mercur. compital. lib.* 19. *Sylloge de Purgant.* §. 50. mercurium ſublimatum et praecipitatum, phlegmagogis accenſeri, et pituitam reſoluendi euacuandique ſcopo, praeſcribi: ex chymicis, ſunt eius uerba, quae pituitam purgant, commendo ante omnia, ex mercurio, tam ſublimatione quam praecipitatione parata remedia, quorum alia maiore, alia minore doſi, ſoleant exhiberi, Nam ex ſublimatis, corroſiuus dictus, rarius ad granum unum, dulcis uero ad grana triginta, poteſt dari. Praecipitata uero, quo magis ſunt acido ſpiritu et igne diuturniore et fortiore fixata, eo maiore quantitate. Eandem ſententiam, ROLFINCIVS, *Method. general. p.* 106. SCHROEDERVS, *Pharmacop. lib.* 3. *cap.* 15. §. 2. ZACVTVS, *de medic. princip. lib.* 1. *p.* 130. DOLAEVS, *Encyclop. med. lib.* 3. *cap.* 19. *p.* 570. FORESTVS, *lib.* 32. *obſ.* 19. *in ſcholio, p.* 216. GRIMMIVS, *Ephem. Nat. Cur. Dec.* 2. *A.* 4. *obſ.* 58. MAYERNE, *Prax. lib.* 3. *cap.* 4. *et tr. de febr. cap.* 4. *p.* 60. *et* 61. fouent, et defendunt. Sed, cum medici chriſtiani et prudentis officium ſit, ut accommodatis partim, partim tutis utatur medicamentis, ſublimata uero et praecipitata mercurialia ex acriorum et corroſiuorum claſſe uenenorum ſint, merito ab allegatis diſſentio auctoribus, maximi rationibus mo-

Theſ. 4. Mercurius hic in fodinis Carniolenſibus, Carinthiacis, praecipue ad Idriam fluuium, Forolouienſibus, Tirolenſibus, Hungaricis, noſtris aliquando, Sahlbergenſibus et Lapponicis, ad Almadel Hiſpaniae, aliisque, interdum uiuus et currens Mercurius, Virgo dictus, interdum in minera ſua, uidelicet cinnabari, aliquando in maſſa quàdam ſaponacea, metallis adhaerente, reperitur, quae admiſtis cineribus clauellatis deſtillata, Mercurium fundunt. In monte, Gimnauoda dicto, ſex milliaribus Cracouia in Polonia diſtante, Mercurius ſponte, certis anni temporibus, in terrae ſuperficiem erumpit, praeſertim circa feſtum Ioannis Baptiſtae, multa grana, piſorum ad inſtar, in radicibus graminum ſe collegiſſe, ſcribit BEGVINVS, *Tyrocin. Chymic. lib. 2. cap. 13.* Sed in fodinis mercurialibus peſtilens uapor ſemper ſentitur, hinc operarii ueſicas faciebus adaptant. Quod uel ex ſulphure eſt, uel mercurio; ex utroque enim acidum ſpirat. Ex multis quoque montibus talis percipitur ſtrangulans fumus, quem Germani *Bergſchwaden*, noſtrates *Berganga*, uocant. Et in menſtruis acidis ſolutus, uel cum iisdem ſublimatus idem Mercurius, non melius reuera ſolutus eſt, quam

 ut

menti, ac funeſtis, quae internus horum uenenorum uſus, excitauit, experimentis, commotus, quae allegaui *Toxicologiae lib. 2. de uenenis acutis*, §. *10. 11. et 12. p. 14. 15. 16. et 17.*

ut poſſit additione alicuius alkali, acidum abſorbentis, ualido igne iterum recipi uiuus currensque, et in *liquoris aeterni uomicam*, ut Pliniana phraſi, *H. N. l. 33. c. 6.* utar, reduci: eſtque nihil prorſus aliud, quam ſingula particula mercurialis, inter ſingulam erodentis menſtrui particulam interpoſita.

Theſ. 5. Cui ualde conuenit in nocendi poteſtate, et uirtute, *Arſenicum naturale*, ſeu *Auripigmentum*, citrino praeditum colore, Riſagalla, uel Riſigallo Italis, Germanis et noſtris, *Rauſchgelb*, ſeu *Ryſſgehl* dictum: itemque *Arſenicum album*, ſeu cryſtallinum, ferox et ponderoſum Venénum, ſed per ſublimationem cum ſale communi, quaſi et hoc per ſe non ſatis laederet, paratum, et factitium; tum *Rubrum*, Sandarach Graecorum, et Realgar alias dictum, ex auripigmento atque albo arſenico ſimul percoctis, confectum, horumque minera, *Cobaltum*, ſeu *Cadmia metallica*; Quae quidem perfectum metallum non eſt, ſed ex halitibus metallicis, quos Germani *Bergſchwaden*, appellant, cum terrae quadam parte, concreta. Quomodo uero ex mineris ſublimetur Arſenicum, docuit *Kunckelius*, in *Arte Vitriaria*, ediditque, quantum ego ſcio, de hoc argumento, Diſſertationem Cl. *Ioan. Muys*, Vltraiecti 1679. et *Magnus Gabriel Block*, Noſtras, Harderouici 1691.

Theſ. 6.

Theſ. 6. Obſeruandum tamen eſt, ueteribus unam Arſenici ſpeciem notam fuiſſe, rubellam nempe, quam ideo Latini dixere Auripigmentum. *k*) Putantque Philoſophi, rectius dici Αρσενίκιον, quam Αρσένικον. Vim autem eius demonſtrare uoluerunt, quod ab ἄρσην, id eſt, maſculo, deriuarent. Hinc quoque ſymptomata exinde ſunt horrenda: nempe ſapor ſub-

k) Duorum iam arſenici generum mentionem fecit DIOSCORIDES, *Op. ed. Wechel. in fol. 1598. l. 5. c. 21. p. 372. et 373. ita de origine eorum, ac uiribus*, loquens: ἀρσένικον κατὰ τὰ αὐτὰ γεννᾶται μέταλλα τῇ σανδαράχῃ· ἄριστον γὰρ ἡγητέον τὸ πλακῶδες καὶ χρυσίζον τῇ χρόᾳ, τάς τε πλάκας λεπτιζομένας ἔχον, ὡς ἀεὶ ἐπικειμένας ἀλλήλαις· ἔστι δὲ ἀμιγὲς ἑτέρας φύσεως· τοιοῦτον δέ ἐστι τὸ γεννώμενον ἐν Μυσίᾳ τῇ ἐν Ἑλλησπόντῳ. Ἔστι δὲ αὐτοῦ δύο εἴδη, τὸ μὲν ἕν, οἷον προείρηται, τὸ δὲ ἄλλο βωλῶδες καὶ σανδαραχίζον τῇ χρόᾳ, ἐκ Πόντου καὶ Καππαδοκίας φερόμενον· δευτερεύει δὲ τοιοῦτον. Ὀπτᾶται δὲ οὕτως· ἐπ᾽ ὀστράκου καινοῦ ἐπερεισάμενος αὐτὸ, θὲς ἐπὶ διαπύρου ἄνθρακος, καὶ στρέφε συνεχῶς, ὡς δ᾽ ἂν πυρωθῇ καὶ μεταβάλλῃ, ψύξας καὶ λεάνας ἀποτίθεσο. Δύναμιν δὲ ἔχει σηπτικήν, τε καὶ στυπτικὴν, καὶ ἐσχαρωτικὴν μετὰ πυρώσεως καὶ βιαίου δήξεως, ἐστὶ δὲ καὶ τῶν στελλόντων. ψιλοῖ δὲ τρίχας.

auſterus, linguae ardor, aeſtuatio, tumor, anguſtiae, uomitus, abdominis tumor, uertigines, mentis emotiones, ſyncope, conuulſiones, ſitis, febris, inquies, oculi torui, feroces, anxietates incredibiles, quaſi coelum et terra aegris incumberet, penis erectio, ſuſpiria, ſingultus, et ſudores mox ante mortem frigidi. Et SENNERTVS, *lib. 6. part. 2. cap. 2.* de pictore narrat, quod, dum aperiret capſulam, in qua Realgar diu fuit adſeruatum, adducto infeliciter per nares halitu, correptus fuerit capitis uertigine et deliquio, tota eius facie inde extumeſcente. Externe etiam, ulceri pedis, ad grani pondus adplicatum, animi deliquia, ſyncopen, febrim, deliria, inquietudinem excitauit, teſte FABRICIO HILDANO, *lib. de Gangraena et ſphacelo, cap. 5.* *l*)

Theſ. 7.

l) Sincerum igitur WEPFERI, *lib. de cicut. aquat. cap. 21. hiſt. 13. in ſchol. 3.* et HOFFMANNI, *Claue in Shroederum, lib. 3. cap. 27.* conſilium, ſequi decet, qui nefas eſſe ducunt, arſenicum interne adhibere. His HELMONTIVS, *Diſpenſat. moderno, text. 52. p. 385.* et ZACVTVS, *Prax. hiſt. l. 2. c. 7.* ſubſcribunt. Quibus et meum addo calculum, uariis, de deleteria arſenici acrimonia, exemplis, a me, *Toxicologiae lib. 1. de uenenis lentis, §. 34. 35. et 36. p. 37. et ſequ.* allegatis, conuictus, quicquid etiam alii perhibeant auctores, ex quorum cohorte eſt FRICCIVS, qui nullus ue-

Theſ. 7. Horum effectus, cum ita non minus, ac ipſius Sublimati Mercurii, ſit crudelis ualde et corroſiuus, ita pariter ſemimetalli huius foſſoribus per fuligines, non ſecus ac Pompholyx in fornacibus colligitur, adſcendentes, peripneumonia, ſeu ſanguinis in pulmone ſtagnatio, eroſo eodem pulmone, et phitiſis, conciliatur, hominique non tantum exitioſa ſunt haec uenena, ſed ipſa quoque ueſtimenta lacerare, compertum eſt: *Smaltum* namque, ſeu *Coeruleum Amylum*, quod Noſtrates *Blatt Staerkelſe*, Nurus uero Wermlandiae *Styfwelſe*, Belgae *Styfbel*, appellant, ex Arſenici minera, cineribus clauellatis atque arena fuſili conflatum, quo foeminae ad leuiganda ſubtiliora lintea tam ſaepe utuntur, ipſa intra breue tempus lintea erodere, non aliter ac ſi totidem cultelli uel gladioli ictus repetitos in ueſtem iungerent, ipſis iam nunc mulierculis nocumenta inde ſumta notum fecerunt. Conf. RAMAZZINI, *de Morb. Artif. cap.* 23. Atque ego id quoque ſaepius noxium obſeruaui, quod dentur infantibus crepundia, ex rubro Arſenico, rubrum

retur affirmare, *l. c. cap.* 2. *a. p.* 33. *ad* 96. arſenicum, ſimiles cortici chinae habere uires, idemque, praeſentiſſimum et praeſtantiſſimum febrifugum eſſe, abarcendoque et tollendo putredinem, in cura peſtis, ulcerum malignorum, putridorum, cancroſorum, uerrucoſorum, ualde prodeſſe.

mentita colorem, quae infantes, ſicut omnia, ori ſuo admouent, nec ſine periculo lingunt. *m*) Quale exemplum Cl. WEPFFERVS, ex HENR. SCRETA, refert, de *Cicut. Aquat. cap. 20. Hiſt. 8. p. m. 282.* de infante, qui aſſerculum, uiridi colore, ex ſandaracha et glaſto Indico confecto, tinctum, ori admouet, quo facies et lingua uirore conſpurcantur, atque ex deglutitis ſequitur aeſtus et ſitis immanis, et uomitus, et conuulſiones, easque excipit mors.

Theſ. 8. Ex Auripigmento, ueteribus Aſiaticis mulierculis, Pſilothrum *n*) componere, in

m) Peſſime hinc agunt illi, et in generis humani incolumitatem maxime iniqui ſunt, qui bellariis, huiusmodi uenenorum additamento, iam rubrum, iam coeruleum, flauumque conciliant colorem. Ratio hinc ſimul patet, cur ex huiusmodi cupediorum eſu grauia oriantur ſymptomata, et haud raro mors repentina.

n) Vrticae radicem ſiccam, pſilothrum eſſe, PLINIVS *H. N. l. 22. cap. 13. ed. Froben. in fol. p. 402.* teſtatur. Ab eodem, *l. 24. cap. 10. pag. 437.* lachryma ederae huc refertur. Vim cauſticam et depilatoriam tuſae Dryopteris radici, idem auctor, *l. 27. cap. 9. p 485.* tribuit. Seuum ſuis, recens uel inueteratum, aqua illitum, pſilothri uim obtinere; item, ſylueſtrium caprarum ſanguinem, cum palma marina, pilos detrahere, idem *l. 29. cap. 19. p. 516.* docet. Eundem in finem ab eodem Amerinae nigrae ſemen, cum ſpuma argenti, pari

in frequenti uſu erat, ſeu *depilatorium efficaciſſimum, quo ſemihorae ſpatio, in balneo ſudantibus, pili defluunt, qua parte loca piloſa perunxerint. Cuius metalli tanta diſſipatur copia, ut aureorum uiginti millia, uectigalis nomine, publicani a mercatoribus Luſitanis exigant*, uerba ſunt IOANN. BODINI, Galli, *Theatr. Nat. lib. 2. p. m. 253. Proſper* ALPINVS, *de Med. Aegypt. lib. 3. cap. 15.* ita ſcribit: *mulieres Aegyptiae capillorum cultum negligunt, ex conſuetudine omnes capillos in burſam ſerico panno paratam concludentes, ad pudendorum àbditarumque corporis partium ornatum, omnem diligentiam adhibent. Pudendis igitur, tota cura, in balneis, ab iis adhibetur. Ea ſiquidem imprimis lauant, pilisque nudant, locaque pudendorum perpetuo glabra geſtant, turpeque ibi eſt, mulierem pilis obſitam uuluam habere. Demum lotas eas partes, glabrasque effectas uariis unguentis etiam exornant, muſco ſcilicet, ambra, aloe, rebet, ſumtum ferre potentes: aliaeque aliis unguentis bene olentibus, quae ibi uilio-* ri

pondere adhibitum, in unguenti formam redactum, atque a balneo illitum, *l. 24. c. 9. p. 436.* commendatur. Pſilothrum, ſcribit idem, *l. 26. c. 15. p. 478.* (ophryos explicans uires,) nos quidem in muliebribus medicamentis tractamus, uerum iam et uiris in uſu eſt.

ri pretio ubique uenduntur. Copia unguentorum fere incredibilis, in uuluae ornatu, eiusque corrigendo foetore, atque ad conciliandam coeuntibus uoluptatem, ibi continuo diſſipantur. Sicut et foeminae Italicae hodienum, addita tutia, depilant partes, quas natura juſſit eſſe piloſas, idque ut uiris magis placeant. Dantur enim homines, qui uoluptatem habent in nuda ſemper muliebri natura, ſicut hoc idem carpit IVVENALIS, *Sat. 6.*

Sunt quos Eunuchi imbelles ac mollia ſemper
Oſcula delectant, et deſperatio barbae. o)

Theſ. 9. Pſilothrum autem communiter parabant ex Auripigmenti parte una, calcis uiuae partibus duabus, in aqua calida diſſolutis, addito pauxillo moſchi, uel ambrae, quo hirſutae partes in balneo confricabantur. Sed, quid opus eſt tam acri, et formam corrodente fuco, quae

o) De uiris idem refert MARTIALIS, *Satyra 4. uerſ. 38. et ſequ.* quos effoeminatae uitio libidinis, pſilothris pariter uſos fuiſſe, ſequentes probant uerſus: inguinibus quare detonſus curculio exſtat? quinque palaeſtritae licet haec plantaria uellant, elixasque nates labefactent forcipe adunca, non tamen iſta filix ullo manſueſcit aratro. Nec dubium eſt, per podicem leuem, cuius meminit IVVENALIS, *Satyr. 2. uerſ. 12.* poſteriora, pſilothro pilis orbata, quo puerorum inſtar, molliores et delicatiores amatoribus ſuis apparerent, intelligi.

quae ſuapte ſponte cadet peribitque, perdere. Egregie enim Tragoedus *Seneca, Hippol. Act. 2.*

Anceps, forma, bonum mortalibus,
Exigui donum breue temporis,
Et uelox celeri pede laberis.
Non ſic prata nouo uere decentis
Aeſtatis calidae diſpoliat uapor,
Saeuit ſolſtitio cum medius dies,
Et noctem breuibus praecipitat rotis.
Langueſcunt ſolio lilia pallido,
Et gratae capiti deficiunt roſae:
Vt fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur, nullaque non dies
Formoſi ſpolium corporis abſtulit.
Res eſt forma fugax.

Theſ. 10. Illud autem mirabile ex Mercurialibus atque Arſenicalibus Venenis obſeruatum eſt phaenomenon, quod, nunc omnes ſimul muſculos ualide ſtimulando, atque in actiones ſimiles ſimul et ſemel cogendo, tetanum ſeu rigorem uniuerſalem corpori excitant, qualem ex fulmine introductum eſſe, *Ephemerides Pariſienſes A. 1666.* ſtudioſo Oxonienſi, memoriae produnt, ſimulque hiſtoriam cadaueris fulmine icti exhibent, nunc abdominales et muſculorum femoralium anteriores uehementer pungendo, ad ſuperandam reſiſtentiam ſuorum antagoniſtarum, Emproſtheranum faciant, ſiue curuaturam corporis ad anteriora, nunc muſculos

ſculos uertebrales et dorſales femorum irritando, corpus retroflectant, atque Opiſthetanum inducant. Quales quidem morbi rariores ſunt; contingunt tamen interdum ad fodinas Arſenicales Hungariae, Saxoniae, Tirolenſes, Torolouienſes, aliasque, ut rei medicae et metallicae ſcriptores teſtantur. Omnes tamen conuulſiones et tetanicas diſtentiones febris *p*) ſuper-

p) Fidis haec ſententia, perpetuisque antiquorum recentiorumque medicorum obſeruationibus nititur, ex ipſius naturae penu, ac curandi obſeruandique ſapientia, depromtis, quibus iure meritoque annumeranda HIPPOCRATIS *Sect. 4. aphor.* 57. obſeruatio, aſſerentis, *ὅτι ὑπὸ σπασμȣ̃, ἢ τετάνȣ ἐνοχλȣμένῳ, πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸ νȣ́σημα.* Et hoc rationi maxime conſentaneum, cum enim, in Febribus intendatur uis uitae, ac frequentior cordis contractio, ſimilem arteriis imprimat motum, tetanus, qui nihil aliud eſt, quam tonicus muſculorum ſpaſmus, ab aequabili in alternantibus muſculis ſuccorum ſtagnatione, fortius adactum illuc ſanguinis impulſum ſequente, ortus, continuato, et aucto ſenſim motu, ac reſoluta, quae neruis incumbebat, aut uaſa obſtruebat, materia uiſcida, tollitur; quam pariter cauſam tetani agnouit, oſtendique ſequentibus HIPPOCRATES, *Sect. 5. aphor.* 17. allegatam medendi methodum illuſtraturus: *τὸ δὲ ψυχρὸν, σπασμȣ̀ς, τετάνȣς, μελασμȣ̀ς, καὶ ῥίγεα πυρετώδεα.*

perueniens acuta ſoluit, ut in *Coacis* docet HIPPOCRATES; ſic apud eundem *Epidem. lib. 5. n. 20.* in inguine quidam percuſſus ſpiculo acuto retrorſum paulo infra collum, uulnus quidem habebat non memorabile aſpectu, neque enim in altum ferebatur, uerum paulo poſt, exemto telo, diſtendebatur, in poſteriorem partem tractus, uelut Opiſthetanicus. Sed uniuerſali tetano ſeu Catalepſi correpti in quatuor diebus moriuntur, *q*) ut idem pronunciat ex obſeruationum fide, *Aphor. 6. Sect. 5.*

Theſ. 11. Quod Rubrum Arſenicum concernit, ſiue marem dictum, in aurifodinis inuenitur;

q) Aut, ſi hos effugerint, ſani fiunt; lege ipſa HIPPOCRATIS uerba, quae ſequentia ſunt: *ὁκόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται ἐν τέσσαρσιν ἡμέρησιν ἀπόλλυνται· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται*; nam, ſi tetani eſſentia, in nerueaarum conſtrictione fibrarum unice conſiſtit, ſine ſanguinis ſtagnatione, illaeſa permanente diametrorum in uaſis meabilitate, ſpes adhuc eſt, ut, quatuor dierum ſpatio ſuperato, liber denuo muſculorum redeat motus, atque aegroti priſtinam denuo recuperent ſanitatem. Quanta igitur circuli ſanguinis uis, in tuenda ſanitate, atque ipſa uita, ſit, ac quanti referat, in curando morbos, ſanguinis ſtagnationem praeuertere, aut amoliri, nemini ex dictis obſcurum eſſe poteſt.

tur; Album uero, non quidem cryſtallinum, ſeu foemina, in illis, quae argentum reddunt. Tam uero ſalia haec ſunt corroſiua, ut Aqua Fortis non male a quibusdam dicantur. Sui tamen eſſe generis haec ſalia, inde patet, quod in aqua ſoluta, neque ex acidis neque alkalinis ullam patiantur alterationem adeo efficacem. Pondus autem uidetur deriuari poſſe ex mercurio metallorum, qui primum ipſis ens eſt. Porro Arſenicum non adeo differt a mercurio ſublimato, neque ab Arſenico lunae dicto, quod ex luna cornea impetratur.

Theſ. 12 Conſtat ergo ſale et ſulphure, partibusque metallicis ignoti generis, eſtque ſapo metallicus; ſulphur enim olet, ſulphur pinguibus elicitur, itemque a parte eius regulina per alkalia, uel ſaponem Venetum, ſulphur commune praecipitatur in magna ſatis quantitate. Ergo nihil aliud ſunt eiusmodi acria, quam quaedam ſulphura uenenata, ſeu acria ſaponata metallica, ex acidiſſimo ſpiritu ſubterraneo, ſulphure, ſeu terrae reſina, et partibus metallicis ſui generis, combinata; experimento faciente fidem, quod argentum arſenico inſperſo fuſum euadat friabile. Quam friabilia metalla reddendi uirtutem, ſulphuri unice competere, Metallurgis notiſſimum eſt, et Docimaſtis. Quoque minus ſulphuris metalla in ſe continent, eo ductiliora ſunt, et contra: unde ſemimetalla dicta, et foſſilia quaedam, ob admixtum ſulphur, non poſſunt reddi malleabilia,

leabilia, niſi per Artem, hactenus ignotam, fuerit ſulphur ablatum. Porro uenerem dealbari arſenico, notum eſt, unde tam multa Chymici de ſpiritu tingente loquuntur. Et, ſi ex lamellis ueneris cum nitro atque arſenico fiat S. S. S. in crucibulo, fit uenus alba, atque addita lunae portione, fixior et malleabilior euadit. Porro inuenitur Arſenicum in omnibus metallorum mineris, ita, ut uideatur eſſe quaſi metallum embryonatum, et primum ens metallicum.

Theſ. 13. Sic et *Stibium*, in horum catalogo eſt, ſiue *Antimonium*, quod Monachis aliquando exitiale fuerit, ut quidam uolunt, ita dictum; nauſeam primo, deinde uomitus excitat horrendos, uideturque ad naturam Arſenici accedere; quippe Arſenicum, cum Antimonii Regulo, ſeu parte metallica, fuſum, abit in maſſam, antimonio crudo ſimillimam. Antimonium tamen crudum non tam acredine agit id, quod agit, ſed ſuo pondere; ſi uero in crocum metallorum, ſeu hepar antimonii dictum, uertitur, diriſſimum eſt. *Balthaſar Bremer*, Capitaneus naualis, me inſcio, *r*) Anno 1710. menſe

r) Inſciis inuitisque medicis, hodie non Chirurgi ſaltem, ſed omnes etiam perditi homines, medicinam faciendo, innumera per mortes aegrotantium experimenta inſtituunt. Nihil deteſtabilius, nihil calamitoſius, quam praeſens artis ſalutaris ſtatus ſiſti poteſt. Nos Saxones, in hac re omnium miſerrimi ſumus; ad nos enim, peſſi-

Auguſto, a Chirurgo Dn. *Teufelweich*, qui captiuitate liberatus ex Ruſſia ad Claſſem aduenerat, emeticum ſumſit, capitis dolorem ſibi ſublaturum, puluerem nempe ſubrubicundi coloris, et uerum metallorum crocum; Quo bis uomuit uehementer, ſed mox in hypercatharſin incidit, nullis medicamentis, opiatis, antacidis, aut theriacalibus externis, ſiſtendam, qua conflictatus diu, exeunte per inferiora ſanguine, ac partibus inteſtinorum ſolidis, die 27. Septembris moritur, poſt leue delirium. Octiduo ante mortem ex noſocomio Birkenſi uocor, conclamatis iam rebus. Mortuus mire intumuit per abdomen, maculis per femora et tibias coeruleis, unguibus luridis. Emetica autem et purgatiua uis a partibus eius metallicis dependet, quarum tamen indoles non adeo usque perſpecta eſt. Si enim Antimonium cum Nitro accenditur, id eſt, ſi Nitrum ſulphureas particulas, inter quasuis ſtibii metallicas partes latitantes, faciat concipere ignem, fieri aliter non poteſt, quam quod ex hac Nitri in uarias eius latebras penetratione, metallicae ſubſtantiae diffringantur,

morum et imperitiſſimorum hominum, qui aliis locis non tolerantur, colluuies, quaſi torrente acta, confluit. Exinde tam male apud nos audit medicina; hinc nhili apud nos medici aeſtimantur; hinc Saxonia demum, empiricis obruta, genuinis carebit medicis, exactum negligendo, qui in re medica conſtituendus eſt, ordinem.

tur, inque calcem faceſſant, non magis emeticam, ut ante; ſicut idem in Antimonio diaphoretico, deprehendimus, Nitro per Antimonii Sulphur accenſo, atque ambobus ita rite inter ſe detonatis.

Theſ. 14. Et quam dirus eſt Metallorum Crocus, *s*) quando partibus adplicatur, qui forti gaudent contractilitate, tam contra ſaluber, dum minorem contractionem habentibus locis adhibetur. Vnde, ex praecepto Rulandi, in incipiente cataracta alba, multoties eius uſum proficuum noui, cum in aqua roſarum, uel alia conuenienti, decoctus eſſet, et bene per linteum colatus, oculisque cum cannabe uel lino, uel guttarum modulo, adplicatus. In obſcuritate quoque uiſus, ex cauſa externa, *t*) nullo tamen

 pelli-

s) Audiendus, de hoc BONETVS, *Polyalth. l. 5. cap. 35. p. 582.* antimonium, dicens, uel intempeſtiue, uel non rite praeparatum, intra corpus aſſumtum, laborioſiſſimas uomitiones, et alui deiectiones, cum ſumma anguſtia, infert; ego addo, ſi in tali operatione, apta corpora offendit, tunc illa plane iugulat. Huc uero pertinent corpora plethorica, cacochymica, ſanguine ſpiſſo praedita, ualde ſenſibilia, tenera, et debilia, in excedentes et confuſos motus inclinantia, multa bile in primis uiis turgida, menſium et haemorrhoidum uitiis laborantia; *conf. Toxicol. noſtr. lib. 2. §. 21. p. 30. et ſequ.*

t) In ophthalmia, quaecunque ſit cauſa, uel externa, uel interna, huius remedii uſus plane ex-

pelliculae adparente ueſtigio, laudem ſaepius meruit, non aliter ac Elaterium ſolutum, ut PLINIVS docet, *l. 2. H. N. c. 1.* Id tamen obſeruari oportet, ante Vomitorium exhibendum, in ſanguinolentis, praemitti ſemper debere uenae ſectionem, ne uaſa ſanguine diſtenta, ui emetici medicaminis rumpantur. *u*)

Theſ. 15.

ulare debet; imo, quicquid dicat Rulandus, etiam in cataracta alba incipiente, ſi tunicae albugineae inflammatio ſit coniuncta, minime prodeſt, crocus metallorum. Haec tam ſerio non urgerem, niſi triſtiſſimum et recentiſſimum, infelicis, quam in hoc morbo crocus metallorum, praeſtitit, operationis, exemplum, ante oculos obuerſaretur; aegrotus quippe, diſſolutae antea uitae, compotationi praeſertim, in ſeram protractae noctem, addictus, incipiente cataracta alba, cum tunicae albugineae inflammatione, corripiebatur, correptus hoc malo chirurgum conſulebat, qui, exhibita aqua ophthalmica, ex croco metallorum, aqua roſarum ſoluto, et abunde diluto, confecta, oculis inſtillanda, atque inſtillata, loco felicis medelae, coecitatem, nullis amplius curandam remediis, excitando, deploratiſſimi, quo ad finem uitae aegrotus affligitur, ſtatus, auctor fuit.

u) In plethoricis, licet etiam utilitas ac neceſſitas emetici indicetur, nunquam tamen uehemens adhibendum, ſed lenius, quale, ipecacuanha, imprimis eiuſdem ſolutio, uino facta, euacua-

Theſ. 15. Etiam *Carbones Foſſiles*, ſeu *Anthraces*, uel *Carbunculi*, Veterum forte *Terra Ampelitis*, per ſulphur Arſenicale, *x*) ut appellant, hoc eſt, acumen particularum, corrodunt, et phtiſin, ſeu pulmonum corruptionem, atque hinc exorientem atrophiam, cauſantur, quod Anglis praecipue, qui hos maximam partem ex Mendiphillenſi eruunt fodina, atque in culinis uſurpant, et fabris ſaepe, accidit. Neque tantum eiusmodi acres halitus organa laedunt reſpirationis, ſed et uaſa ſtannea luteſcente inducunt colore, ueſtimentaque linea conſpurcant, atque e ductili fimbrias argento, luteo inquinant colore. Obſeruatumque eſt, halitum ex fodina Scotiae carbonaria erumpentem plurimos ſubitanea ſuſtuliſſe morte, ut eſt in *Actis Anglicis*, *Anno 1665. Menſ. Maio, No. 5.* Sic ad Plauam, Bohemiae oppidum, ſunt nonnulli ſpecus, qui quibusdam anni temporibus halitum ex acidulis emittunt, lucernas reſtinguentem, referente GEORGIO AGRICOLA,

to prius, quo uaſa infarcta erant, per uenae ſectionem, ſanguine abundante.

x) Sulphur quidem carbonibus foſſilibus haud denegandum, ſed praecipuam horum uirtutem, in ſpiritu acido, ac ſubſtantia terrea, conſiſtere, exinde eluceſcit, quia carbones foſſiles, ex retorta deſtillati, ſpiritum acidum, corroſiuum, praebent, uti auctor ipſe, *theſi 17.* refert et teſtatur. conf. *Toxicol. n. l. 2. §. 23. p. 33. et ſequ.*

de Re metallica lib. 6. p. m. 173. Pariter in Hungariae comitatu Zolienſi, referente mihi, Lugduni Batauorum, Cl. Dn. Doct. *Mathia Heuzidai*, Hungaro, fiſſura terrae eſt, ex qua tam lethiferum et praeſens exhalat Venenum, ut aues in ipſo praeteruolatu interimat. Cuius ferme generis halitus, et metallico ueneno, ſiue Arſenicali, ſiue aliquo alio diuites fumos, ex Indiae Occidentalis quibusdam fodinis penetrantes, ALBARO ALOVSO BARBA, *Trattato del Arte Metallico, l. 1. c. 2.* refert, auriferae iſtius Indicae urbis, Potoſi, Hiſpanicorum ſacrorum quidam antiſtes, ſed iuxta in Metallurgicis non leuiter uerſatus. Reliqua taceam.

Theſ. 16. Metallifoſſores autem, ex uariis cauſis, peripneumonia illa ſolemni et capitis dolore adficiuntur; interdum ex halitu lucernarum, ipſorumque hominum; interdum puluis, qui cietur, atque agitatur foſſionibus, aſthma, quod Germani *Bergſucht* dicunt, facit, dum in pulmones penetrat, eosque exulcerat, tabem inducit. y) Hinc in metallis Carpathi montis inuentae

y) Perquam ſcite de metallorum foſſoribus, LVCRETIVS: nonne uides, audisue, perire tempore paruo, quam ſoleant, et quam uitae copia deſit. Morbi autem, inquit RAMAZZINI, *tr. de morb. artificum, Mutinae 1700. in mai. 8uo. ed. cap. I. p. 11.* quibus obnoxii ſunt metallorum foſſores, aliique id genus artifices, ſunt ut plurimum, dyſpnoea, phtiſis, apoplexia, para-

uentae ſunt mulieres, quae ſeptem uiris nupſe-
F 4 runt,

lyſis, cachexia, pedum tremores. Pulmones itaque et cerebrum in huiusmodi artificibus male plectuntur, magis tamen pulmones; hi enim ſimul cum aere minerales ſpiritus hauriunt, et primi noxam perſentiunt, mox iidem halitus intra uitae hoſpitia admiſſi, et cruori permixti, cerebri et neruoſi laticis naturalem temperiem peruertunt, et inficiunt; unde tremores, ſtupores, et ſuperius recenſiti affectus. Hinc eorum, qui in fodinis mineralia effodiunt, maxima ſolet eſſe ſtrages. Praeterea diſcrimen fodinarum, et ab hoc dependentem effluuiorum differentiam attendere decet; aliae quippe, uti citatus habet auctor, *l. et cap. cit. p. 13. et ſequ.* ſunt humidae, in quarum fundo aqua reſtitat, aliae ſiccae, in quibus interdum ignis miniſterio opus eſt ad diſrumpenda ſaxa. In humidis fodinis, quae aquam ſtagnantem continent, foſſorum crura uitiantur, ſicuti ob craſſos, et uiroſos halitus, qui ab illis exſpirant, ac tunc magis, cum deciſa ſaxorum fragmenta in aquam decidunt, et camarinam illam mouent, ut dici ſolet, intercepto anhelitu, operarii praecipites cadunt, ſiue ſemianimes emergunt. Ipſe quoque ignis, qui ceteroquin uenenorum domitor eſt, ubi illo opus ſit ad ſaxa emolliendа, peſtiferos halitus ex minerali materia elicit, atque in motum ciet; quare miſeri foſſores omnia elementa ſibi experiuntur infeſta. Nulla uero truculentior peſtis

runt, quos omnes dira illa tabes immatura ſuſtulit morte. Sic Aldebergi, in Miſena, in fodinis, reperitur Pompholyx nigra, quae usque ad oſſa exedit uulnera atque ulcera, ipſumque ferrum. Cadmiae quoque genus operariorum pedes, oculos et pulmones laedit. Ignis quo-
que,

foſſores ad extremam perniciem deducit, quam quae e mercurii fodinis erumpit; foſſores enim in mercurialibus mineris uix tertium annum attingere, ait FALLOPIVS, *tr. de metallis et foſſilibus.* Eosdem, quatuor menſium ſpatio nondum exacto, in artuum tremores incidere, paralyticos ac uertiginoſos fieri, teſtatur ETTMVLLERVS, *in ſua Mineralogia, cap. de mercurio. Ex Actis Philoſophicis, Soc. Reg. Anglic. in epiſtola Venetiis ad Soc. Reg. miſſa*, conſtat, quod in fodinis quibusdam mercurii, in foro Iulii, non poſſit quispiam foſſorum, ultra ſex horas, inibi operari; ibidem pariter relatum legitur, quod quidam, per ſemeſtre ſpatium, iisdem fodinis addictus, adeo mercurio fuerit impraegnatus, ut, ſi ori ſuo aeris fruſtum apponeret, aut digitis tractaret, illud album efficeret. Foſſores quoque aſthmate corripi, aduertit TOZZIVS, *Part. 2. ſuae Prax. cap. de aſthm.* Tanti conſtat hominum libido, ac ſacra auri fames, itum quippe eſt in uiſcera terrae, quasque recondiderat, ſtygiisque admouerat umbris, eſſodiuntur opes, irritamenta malorum.

que, qui frangendis ſaxis adhibetur, elicit e metallo uenenum, quod aerem inficit. Hinc palleſcunt, turgeſcunt, omnemque motum et ſenſum amittunt, et ſine doloris ſenſu intereunt. Vt taceam, quorundam locorum metallicorum peſtilentem auram, uenenatamque beſtiolam, ſolifugam, pluraque alia, quae habet uir doctiſſimus GEORGIVS AGRICOLA, *de Re Metal. lib. 5. p. m. 81.* et *lib. 6. p. 172.* et *173.* Agnouit et ſuo tempore PLINIVS, *H. N. lib. 33. c. 4.* in cuniculis uaporem et fumum, ſtrangulare. Et Auctor eſt GALENVS *Comment. 42. in 2. Aphor. Hippocratis*, mulierem in balneo ſyncopem paſſam fuiſſe, hauſtis uaporibus, ex lignis uitiatis, et uenenoſam qualitatem habentibus, ſuccenſis. Vnde toto die obſeruamus per noſtram Patriam, metallifoſſores ſemper fere breuis eſſe uitae, ob halitus ſubterraneos noxios, ipſorum pulmones laedentes, et uitalia ſic liquida coagulantes. Hinc HIPPOCRATI, *Epid. lib. 4. n. 13.* Vir metallicus, ſpirituoſus et decolor deſcribitur. His de cauſis, operam fodinis locare, Veteribus poena capitalis erat, quare etiam ad metalla damnati dicebantur. z) Sic in celebri Cupri-

 monte,

z) Quanta fuerit, et adhuc ſit, poena, metallifoſſoris munus obire, ex iis, quae hanc functionem comitantur, et ſequuntur, malis, nemini ignotum eſſe poteſt. Priſcis temporibus, Chriſtianae fidei ſectatores, ad metalla damnatos fuiſſe, ex

monte, Fahluna, excoctores aeris omnes palleſcunt, non ſolum ex ſudore continuo, ſanguinem cogente, ſed et a fumo noxio, ex caldaris aere, atque uſtrinis, erumpente.

Theſ. 17. Et perinde fuerit, ſiue hunc Antimonii et foſſilium Carbonum effectum ex Arſenicali ſulphure, *a*) ſiue alio quolibet nomine, deduxero, modo interim ſit certum, in his mineralibus latere ſpiritum quendam acidiſſimum, tantorum auctorem malorum. Namque carbones tales deſtillati ex retorta ſpiritum fundunt acidiſſimum, ad genium ſpiritus ſulphuris; quare etiam inſtrumenta ferrea, quae horum ope carbonum cuduntur, multo fragiliora ſunt, quam illa, quae ad ligneos carbones confecta fuerunt,

GALLONIO, *libr. de Martyrum cruciatibus*, cognoſcimus. Confirmat idem CYPRIANI *epiſtola*, qua Epiſcopos et Diaconos, Imperatorum crudelitate, ad metalla effodienda, compulſos, hortatur: ut iis in fodinis, e quibus aurum, atque argentum, eruerent, ſe uerum Chriſti aurum, conſtanti fide et patientia, probarent. Et, ſi quid aliud, miſerum abjectumque metallifoſſorum ſtatum, innuit, idem certe foſſoris imago, ex ueteri deſumta icone, quam nobis ſiſtit PIGNORIVS, *libro de ſeruis*, probat: capite enim erant ſemiraſi, (quo ſigno olim ſerui a fugitiuis, qui erant omnino raſi, internoſcebantur, quod cucullo ſagato operiebant.

a) Conferatur theſis antecedens, decima quinta.

fuerunt, quales ſunt noſtrates gladii Wyrenſes; ſpiritus namque iſte acidus, ex foſſili carbone egrediens, acutiem quidem et duritiem ferro conciliat, ſed iuxta fragilitatem. Id tamen ego ſingulare atque utile ex Foſſili Carbone obſeruaui in Peſte illa, quae Ao. 1710. per Claſſem graſſabatur, atque aliis fere medicamentis immedicabili finiebat uitam diarrhoea, Carbonibus Foſſilibus pulueriſatis, atque intro adſumtis, ſtitiſſe et tormina, atque eiiciendi conatum. *b*)

Theſ. 18. Sequitur calx uiua, deleteria etiam uirtute inſtructa; quamobrem quoque Aquam illam Phagedaenicam ingreditur, quae ad carnes ſuperfluas, uulneribus abſumendas, Chirurgis eſt uſitata. Fit autem iſta aqua ex calcis uiuae libris tribus, ſpiritus uini libra ſemiſſe, et mercurii ſublimati uel arſenici drachmis tribus, digeſtis inuicem cum aqua communi. Incidit Ao. 1705. Studioſus Vpſalenſis, Nationis Geſtriciae, in febrim, cum dolore capitis. Tum Empirici

b) Colliquatiuam hanc diarrhoeam fuiſſe, a nimia humorum reſolutione, ſolidorumque laxitate excitatam, ex promta feliciique huius pulueris, remedii antalcalini, atque adſtringentis, operatione, euincitur. Eo ipſo etiam probatur, quod effluuia horum carbonum, igne accenſorum, non tam erodendo pulmonum uaſa, (alias hinc ſequeretur haemoptyſis,) ſed conſtringendo aſperam arteriam, eiusque ramos, ſuffocationem, aut illius periculum, producant.

pirici cuiusdam Stockholmenſis filius, pariter Studioſus, cataplaſma capiti admouit, ex aqua calcis uiuae paratum, et alter mox abiit ad plures, parumque abfuit, quin plecteretur medicaſter. Sic obſeruatum eſt, in Caſtellis nuper exſtructis, milites derepente mori, atque alimenta cito putreſcere, prout contigit tempore Birgeri Secundi, in Landſcrona, ſeu Norborg, Ingriae caſtello. Et, uel plurimorum, ipſiusque Imperatoris Iouiniani lugubri conſtat experientia, *c*) uapores camini calce recenter incruſtati, per accenſum focum diſperſos, interdum repentinam

c) Conf. *Baco de Verulamio*, *Oper. in fol.* 1655. *Francofurti editis*, *hiſt. nat. Cent.* 10. §. 919. *p.* 952. Id ego quoque, ſcribit de ſe ipſo, RAMAZZINI, *lib. et ed. cit. cap.* 25. *p.* 201. olim meo periculo didici, cum enim, muſeolum meum calce incruſtari curaſſem, ac transactis ſex menſibus, ſatis tutam eſſe crederem illius habitationem, eo, quia muri eſſent ueteres, et ſola ex calce illinitio facta fuiſſet, acuta febre correptus uix euaſi, ac poſtmodum cum lenta febre mihi diu colluctandum fuit. Non ſemel porro obſeruaui, in domibus recenter conſtructis, calcis odorem ad plures annos percipi, mane praeſertim, ubi per noctem clauſae fuerint feneſtrae, multosque decipi, qui nullum odorem, diurno tempore, apertis quippe ianuis et feneſtris, percipientes, in huiusmodi domiciliis noctu ſomnum capere non uereantur,

nam mortem, ſaepiſſime uero intenſiſſimos capitis dolores adportaſſe, eroſa procul dubio, ex halitu iſto acerrimo, tenerrima pulmonum ſubſtantia, et ipſis ſic collabentibus, atque ſe per ſpaſmum, ex acrium ſenſu, contrahentibus, et ſtrangulantibus, uel in quibusdam leuiter tantum labefactata, ſanguine uero, qui nullibi in toto corpore debilioribus et tenerioribus uaſis per plures ſuperficies adplicatur, coacto, (ſicut omnia acria eundem coagulant,) atque adeo difficulter et ſumma cum uaſorum expanſione conſuetos alueolos traiiciente.

Theſ. 19. Exemplum dabo unum uel alterum. Q. Catulus, a C. Mario mori iuſſus, recenti calce illito, multoque igne percalefacto cubiculo, ſe incluſum peremit, memorante VALERIO MAXIMO, *Memorabil. Exempl. l. 9. c. 12.* Sic duo fratres, Wermelandi, mihi amiciſſimi, Ao. 1708. Vpſalia Stockholmiam profecti, in cella uinaria, Amſterodamo nouo dicta, hoſpitio excipiuntur, camera ante non excalefacta, menſe Martio. Hinc foco fornicato, Noſtris *Kakelugu*, lignis iniectis, et lamina demum clauſa, ſub noctis tempus adeo grauiter morbo capitis laborare coeperunt, ut de uita periclitarentur. Neque alter ad alterius lectum ire, neque loqui poteſt. Tandem, per uomitum obortum, alter iunior, in ſomnum incidit, alter quoque parum uomebat, ſed effuſiſſimo ſudore mactatus, iudicatus eſt. Idem circa tempus, duo famuli ſe-

natoris

natoris Vpſalienſis, menſe Februario, balneum calefecerunt, pro torrendis frugibus: ſed indormientes loco diu ante non calefacto, ambo mortui ſunt. Et TVLPIVS, uir celebris, *Obſ. lib. 3. cap. 41.* exemplum habet, ex flore calcis, de parietibus recens incruſtatis, in cupedia incidentis, totam familiam uiri ſplendidi, in uertiginem, ardorem gutturis, uomitum, praecordiorumque anguſtiam incidiſſe. Conf. DIOSCORIDES, *l. 5. c. 91. et l. 6. cap. 29.* Quare Diuinus HIPPOCRATES notanter dicit, *lib. 3. Epidem, aegr. 2.* Hermocratem, quem ignis corripuit, iuxta nouum murum habitare, quamuis magnus alias in populares *Hippocratis* morbos Commentator, VALLESIVS, nihil hoc eſſe adfirmet. *d*) Atque hinc iſta Peripneumonia, hinc dolor, hinc ſomnus, carus, uel apoplexia. *e*) Conf. BELLINI, *de Morb. Pect. de*

Pe-

d) Valleſius in allegati explicatione exempli occupatus, expreſſis aſſerit uerbis: eos nugari, qui credunt, quod Hippocrates, uerba, *murum nouum*, conſulte appoſuerit, iisque morbi cauſam, ex qua Hermocrates aegrotaſſet, innuere uoluerit. Sed his merito opponenda, quae quotidianae ſuffragio experientiae ſuffulti urgent, atque afferunt, MERCVRIALIS, *Piſanis Praelectionibus, Venetiis, apud Iuntas, in fol. 1597. ed. hiſt. 16. p. 81. et ſeq.* atque EPIPHANIVS FERDINANDVS, *lib. obſ. hiſt. 25.*

e) Refert AMATVS LVSITANVS, *Cent. 4. Curat.*

Peripn. pag. m. 644. et de morb. Cap. de Caro pag. 458.

Theſ. 20. Calx uiua *f*) nihil aliud eſt, quam ſi conſideres acies quasdam acerrimas, et lanceas, [illegible] aut

41. occaſione uiri robuſti, qui pulmonali perierat phtiſi, fabros murarios, aliosque, qui calcem tum conficiunt, tum eandem, pro uariis uſibus, uaria ratione praeparant, atque adhibent, maximam partem pleuritide, aut haemoptyſi, aut chronica exhauſtos tabe, pulmonumque ulcere, perire. Quantopere igitur illarum uirginum dementia damnanda ſit, quae florido et rubicundo faciei colore praeditae, ſtudio et deſiderio amatorium pallorem, qui iisdem color aulae, *die Hof Farbe*, dicitur, conciliandi, calcem de parietibus abraſam deglutiunt, ſatis patet. Plura noui exempla puellarum, quae ex hac cauſa in chloroſin, phtiſin pulmonalem, uiſcerum ſcirrhos, et alia grauiora mala, miſeram uitam, non niſi morte finiendam, efficientia, inciderunt. uid. *Toxicol. n. l. 1. §. 93. p. 41. et 42. et l. 2. §. 22. p. 31. 32. et 33.*

f) Mirum, ſcribit PLINIVS, *H. N. l. 36. cap. 23. ed. cit. p. 641.* aliquid, poſtquam arſerit, accendi aquis. Magis adhuc mirandum, ſi uera ſunt, quae habet TACHENIVS, *Hippocrate Chymico, cap. 4. p. 17.* quod nempe homo ebrius, in bulliens calcis lixiuium prolapſus, cum laneis ueſtibus, breui tempore, conſumtus fuerit, ut nihil reſidui, praeter lineum induſium, et duriora oſſa, reperta fuerint.

aut ramenta minima, in quae lapis calcarius, per ignis uim et torturam, calcinatur, ac diſcerpitur, pulueriſaturque. Ignis enim, in corpus calcinandum fortius agens, particulas minimas et moleculas disiungit, uiciniam tollendo, quas moleculas demum magis magisque exacuit. Eſſe etiam calci uiuae ſal quoddam, ad Alkalinam acredinem uergens, non nego, num uero ab igne productum, uel antea ibi erat, diſputatur, quandoquidem lapis Calcarius acidum in ſe contineat, ſed poſt calcinationem in Alkali magis inclinet. *g*) Hinc lapis iſte, deſtillatus ualido igne ex Retorta, dat ſpiritum acidum. Calx ergo uiua, uti ſal acutie et rigiditate ſuarum particularum corpus laedit, continui ſolutionem deturbat, et putrefactionem accelerat. *h*)

g) Sal, ad uitrioli naturam proxime accedens, ſaxo calcario, ante calcinationem, ineſſe, docet ſpiritus acidus, ſimilis ſpiritui, quem ex uitriolo, per retortam deſtillato, obtinemus. Sal uero illud, ea ratione, uti nitrum calcinatum, per calcinationem, in alcali, ignis ui et tortura mutari, docent ea, quae TACHENIVS, *l. c. cap. 3. et 4. p. 15. et ſequ. et* PERAVLT *Eſſays de Phyſiq. Tom. 1.* afferunt. Atque ab hoc ſale, aqua ſoluto, uis calcis cauſtica deriuanda, nec opus eſt, ut, ad haec explicanda, nobis cum MAYOVIO, *Oper. p. 197.* particulas nitro aereas et igneas fingamus.

h) Calcis et in medicina magnum uſum eſſe, ait PLINIVS, *H. N. l. 36. cap. 23. p. 642.* Eligitur re-

Theſ. 21. Sales denique Vitriolici *Lunae*, *Veneris*, *Martisque*, cum ſuo menſtruo in cryſtallos acerrimas et cauſticas abeuntes, Venenis Acribus iure quodam ſuo adnumerantur. Et quid mirum, Venerea ſalia eſſe homini noxia, cum in fodina Hungariae Neuſolenſi primum quaſi cupri ens, inſtar aquae proueniens caementariae, quaelibet ex marte iniecta in cuprum bonum erodat, ac conuertat? Refert *Amatus Luſitanus Curat. Medicinal. Cent 5. Curat. 54.* Monachum quendam, prae amoris impatientia ſumto uitriolo, uitam ſibi eripuiſſe, poſt ſecutas inde uentris eroſiones, uomitus, ſeceſſus, linguae nigredines, ipſiusque tumores. Quod,

cens, nec aſperſa aquis: urit, diſcutit, extrahit, incipientesque ſerpere ulcerum impetus coercet. Aceto et rocſaceo temperata perducit ad cicatricem. Luxatis quoque, cum adipe ſuillo, aut liquida reſina ex melle, medetur. Eadem compoſitione et ſtrumis. Confirmantur haec felici ſucceſſu, quo, aqua calcis, in hydropis medela, FABRICIVS AQVAPENDENS, *Part. 2. Oper. chirurg. cap. 51.* uſus fuit; paratur autem haec aqua ex calcis fruſtulo, oui parui magnitudine, unciis uiginti aquae bullientis indito. Hanc aquam mirabilem appellat KOENIGIVS, *Regno minerali, cap. 10. p. 297. et ſequentibus*, eamque frequenter in petiis lineis applicatam, praeſentiſſimum ulcerum ſordidorum, uenereorum imprimis, remedium eſſe, perhibet.

num Vitriolum commune martis fuerit, quod Noſtri *Kopparroek* uocant, non liquet. *Aceta* praeterea *Metallica*, ſeu *Spiridus Acidi*, *Nitri*, *Vitrioli*, *uel eius oleum*, *Aluminis*, *Salis Gemmae*, aut *Marini Salis*, itemque *Sulphuris*, qui quaſi omnium aliorum parens eſt acidorum ſpirituum. Narrat TVLPIVS, oleum uitrioli, *i*) a Chirurgi famulo, pro compeſcen-

i) Noui uirum illuſtrem, qui quotidie, tempore matutino, priusquam infuſum Coffeae, cui aſſuetus erat, hauriret, olei uitrioli guttam ſacharo inſtillatam deglutiebat, et optime ſe ad ſeram usque ſenecturem habebat. Fide igitur atque approbatione dignum, quod exigua olei uitrioli doſis, uberiori aqua diluta, et tonum uentriculi ac reliquorum uiſcerum tueatur, ac corrigendo ſalium alcalinorum acrimoniam, tum febres continuas, tum partium putredinem praecaueat. Quod pariter innuit, BACONIS *de* VERVLAMIO experimentum, qui *Oper. ed. cit. Hiſt. Nat. Cent. 4. no. 342. p. 926.* ſequentibus noſtram ſententiam confirmat: ſecundum, quod putrefactionem arcet, eſt adſtrictio, quae diſſolutioni reſiſtit, cum in uniuerſum ex medicamentis adſtringentia, putrefactioni reſiſtant. Eadem adſtrictionis ratio efficit, ut exiguum olei uitrioli quantum, aquam prohibeat putreſcere. Iſta adſtrictio ſubſtantiae inhaeret, cuius uirtuale frigus eſt, quaeque fere eodem, ut frigida, modo, operantur. Vitriolum album anima oculi

peſcendo dentium dolore, uirgini in os inditum, gulam, uentriculum, iecur, collum, faciem, mammas, pectus, uentrem, brachia, crura, miſerabili clade exediſſe, *Obſ. l. 3. c. 43.* *k*) Quibus adiungo *Aquam ſeparationis*, uulgo Germanis *Scheidwaſſer*, Noſtris *Schedeuatu*, ſiue *Fortem* communiter adpellatam, quae per ſalis marini additamentum, *Aqua Regia* dicitur, quod Regem Metallorum, id eſt aurum diſſoluat. Haec quidem omnia per ſalium, e quibus conſtant, in fluorem redactorum, auctos cuſpides, uiſcera conſumunt; neque hoc mirum, cum et ipſa duriſſima metalla in pollinem erodant; in lingua tamen, ore, et gutture, ueſiculas excitant, eſcharasque, ad modum Venenorum ſumme acrium, ponderoſorum et rigidorum.

Theſ. 22. De Sulphuris generatione adnotatum eſt, in eius fodinis conſpici bullas quasdam, quae ſucceſſiue in gryſei glebas coloris, quas Sulphur Natiuum uocant, mutantur; in intimioribus uero terrae receſſibus Aſphaltum, quod

 haſce

DOLAEO, *oper. Tom. II. Encyclop. Chirurg. l. 1. c. 10. p. 82.* audit. Vitriolum, cancri euporiſton eſſe, ex *M. N. C. Cent. 5. p. 302.* diſcimus.

k) Plures ſimiles obſeruationes, ex SEIDELII, BEMBI, FORESTI, RONSEI, CASPARIS HOFFMANNI, SCHENCKII, et RIEDLINI, ſcriptis collectas tibi ſuppedito, *Toxicol. noſtr. lib. 2. §. 17. p. 23. et 24.*

haſce bullas ope caloris ſubterranei cuiuscunque ſuderat, reperiri, ſicque uideri credibile, Spiritum quendam Vniuerſalem Acidum, haſce Aſphalti particulas ſecum rapere, mutuoque inito coniugio, in Mineram Sulphuream *l*) trans-

l) Ineſſe ſulphuri ſpiritum acidum, experimentis chymicis abunde probatum eſt, ſpiritus autem acidi uniuerſalis, aſphalti particulas ſecum rapientis, mutuoque inito coniugio in mineram ſulphuream transformantis, exiſtentia, nec a priori nec a poſteriori demonſtrari poteſt. Sulphur enim, analyſi chymica examinatum, multis pinguibus, et paucis acidis conſtat particulis; unde, ob pinguedinem, qua abundat, pro demulcente et antiphtiſico remedio habetur, ac tanti in curandis affectibus pectoris aeſtimatur, ut, teſtibus, BOECLERO, *Notis ad Cynoſ. mat. med. Hermanni*, *Part.* 3. *p.* 115. et HOECHSTETERO, *Dec.* 3. *p.* 354. balſamum et anima pectoris ac pulmonum audiat. Sulphur, ignem concretum ſubterraneum, et terreſtrem, cui natura, pro habena obiecit partes terreas, ne in actum mox, atque apertum incendium erumpere poſſit, ZWOELFFERVS, *Mantiſſa ſpagyr. Part.* 2. *cap.* 10. *p.* 396. appellat, de uiribus illius referens, quod humidiora ſiccet, laxa adſtringat, impura depuret, homogenea congreget, glutinet et uniat, fracedini et putredini e diametro, tum curatiue tum praeſeruatiue, aduerſetur. Hinc ſulphuris oleum, in arthritide, a TVLPIO, *obſeru. lib.* 4. *cap.* 57. ſulphur uiuum

transformare. Et ineſſe Sulphuri talem Aci-
G 3 dum

de Quito in Peru, auri inſtar transparens, drachmae unius pondere, uitello oui aſſumtum, in coli doloribus, nephritide, neruorum contractionibus, et ictero, a MONARDE, *Simplic. medic. Amer. hiſt. cap. 36. p. 144.* flores ſulphuris natiui e thermis Badenſibus, in ſimilium inſultu morborum, a FABRICIO HILDANO, *Epiſt. med. Cent. 1. obſ. 26. p. 209.* puluis torrefacti ſulphuris, in uenenatorum animalium morſibus, lentiginibus, et ſimilibus cutis maculis, a FIRENO, *Pract. med. lib. 2. p. 199.* lac ſulphuris, in bronchiorum infarctu, a LVDOVICO, *Pharmac modern. p. 375.* et POTERIO, *Cent. 1. obſ. cap. 98.* balſamum ſulphuris Penoti, in membrorum debilitate, a FISCHERO, *Corp. med. Imper. p. 684.* tinctura ſulphuris, in peſte, tuſſi, phtiſi, aſthmate, dyſpnoea, orthopnoea, a HELWIGIO, *M. N. C. Dec. 3. Ao. 5. et 6. p. 454.* et IO. MAVR. HOFFMANNO, *M. N. C. Dec. 3. Ao. 2. p. 327.* laudantur. Laudibus horum remediorum, ac fidei allegatarum obſeruationum, nihil detractum uolo, hoc uero ſincere moneo, circumſpecte in applicatione huiusmodi hiſtoriarum procedendum eſſe, ſummoque annitendum ſtudio, ne uniuerſales concluſiones ex particularibus eliciamus exemplis; nam, ita multi, ſulphureorum abuſu remediorum, dum phtiſin pulmonalem auertere uoluerunt, eandem ſibi accerſiuerunt, uti praeter quotidianam experientiam, idem nos

dum Spiritum, incenſio docet, dum nimirum acidus eius uapor pulmone exceptus, tuſſim faciat, et peripneumoniam, Elephantemque, fortiſſimam licet beſtiam, repentina, ut ſcribunt, morte necet, eroſis, aut conſtrictis et collabentibus pulmonnm lobis, liquidisque ab acido coagulante coeuntibus. Et auctor eſt PLINIVS Iunior, *Epiſt. 16. lib. 6.* Auunculum ſuum, Hiſtoriae Naturalis conditorem, ad Veſuuii flammas egreſſum, odore Sulphuris ſuffocatum interiiſſe. *Luſit et Anaxilaus eo, candens in calice nouo, prunaque ſubdita, circumferens, ex ardeſcentis repercuſſu pallorem dirum, uelut defunctorum, offendente conuiuis*, ut *PLINIVS N. H. lib. 35. cap. 5.* habet. Quod quidem Noſtrates per facetias imitari ſolent, ſalem marinum cum ſpiritu uini mixtum, in menſa accendentes, unde

hiſtoriae, a CRATONE, *lib. 1. epiſt. 11.* et HOECHSTETERO, *Dec. 3. p. 53.* annotatae docent. Damnandus praeſertim externus ſulphuris aceto ſoluti uſus, ſcopo abigendi lentigines, maculas hepaticas, aliasque ſimiles. Delentur omnino hoc remedio maculae, ſed cum uniuerſi corporis, internarum praeſertim partium, detrimento. Recordor uirginis, quae pectori, maculis hepaticis obſeſſo, candorem et nitorem conciliatura, hoc, quod eadem deſiderabat, obtinuit remedio, ſed euaneſcentes maculas, tuſſis, difficilis reſpiratio, ulcus pulmonum, haemoptyſis, febris lenta, et demum mors, ſequebantur.

unde omnes circumſtantes fiunt aethiopes momentanei.

Theſ. 23. De Sulphuris tali generatione experimentum illud nobis perſuadere uidetur, quod uitrioli oleum acidum, oleis uegetabilium eſſentialibus, uel fermentatione productis, additum, ſublimando, in ſpeciem quandam ſulphuris, periculoſa tamen operatione, transmigrat. Conf. Cl. *Willis Pharmac. Rat. Sect. 2. cap. 2. p. m. 64.* Et fatetur Nobiliſſimus BOYLE, *Experiment. de Odor. 3.* ſe in periculum ſuffocationis coniectum fuiſſe ex halitu ſulphureo huius experimenti. Vnde non ſatis mirari poſſum illam uulgi Noſtratis conſuetudinem, in quauis tuſſi ſulphur accenſum naſo admouentis; hinc enim magis augetur morbus, et ſuffocationis periculum incurritur. In Epidemica tamen tuſſi ex ſanguine per Alkali coagulato, et ſic per pulmones immeabili, cum periculo putreſcentiae, aliquid forte ualeret, ut in Hecticis aliquando probatum. Vnde purulenta extuſſientibus PLINIVS utile dixit, *lib. 35. cap. 15.*

Theſ. 24. Illi autem iam dictae Sulphuris procreationi contraria ſunt, quae Cl. MAYOW ſtatuit, *de Sal. Nitr. cap. 4.* nempe ſupponit, ſulphur non in ſe continere ſpiritum aliquem acidum, ſed praeter particulas ſulphureas, puras putas, ſalem quendam fixum metallicum. Quando autem Sulphur accenditur, et partes

deflagrabiles, cum particulis nitro-aereis, (ſic ignem appellat,) incipiunt mutuo ueloციter agitari, ſales fixi, ſulphuri inhaerentes, crebris particularum nitro-aerearum in deflagratione ictibus ita uerberantur, atteruntur, comminuunturque, ut inſtar gladiorum exacuantur, atque in fluorem redacti, et per campanae uitrea labra decidui, acidum ſulphuris ſpiritum componant. Similiter putat, particulas nitro-aereas, Vitrioli ſal metallicum in deſtillatione contundere, comminuere, et fluidum facere; pari ratione, ac uitriolum calcinatum, omnique acido priuatum, ſi exponitur aeri, ſpiritum acidum de nouo imbibat. Eadem methodo explicare conatur, quod liquores uinoſi aceſcant, ſalibus ſcilicet ita per igneas nitroſas particulas flagellatis, ut fluorem acidum mentiantur: ſicuti et, quod iidem liquores, ſoli uel igni expoſiti, aceſcant, inde deducit, quod radii ſolares nitro-aerei, aut nitroſae ignis particulae, iſtis liquoribus communicatae, particulas ſalinas ibi exacuant, atque in ſalia acida conuertant.

Theſ. 25. Ignis quidem Natura qualis ſit, adhuc, et forſan in poſterum, diu diſputari poteſt, ſed tamen ille ipſe ignis corpora uarie mutat, inque ramenta minutula diſcerpit. Et ſubtili quidem indagine haec ab Auctore dicuntur, ſed multa ſunt, quae contrarium ſuadent, argumenta, ob commendatam mihi breuitatem reticenda. Vnum ſolummodo nominabo, ineſſe Vitriolo ſemper, et ſulphuri omni, acidum ſpiritum,

ritum, antequam ipſa ignem experiantur, tartarumque uini uel cereuiſiae eſſe, qui ex motu introducto ſolutus, aciditatem conciliat, notiſſimo iam uel ipſis oenopolis omnibus experimento conſtat. Sic fulminationes aeſtiuo tempore factae, motu introducto, et ſoluto tartaro, uina et cereuiſias aceſcere faciunt. Non autem uidetur mihi Nob. BOYLE *de Inſ. Effic. Effluuior. cap. 5.* ſupponendo fulminis particulas acidas, per poros doliorum intrantes, hoc efficere, cum dolium uini fulmine expauidum, turbulento ſtatim ſcateat humido, rem acu tetigiſſe. Videtur porro ipſe MAYOW ſibi contradicere, dum Vitriolum per calcinationem acido liberari dicat; ſed acidum euaporari non poterit, niſi antea ibi adeſſet, et praeterea, ad eius mentem, Vitriolum ab igne non dediſceret acorem, uerum magis magisque eundem contraheret, cum ignis nitro-aereas partes ſolas eſſe, adfirmet, quae metalla in acida conuertant.

Theſ. 26. Corrodit quoque *Lazuli lapis*, coerulei coloris, et *Lapis Armenus uiridis*, propter admixtam ſibi uenerem, martem, lunamue, purgat, exeditque inteſtina, ſi copioſius adſumatur. *Tutia* quoque interne ſumta corrodit fortiſſime. Externe enim eam unguentis depilatoriis adhibent Indicae muliérculae, teſte BONTIO, *de Med. Indor. lib. 1. de Tut.* Eſt autem Tutia, eodem auctore, ex terra ar-

gillacea excoctus fumus, qui ollarum lateribus accreſcit. Atque ut de Lapide Lazuli loquar, non male Practici quidam Confectionem Alkermes, quam iſte lapis ingreditur, eis denegant, qui expuitione ſanguinis, haemorrhagiis narium, menſiumque, uel haemorrhoidibus laborare ſolent. Spicula enim Lazulina erodunt magis uaſa, atque aperiunt. Et dantur quam plurimae aquae, Lapidem Lazulum atque Armenum ferentes, quae intra corpus ſumtae id exedunt, uomitumque excitant, pulmonibus quoque uim adhibent; quales ſunt Vetris in Marchia Italiae Treuiſana, ad Walliae urbem Heruord in Anglia, et alibi. Et forſan in noſtris quoque acidulis quibusdam, quae pulmonibus adeo nocere perhibentur. Sed, quando fontibus medicatis cum aliis mineralibus miſcentur, ſicut in fontibus Ducatus Würtembergici Dainacenſibus, cum fructu uſurpari poſſunt. Conf. TABERNAEMONTANVM *Hydrotheſ. Part. 1. c. 8.*

Theſ. 27. Huc pertinent, *Aeris Rubigo*, itemque *Squama*, quam λεπίδα χαλκȣ̃, Graeci uocarunt, tum *Rubigo Ferri*, et *Vitri Fel* ac *Schidia.* Haec tamen ex uitro, magis ſunt lancinando exitioſa, ita ut ex uitro confracto, ac per inſanam uirginem ciceribus mixto, facti ſint duo hydropici, memorante CARDANO, *Contr. Med. lib. 2. Tr. 5. contr. 10.* In duobus porro collegiis ſacrarum uirginum plures perierunt

runt ex uitri eſu, teſte eodem, *de Venen. lib. 1. cap. 1.* Hinc forte ſibi non multum bene proſpiciunt ex uulgo, qui in pleuriticis doloribus uitra contuſa adſumere ſolent. Verum quidem eſt, acres eiusmodi cuſpides poſſe diſcindere pituitae particulam, in fine conico arteriae, per pleuram, uel pulmones, haerentem, ſed poſſe etiam ſimul, antequam illuc delatae fuerint, arrodere aliquam partem ſolidam, uulnere incurabili, et morte ipſa, perſoluendo, ut exempla uidi in patrio rure plurima, ubi haec medicina, neſcio quibus auctoribus, uſu recepta eſt. *m*)

Th. 28.

m) His omnino, tanquam notatu digna, adiungenda, quae in uitriariis, et deinceps in me ipſo, obſeruaui; ſpicula ſcilicet uitrorum confractorum, aut accommodatis diſcerptorum inſtrumentis, oculis illapſa, modo omnis attritus et frictio euitata fuerit, nihil mali attuliſſe, ſolutis quippe ſalibus illis, uitri ſpicula conſtituentibus, eadem, cum perdita, per ſolutionem, cuſpide, uim lancinandi amiſerunt. Contrarium plane obſeruamus, ſi illapſis in oculum tenuioribus uitri particulis, irritationem ab iis excitatam, abactuiri, oculos ſuffricamus, tum quippe ſpiculis illis in ſolidas partes adactis, dolor, inflammatio, exulceratio et alia plura incommoda excitantur. His confirmandis ſeruiunt ea, quae de uitriuoracibus BORELLVS, *Cent. 1. obſ. 52.* CASP. *a* REIES, *Elyſio iuc. quaeſt. campo, qu. 92. no. 8.* SENNER-

Theſ. 28. Quod ferrum concernit, credibile eſt, illud uaſa ſanguinea non intrare, ſed totam ſuam uim inteſtinis impendere. *n*) Et ſi uel

TVS, *Paralipom l. 3. c. 2.* REALDVS COLVMBVS, *lib. 15. de iis, quae raro in Anatome reperiuntur, p. 486.* AMATVS LVSITANVS, *Cent. 2. Cur. 69. in ſcholiis, p. 312.* TH. BARTHOLINVS, *Cent. 5. hiſt. 66.* PANAROLVS, *Pentecoſt. 4. obſ. 6.* HENRICVS *ab* HEER, *obſ. 16. p. 208.* et FABRICIVS HILDANVS, *Cent. 5. obſ. 2. et Cent. 6. obſ. 35.* afferunt. Et, ex HORSTII ſententia, *Reſponſ. ad Fabricium Hildanum, Cent. 6. obſ. 35.* Vitrum mundificans eſt remedium, quanquam autem, ſcribit ille, acutiſſima fragmenta uitrorum alias acumine ſuo facillime corporis partes laedant; alia tamen eſt ratio, quando maſticationis beneficio conteruntur, ac poſtea cum alimentorum ac potulentorum liquoribus commiſcentur, ubi non dubito, quin ad primarum uiarum purificationem faciat eiusmodi uitrum. Ne uero credas, omnibus peraeque ὑαλοφαγίας temeritatem bene ceſſiſſe, contraria contrarii exempla effectus, quae CAESALPINVS, *l. 3. c. 29. apud Zachiam*, PLATERVS, *Pr. T. 2. cap. 11. p. 455.* BARTHOLINVS, *Cent. 5. hiſt. 66.* CAMERARIVS, *Sylloge Memor. Cent. 10. part. 66.* CARDANVS, *lib. 2. Contradict. med. tr. 5. contrad. 9.* allegant, abunde probant.

n) Si reſpicis terram martis metallicam, et ab hac reſultantem uirtutem abſorbentem atque ad-

uel maxime ingreditur ſanguinem, experimen-
tis

ſtringentem, certum omnino manet, has particulas non ſubire ſanguinem, ſed abſorbendo partim acidum, in primis uiis peccans, partim roborando partes canalis alimentorum laxiores, uniuerſi corporis proſperitati proſpicere; ſi uero ad reliqua, quae ferro inſunt, principia, ſulphur nempe, attendis, eadem in ſanguinem penetrare, tum ex natura horum principiorum, tum ex effectu, quem in ſanguine praeſtant, ſatis liquet. Ita enim ferrum, ob inhaerentis ſulphuris copiam, ignem facile concipit, diutius fouet, odoremque hinc ſpargit. Martialia remedia, praeſertim ſimplicia, ore aſſumta, ructus pariunt ſulphur redolentes. Refert praeterea KVNCKELIVS, *obſeru. chym. de Princip. p. 96.* ſe, per repetita frequentius experimenta, in marte, ſulphur uere comburens, et ualde ſalſum, et terram copioſiſſimam deprehendiſſe. Idem porro, *l. c. p. 19.* teſtatur, quod ferrum potenti acido ſit inſtructum. Manifeſtum hinc eſt, quod mars, reſoluendo, et roborando, morbis, a ſolidorum laxitate, et humorum dyſcraſia acida et pituitoſa ortis medeatur. Magnum hoc modo uirginum chloroſi affectarum ſolatium, martem *A. N. C. cent. 5. p. 370.* appellant, et ETTMVLLERVS, *Colleg. Pharm. in Schroederum, T. 1. p. 836.* multipli experientia edoctus, affirmat, quod tinctura uitrioli martis Zwoelfferi, menſes in tenerioribus conſtitutionibus reſerarit, in robuſtiori-

tis probatiſſimis conſtat, humores inde coagulari. Limatura martis in morbis ab acido prognatis medicina eſt omnium, quas nouimus, excellentiſſima; Sed ubi pituita per canalem inteſtinorum regnat, marsque ſic non ſolui poteſt in nidoroſum et fere porraceum ructum, plus nocumenti adfert, quam emolumenti. Praecipue uero in morbis, ex alkalino acri obortis, Venenum eſt praeſentiſſimum, nam ſubiugatur tum acidum martis uitriolum ab alkali morboſo, et calx relinquitur obſtruens ac maxime adſtringens. *o*) Quare etiam omnes, morbis putridis, lui uenereae, ſcorbuto alcaleſcenti, leprae, pulmonibus purulentis, obnoxii, quam rectiſſi-

bus uero, liquor terrae martis ſolaris. Quanta ſit uirtus martis et martialium remediorum, in cura icteri, hydropis, obſtuctionis uiſcerum, etc. confirmant plures obſeruationes, quas *A. N. C. cent.* 7. *p.* 292. MAYERNE, *Prax. p.* 317. SOLENANDER, *Conſil. p.* 336. GREVV, *Experim. curieuſ. du melange des corps p.* 47. RIEDLINVS, *lin. med. Ao.* 1696. *p.* 135. adducunt.

o) Vbi canalis alimentorum multis cruditatibus uiſcidis ſaleque alcalino refertus eſt, ante omnia congruis euacuantibus eius expurgatio ſuſcipienda, quibus peractis, martialia, fibras laxiores roborandi fine, adhibita, meliorem effectum praeſtabunt; quinimo neceſſarius hic martialium ſelectus, uti nos docent, *A. N. C. Cent.* 1. *obſ.* 189. *p.* 407.

rectiſſime ab acidulis abiguntur. *p*) Hinc quoque

p) Peculiarem tractatum *de Abuſu acidularum* LAMSWAERDE, in 8uo Amſtelodami 1674. edidit, ſecutus in hoc SEIBIZIVM, qui, ſub eodem titulo, librum, in 8uo, Argentorati 1647. et denuo 1655. impreſſum, in lucem emiſit. Decet omnino tempeſtiue, quando integer adhuc uiſcerum tonus, nullaque notabilis eorum labes adeſt, acidulas in uſum uocare, alias loco emolumenti, quod hinc ſperamus, plura propullulabunt mala; acidulas, inquit HARDERVS, *M. N. C. Dec. 1. Ao. 3. p. 342.* in diſpoſitis, hydropem accelerare, fide dignum eſt, limpham augendo, acriorem uiolenter mouendo, uaſa limphatica replendo, dilatando, rumpendo, exedendo, uiſcera eneruando, ſubinde impulſa acriore ſanie, corrumpendo, et aliis, ſi qui ſunt, modis. Pauciſſimis idem, PATINVS, *lettr. Tom. 2. p. 624.* expreſſit. *Toutes les Eaux metalliques ont un certain ſel deſſéchant et ennemi des entrailles.* Plura contra, ſi mature acidulis utaris, emolumenta tibi promittere potes; uidimus ſane, ſcribit SEIBIZIVS, *diſſert. de acidulis, ſect. 1. Diſſert. 1. §. 28. p. 29.* quam plurimos a cachexia, obſtructione uiſcerum, renum et meſenterii, febribus inueteratis, melancholia hypochondriaca, ictero, feruore hepatis et renum, paralyſi, inappetentia, Petrinarum, Grieſſbacenſium in Alſatia acidularum uſu uindicatos eſſe, qui aliis remediis conualeſcere non pote-

queLacedaemonii, teſtePLVTARCHO *in Vita Lycur-*

rant. De incolis, qui aquas atramentoſas Langenſchwalbacenſes in Weterauia bibunt, refert TABERNAEMONTANVS, *in Hydrotheſi P. 1. c. 2.* eos ſanos eſſe, optimo corporis habitu praeditos, immunes a catarrhis, uiſcerum abdominis morbis, a calculo, arthritide, ictero, etc. Acidulis S. Mauritii in Engadina ſuperiori in Rhaetia ſcaturientibus, haemoptoicos, empyicos, et phtiſicos ipſos, mirabiliter reſtitutos fuiſſe, FORTIS PATAVINVS, *Conſult. et Reſponſ. Mal. Cent. 2. §. 28.* commemorat. Phtiſin praeſeruandi, imo curandi ſcopo, acidulas maxime conuenire, teſte MORTON, *Phtiſiolog. lib. 2. cap. 2. p. 43.* diſcimus, ſequentibus uſo: ceteris autem omnibus longa experientia edoctus, in hunc finem, aquas minerales chalybeatas praeferre ſoleo; quippe quae laticem ſeroſum, magna copia, e toto corporis habitu per renes praecipitando, et hecticum calorem ſanguinis, et ſpirituum, temperando, obſtructiones etiam reſerando, debitumque partium tonum reſtituendo, omne tetigiſſe punctum curationis praeſeruatoriae, uel ipſa ratione iudice, comperiuntur. Quod etiam multiplici experientia compertum habui, ex quo huiusmodi aquae hic prope, Islingtoniae ſcilicet, in uſum publicum, cum inclyti collegii noſtri conſenſu, primum redactae ſunt. Atque harum ope plurimos praeſeruatos, aliosque quidem a phtiſi inſigniter reſtitutos

Lycurgi, cap. 15. numiſmata ex ferreis baculis cudere ſoliti, candentia aceto mergere conſueuerunt, ut fragilia eſſent, nec in alios uſus conuerterentur. Vnde docemur, non promiſcue omnis generis morbos ad acidulas eſſe remittendos, ſed illos tantum, qui uel ab acido dependent primarum uiarum, uel a flacciditate uaſorum.

Theſ. 29. Quibus ſe ſe adſociat *Adamas*, *q*)

H aurium

uidi, de quorum ſanitate recuperanda plane deſperaſſem, idque non obſtante uaſto eo medicaminum apparatu, quae uel in pharmacopoliis, uel in officins Chymicorum, proſtabant uenalia, et probatiſſima adminiſtrandi methodo, quae ſaltem mihi conſtabat, niſi aquae, illae uel ſaltem quædam aliae earum ſimiles in promtu fuiſſent. Nunquam igitur, in remediis, uel approbandis, uel repudiandis, particularibus fidas obſeruationibus, ſed, quid ſingulae ſuadeant circumſtantiae, perpendens, congrua et ſufficientia ſemper ſeligas medicamenta; cum nihil proſit, quod non laedere poſſit idem.

q) Adamantis impoliti deglutitioni, teſte Zacvto Lvsitano, *Prax. Admir. l. 2. obſ. 18.* cruenta deiectio, tabes, et mors ſucceſſit. De adamante innoxie deglutito lege *A. N. C. Dec. Ao 9. obſ. 97. et Toxicol. noſtr. lib. 1. §. 45. p. 46. et 47.* Fide et applauſu, an digna ſint, quae de Adamantis externe applicati uiribus recenſet Spigelivs, *de Semitertiana p. 264.* indicent alii; memini, inquit, cum eſſem in Auſtria, incidiſſe me in maxime

aurium digitorumque ornamentum, ſed ſpiculis acutiſſimis, quae terendo adquirit, atque ob id mechanicum Venenum dictus, tubum inteſtinalem et uicinas illi partes ſenſim lacerans ac corrumpens, ac ſic in famoſo illo Pariſienſi Veneno, *Le Poudre de Succeſſion*, non ultimum locum nactus: cuius puluere Illuſtriſſimum Principem Ludouicum, Marchionem Brandenburgenſem, non ante multos annos periiſſe, SPLEISIVS ſcribit, *Annot. ad. Zapat. Secret. Med. Chirurg. cap. 1.*[4] Nec obſtat, quod CARDANVS, *Contr. Med. lib. 2. Tr. 5. contr. 10.* Adamantem, non Venenum, ſed medicamentum, faciat, propterea, quod Franciſcus quidam Todeſchinus plures acies adamantinas impune

p.m.21.

illuſtrem uirum Gondachenum a Liechtenſtein, qui narrauit mihi, ſe, cum eſſet temperamento prorſus melancholico, et capite admodum calido, ad maniam propenſo, non potuiſſe longo tempore ſomnum capere ſine inſomniis turbulentis perpetuis, ſolo adamante auro incluſo, ſiniſtroue brachio ſupra cubitum, ubi fonticuli inurantur, alligato, in forma armillae, ita ut adamas tangeret ſemper nudam carnem, ab hiſce moleſtiis plurimum liberatum; fuiſſe autem adamantem planum et latum, duorum uix granorum pondere. Sed, quem latet, aegrotos, melancholicos imprimis, opinionibus regi? magis hinc perſuaſionem de adamante, quam applicati effluuia adamantis, hic profuiſſe, credo.

pune deuorauerit. Nec adamanti hanc Veneni maculam eripit ZACHIAS, *Quaeſt. Medico-Legal. lib.* 2. *qu.* 2. quamuis uelit, confeſſionem rei dicentis, ſe ſcobem adamantinam mortuo praebuiſſe, non nocere, cum adamas neceſſario necem non inferat. Nec pulcrius apud nonnullos audit *Magiſterium Perlarum.* Refert enim *Camerarius Memor. Med. Cent.* 10. *part.* 12. *ex Cratone*, quod Epiſcopus Vratislauienſis Caſparus Logus, porrecto per Paracelſiſtam, pro Cardiaco, Perlarum Magiſterio ſeu polline, poſt mortem uentriculi tunicas nigras et corruptas habuerit. Idem narrat de Marchionis Ioannis coniuge, in qua uentriculi tunicae plane erant eroſae, ut uidere eſt apud CRATONEM ſummum Virum, triumque Imperatorum Archiatrum, *Epiſt.* 163. *Neque enim duritie illa indigemus ad ſectionem uentriculi, uel inteſtinorum*, dicente ſic in Adamantem CARDANO, *de Venen. lib.* 1. *cap.* 21. Nec ſibi placuiſſe haec cordialia, propter corroſionis ſuſpicionem, Illuſtris ſcribit VERVLAMIVS, *Hiſt. Vit. et Mort. Sect. Art.* 12. 13. 14. *Operat.* 3. §. 10.

Theſ. 30. Dixi ſupra, Adamantem, et Vniones, alterum minerale, alterum animale, per trituram mechanicam fieri poſſe Venenum. Parili modo fit, ſi cryſtallus montana *r*) in pollinem

r) Cryſtalli montanae puluerem, non exactiſſime piſtillo laeuigatum et conquaſſatum, ad claſſem

et quaſi tot cultellos perteritur. Venena porro Mecha-

uenenorum tritu mechanico paratorum referendum eſſe, probaui *Toxicol. lib.* 1. §. 45. *p.* 46. *et* 47. Minime tamen exinde hujus remedii uſus plane damnandus, docuit quippe quotidiana experientia, cryſtalli montanae uires, in ſedando ſanguinis orgaſmo, delenda ſiti, curando ardore uentriculi, aliisque morbis grauioribus profligandis, fuiſſe praeſentiſſimas. In oris ulceribus cancroſis cryſtallum montanam laudat HOLLERIVS, *Inſtit. Chirurg. L.* 6. *c.* 8. Idem remedium, ita dictis catarrhis, tum praeſeruandis, tum curandis, ſeruire, auctore RIVERIO, *Prax. Lib. I. c.* 15. cognoſcimus. Ad Corroſiuam mercurii ſublimati uim infringendam, drachmam unam cryſtalli montanae, cum oleo amygdalarum dulci, SENNERTVS, *Phyſic. L.* 5. *c.* 4. commendat. Quanta huius remedii ſit uirtus, in ſiti, aeſtu, ſolidorum laxitate, ex IO. LANGIO, *lib.* 2. *epiſt.* 49. et VITALI *de* TVRNO *c.* 64. *fol.* 70, diſcimus. A MACASIO, *Prompt. med. p.* 320. et *p.* 325. ut probatiſſimum remedium, cryſtallus montana, contra ardorem ſtomachi, et choleram humidam, drachmae doſi, praeſcribitur; cui, exemplo nouo ſuffultus, ſubſcribit FRANCVS de FRANKENAV, *Satyr. med.* 8. *not.* 23. *p.* 72. Porro in plica Polonica, idem medicamentum HERC. SAXONIA, *lib.* 10. *Prax. cap.* 59. in cephalalgia, melancholia, et mania, REINECCERVS, *Theſ. Chym. lib.* 1. *c.* 6. *et* 12. et MACASIVS, *l. c. p.* 273. laudant.

Mechanica uaria ſunt, pro diuerſitate figurae, *Gladius* nempe, *Acinax*, *Pugio*, *Culter*, *Serra Securis*, *Malleus*, *Globus* ex machina emiſſus, *Telum*, et quaecunque alia, uel ars, uel furor nocendi, arma ſubminiſtrat, et ſubminiſtrauit, quae pungendo, lancinando, ſecando, uel trahendo, inflammationem, dolorem, liquidorum coagulationem, ſolidorum ſolutiones, et mortem denique ipſam, procurant. Vnde patet, multa poſſe dici homini uenena, rodentia et lancinantia, ſi uis uitae acceſſerit, quae tamen neque ſint *Acida* neque *Alkalina* *s*) Porro *Ceruſſa* et *Lithargyrium*, ſiue *Argenti ſpuma*, praeter qualitates obſtruentes, quas infra dicturus ſum, uomitum, colicam, dyſenteriam, ſingultum, tremores, conuulſionesque, acribus, H 3 quas

s) Huc referenda ſunt, quae de ſubtiliſſimis ramentis, ab orichalci laminis auulſis, adduxi, *Toxicol. lib.3. §.10. p.11. et 12.* Addo his tenuiſſima ſpicula, ab oſſibus carnium diffractis ſeparata, atque improuide deglutita; Animaduerti ex improuida huiusmodi feſtucae oſſeae deglutitione, faucibus inhaerentis, pertinacem inflammationem, ſuppuratione ſuccedente curatam. Simile, et periculoſius adhuc experimentum, in mercatoris Itali famulo obſeruaui, qui ex eadem cauſa, in dolorem uentriculi punctorium, febrem continuam, continuum eumque irritum uomendi conatum, et demum in grauiſſimas conuulſiones, morte ſubſequente finitas, incidebat.

quas poſſident, et corroſiuis particulis conciliant.

Theſ. 31. Ad Metallica Venena refer etiam *Fulmen*, quod uel Nitroſum, uel Sulphureum eſt, hincque diuerſimodi effectus. *t*) Sulphureum eſſe aliquando, docet odor ipſe in mortuis, ut in duabus lotricibus Flaminiae Tiblenſis in Vplandia Ao 1706. quae in ipſo lotionis opere ad amnem interfectae ſunt, illaeſis tamen ueſtibus, ſed pilis igne conſumtis. Poſſidebat, Celeberrimus, dum uiueret, Medicinae Doctor et Profeſſor Vpſalenſis, *A. Droſſander*, duos argenteos nummos, noſtris *Tolförſtycke* in crumena

---

t) Quotuplex ſit fulmen, optime explicauit REINZERVS, *Meteorologia Philoſophico-Politica, Diſſ. 3. qu. 3. p. 39.* De fulminis cauſa, origine et theoria, lege ROHAVLT *tr. Phyſ. P. 3. c. 16 A. N. C. Dec. 1. Ao. 2. p. 67. Hiſt. Academ. Reg. Scient. Ao. 1700. pag. 294. et 374.* IONSTONIS *Thaumatograph. nat. cl. 3. c. 5.* BAC. de VERVLAMIO *Oper. ed. cit. Hiſt. Nat. et exper. de uentis*, *§. 32. et 35. p. 452. et §. 38. et ſequ. p. 475.* Vberiorem praeterea catalogum effectuum rarorum et ſtupendorum, quos fulmen produxit, tibi ſuppeditant, PLINIVS, *H. N. lib. 2. cap. 57. p. 18.* LVCRETIVS, *de Natura rerum, lib. 6. uerſ. 227.* BARTHOLINVS, *Actis Haffn. Vol. 4. obſ. 9.* DIEMERBROECK, *Obſ. 95.* FABRICIVS HILDANVS, *Cent. 3. obſ. 26.* GARMANNVS, *Mirac. Mort. l. 3. tit. 1. §. 44.*

mena ruſtici Gothlandici, qui fulmine ictus obierat, fuſos, ac ſic coalitos. Qualia exempla plura uideri poſſunt apud PLINIVM, *Nat. Hiſtor. lib. 2. cap. 51.* Praecipuum eſt de Marcia Principe Romana, quae icta grauida, partu exanimato, ipſa citra aliud incommodum uixit. Sic Ao. 1702. cum ad Academiam Aboenſem ſtudiis operam darem, contigit menſe Iulio, die quadam ſolemnium precationum, ſub precibus ueſpertinis, ut inter imbres denſiſſimos, Fulmen per ianuam minorem ab auſtrali templi parte irrueret, ſed mox uerſo itinere, per medium templum pergeret, occiſoque aurifabri puero ſine aliquo ſigno externo, praeter crinium deflagrationem, forma rotunda occidentalem peteret partem, ibique lapideo infantum lauacro in partes diffracto, cum multo fragore, rurſus per ianuam exiret; quod attonitis, quotquot in templo ſacra celebramus, circumſpectare contigit. Multis ex tonitru mouetur aluus crebris itibus, quale exemplum referunt *Acta Philoſophica Regii Collegii Londinenſis*; et ſaepius uidi idem accidere pecudibus ſub dio relictis. Quin et contingit, ceruas inde abortire, ut uidetur indigitari *Pſ. 28, 9.* Atque in Romana Hiſtoria legitur, Tullum Hoſtilium, Regem, fulmine ictum, cum tota domo conflagraſſe. uid. VAL. MAXIMVS, *lib. 9. Memor. Exempl. cap. 12.* Sed diuerſos fulminis effectus SENECA, *Nat. Quaeſt. lib. 2. cap. 31.* perſecutus eſt. Et

quidem *cap. 53.* Vinum fulmine gelari ſcribit, cumque ad priorem habitum redierit, potumque fuerit, exanimare, aut dementes facere, certo indicio, in fulgure aliquid eſſe materiale. Creditum porro eſt, animalia fulmine tacta non putreſcere, ut diſputat PLVTARCHVS, *Sympoſ. lib. 4. Qu. 2.* Crediderim tamen plures ex ipſo terrore, quem humanas motura tonitrua mentes incuſſere, mortem obiiſſe, quam quidem ex ipſo halitu fulminis ſubtili, nitroſo aut ſulphureo. Et uidi aliquot tam horrere fragores collabentium nubium, ut ſe in molendinum contulerint, lapillos molae iniecerint, ut fecit ruſticus Brunſkogenſis in Wermelandia Ao. 1696. quo Tonitrua non exaudirentur. *O te dementem atque oblitum fragilitatis tuae! ſic tune mortem times, cum tonat? Itane ſalus tua in hoc uertitur? Viues, ſi fulmen effugeris? Petet te gladius, petet lapis, petet febris. Non maximum ex periculis, ſed ſpecioſiſſimum Fulmen eſt*, uerba ſunt SENECAE, *Nat. Quaeſt. lib. 2. cap. 59.*

Theſ. 32. In acrium Venenorum examine occupati, ſi *Ignis* nullam faceremus memoriam, uitio mihi plane hoc uertendum eſſet, cum cetera acria per igneas particulas agere id, quod agunt, ab omnibus dicantur. Nec eſt in ullo alio acri Veneno aliquid, quod non ab igne pariter in actum deducatur. Partes enim ſolidas adurit, reſoluit, atque exedit; fluida uero tenuiora

ra

ra diſſipat, reliqua incraſſat, et coire facit. Hinc excitat dolorem, ſitim, febrim, conuulſiones, gangraenas, ſphacelum, peripneumonias, et reliqua omnia ordine mala. Equidem Ignis natura, non conſiſtit in acido quodam uolatili ſale, ut multi uoluerunt, ſed eſt aggregatum quoddam materiae ſubtilis ſui certe generis, in mero motu poſitum, inſtar innumerarum acicularum, ut quidem credibile, aut ſerrarum acutiſſimarum, figuram corporis diſturbantium, et uiciniam partium diuidentium plane. Arduum quippe eſt explicatu, Acidum Spiritum Vniuerſalem, qui Metallis, Terris, Herbisque quibusdam ingeneratur, eſſe Ignem, ſeu primum CARTESII Elementum, materiamque ſubtilem Igneam Acido-Volatilem, Solis, Aſtrorumque materiem conſtituere.

CAPVT QVARTVM.

De genio Venenorum Animalium, horumque modo operandi diſſerit.

Theſ. 1. In Veterum ſcriptis ſedulo contrectatis, Animalium inuenio Venena, ipſis, ſub nomine *putrefacientium*, uenire, quod in mollioribus et ſanguineis partibus phlegmonas atque eryſipelata excitarent, eſſentque contagioſa quam maxime et late uagantia, putredine ſibi ſimilem excitante putredinem. Sunt tamen ex illis quaedam, quae uni communicata ſubiecto, funeſtam quidem aleam ibi ludunt, ſed ex illo homine in

alium non amplius ſunt contagioſa. Contra dantur alia, quae uni contingentia, in reliquos omnes ſunt propagabilia, ſi acceſſerit contactus.

Theſ. 2. Cauſa uidetur mihi haec eſſe, quod illa ſint ualde tenuium atque acrium partium, ut ab ipſis laeſus mox interimatur, antequam ulla perfecta et totalis in ipſo potuit contingere corruptio, ſolidis ſcilicet in inſtanti grauiter laeſis, et fluidis per maxime uitales partes denſe conglobatis. Haec uero non adeo tenuibus conſtant partibus, uiſcido, inſtar glutinis, implicata, ſenſim putrefaciunt atque erodunt, firmiusque loco, cui adplicantur, per uiſcidum adhaerent, ſine ullo ibi antegreſſo uulnere, idque tam externe, quam interne: cum priora nonniſi in uulneribus a ſuo expulſore percuſſis implicari poſſint. Excipi nonnulli uolunt Serpentis Dryini Venenum, quod contagioſum perhibent; cum autem omnes eum faciant pinguem, Venenum forte eius ſimili quoque glutini inhaeret.

Theſ. 3. In Regno itaque Animali Veneni infamia notantur, inque Corroſiuorum atque Acrium numerum quamplurima ueniunt, a me breuiter hoc loco enumeranda. *Bufo*, ſeu *Rubeta*, *u*) antiquis cellis, ſpecubus, et ſiluis denſiori-

u) Eosdem uero, quos hic auctor, damnat, effectus, non Rubetam ſaltem, ſed Ranam quoque paluſtrem, excitare, antiquus auctor, DIOSCORIDES, *Op. ed. cit. Alexipharm. cap. 31. p. 413.* iam annotauit, ſimulque, quae, his reſiſtant uenenis,

ſioribus notiſſimum quadrupes, ſed ueſpertino praeprimis tempore prorepens. Et uulgari conſtat experientia, Buſonem, adueſperaſcente coelo, non ſolum uenenatum anhelitum, ſed ſpumam, urinamque, ſi quis ei ſuperuenerit inſcius, ad duarum uel trium ulnarum altitudinem emittere, tam acrem, ut flaueſcant atque intumeſcant partes inde contactae, oriatur porro aſthma, ſtupor, conuulſio, uertigo, et mors. Qualia exempla periculoſae inflammationis memini me ſaepe uidiſſe, et in ſe ipſo, adhuc puer, Cl. GOCKELIVS, expertus eſt, ut habet *de Venen. p. m. 100.* Sed mira eſt obſeruatio *Nicandri in Alex.* poſt multa alia ſymptomata, inuitis et uiris et foeminis, extillare genitale ſemen, ac ſterilitatem induci. De Buſone autem ſaxatili commemorant, quod molari forte lapidi inhabitans ingenitusque, ſi ex uerſata per

antidota, adiunxit, uti ſequentia demonſtrant: *Φρῦνος ἢ βάτραχος ἕλειος προσενεχθεὶς ἐπιφέρει οἰδήματα σώματος μετὰ ὠχρότητος ἐπιτεταμένης, ὡς δοκεῖν πύξῳ ἐοικέναι· δυσπνοεῖν τε καὶ δυσωδίᾳ ὀδωδέναι τὸ στόμα, καὶ λυγμὸς αὐτοῖς ἕπεται, ἐνίοτε δὲ καὶ σπέρματος ἀπροαίρετος ἔκκρισις. Εὐβοήθητοι τε τυγχάνουσι μετὰ τὸν ἔμετον λαμβάνοντες ἄκρατον πολὺν, καὶ καλάμου ῥίζης ∠ β! ἢ κυπείρου αὐτό. Δεῖ δὲ αὐτοὺς καὶ ἀναγκάζειν συντόνως περιπατεῖν καὶ τρέχειν, διὰ τὸ ἐν αὐτοῖς ναρκῶδες· λούειν τε καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν.*

per gyros mola incaluerit, tumeſcat atque in. fletur, diſruptoque ſaxo, farinam Veneno infi. ciat. Vid. PAVLLINI, *Buſo Curioſus cap. 2. Sect. 1. ſ. 7. x*) *Th. 4.*

x) De damnis, quae bufones inferant, atque attulerint, uide plura apud LIBAVIVM, *Batrach. lib. 3. ſchol. ad cap. IX.* ADROINVM, *de Venenis, lib. 4. c. 7.* BENZETTVM, *lib. 3. c. 12.* SALMVTHVM, *Cent. 1. obſ. 59.* Ita in ſpecie bufonem deglutitum urinae ſuppreſſio ſecuta fuit, uti *A. N. C. Dec. 2. Ao. 2. Cent. 7. p. 422.* indicant. A foliis ſaluiae, bubonum excrementis conſpurcatis, amentiam, titubationem, uertiginem, ſyncopen, enormes uomitus, et demum mortem, corporibus in immenſam extenſis molem, excitatam fuiſſe, obſeruationibus, ex PARAEO, *Chirurg. l. 20. c. 24.* deſumtis, *diſſertatione de ſaliua in infuſo adhibenda, §. 19. p. 36. et 37.* abunde probaui, demonſtraui. Praeterea notatu digna ſunt, quae de bufonibus, innoxie comeſtis, GARMANNVS, *l. 2. tit. 2. §. 63.* de ſalutari eorum uſu, in hydrocele et anaſarca, CASP. *a* REIES *Elyſ. iuc. quaeſt. campo qu. 96. no. 9. p. 1206.* et BARTHOLINVS, *Act. Haffn. Vol. 4. p. 139. et ſequ.* de bufonis exſiccati, umbilico applicati, certiſſimis ac citiſſimis, in cohibenda uteri aliarumque partium haemorrhogia ſymptomatica, uiribus, *A. N. C. Dec. 1. Ao. 10. obſ. 166.* de remedio, a bufonibus, ad curam peſtis et febris quartanae, deſumto ALPH. BORELLVS, *Cent. 1. Obſ. 22. et A. N. C. Dec. 2. Ao. 8. obſ. 104.* afferunt.

Theſ. 4. Bufonem excipit *Paſtinaca Marina*, *y*) alias *Raia* dicta, quae in ſpiculis eandem pererrantibus uenenata ſcribitur. Sed cum aeque hi dentes in mortua atque arida, quam in uiua, itemque dentes lupi marini, nocere ualeant, adparet facile, quid hac de re ſentiam. *Lepus Marinus*, *z*) Noſtris *Siökal.*, quaſi marinum dixeris uitulum, Germanis *Seeflachen*, et *Seequappen*, Belgis *Quallen* et *Quaben*, non quidem talis, quem ruſticus Alandus natans, alteri pone natanti, per aquas tranſmiſit, ſed animalculum frequentiſſime per autumnum in mari adparens, informe, ut ita dicam, atque in-

y) Paſtinacae marinae radium, ad mitigandum dentium dolorem, DIOSCORIDES, *Oper. ed. cit. lib.* 2. *c.* 22. *p.* 94. ſequentibus commendat: τρυγόνος θαλασσίας τὸ κέντρον, ὃ δὴ ἀπὸ τῆς οὐρᾶς αὐτῆς πέφυκεν, ἐνεστραμμένον ταῖς φολίσιν, ὀδόντα πονοῦντα πραΰνει· θρύπτει γὰρ καὶ ἀποβάλλει. Forſitan in huius radii uſu circircumforaneorum, dentes facillimo negotio euellentium, artificium, et arcanum, haeret. conf. RONDELETIVS, *de Piſc. l.* 12. *c.* 1. *p.* 335. OPPIANVS, *lib.* 2. *Halieut. u.* 475. KOENIGIVS, *Regn. Animal. Sect.* 3. *artic.* 5. §. 7. *p.* 812.

z) Pſilothris a DIOSCORIDE *lib. et pag. cit. cap.* 20. lepus marinus accenſetur: λαγωὸς θαλάσσιος, ſcribit idem, ἔοικε μὲν μικρᾷ τευθίδι· δύναται δὲ λεῖος καταπλασθεὶς καθ' ἑαυτὸν καὶ μετὰ ἀκαλύφης τρίχας ψιλοῦν.

inſtar muci, recte quidem in acrium claſſem refertur. Quando enim per uentum ad littora, uel cum retibus extracti hi lepores fuerint, ac per ſolem arefacti, ſi manu tractentur, fatiſcunt in puluerem, adeo quidem acrem, ut ſternutationem moueat, naſumque inflammet, et tumere faciat. Hinc quoque Fennones maritimi lepores eiusmodi rimis parietum pro cimicibus pellendis, certiſſimo experimento, illinunt, ut in paroecia Toeſſalenſi, Ao. 1702. didici. Sic quoque HELMONTIVS, in *Tumulo Peſtis*, Piſciuoras nationes, ac Carthuſianos, cimicibus non infeſtari, cum carnes facile putreſcant, ſcribit. Et neſcio quid non olidi ſtrangulantis ſpirat ex noſtris ruſticis, qui ad littora Balthici maris habitantes, piſcibus et phocarum carne ueſcuntur. *a*) PLINIVS, quoque *H. N. lib. 9. c. 18.*

a) Nemini igitur mirum uideatur, quod ex uſu carnium, piſcium praecipue, continuarum ſymptomata febrium adeo intendantur, ut aegroti grauiſſimis cruciati malis, praematura miſere pereant morte, et febres intermittentes, feliciter profligatae, grauiori calamitatum acerbiorum, diutius perſeuerantium, inſultu, redeant. Tanti conſtat, praeconceptam hanc uulgo adimere opinionem, non uerenti Medicorum demonſtrationes impugnare, aſſerendo; figmenta eſſe hominum nimis ſcrupuloſorum, quod animantium piſciumque carnes, aegrotis, febricitantibus praeſertim, noceant; *Was ſoll mir*, dicunt iidem, *ein*

c. 48. tactu peſtilentes agnouit, uomitumque et uentriculi diſſolutionem protinus creare. Ceterum leporem hunc *Offam informem* appellat, cum tamen ſit animal in ſuo genere perfectum. Atque hoc Veneno Titum Imperatorem a Domitiano fratre interfectum eſſe, memoriae proditum eſt. Et puto ſordes iſtas rubras, ad formam criſtae galli gallinacei accedentes, marique innatantes Herbido auſtrali, quarum meminit LERIVS, *Nau. Braſ. cap. 21.* idem eſſe cum lepore marino; contactum enim earum periculoſum fuiſſe, refert, manus intumuiſſe et rubuiſſe. Id tamen me adhuc fugit, quod in leporis marini uentre, cum ſit cetera exoſſis, duodecim numero oſſa, ad ſimilitudinem talorum ſuillorum connexa et catenata reperiantur, teſte APVLEIO in *Apol. p. m. 215.* Tum *Stella Marina b)* uariatis figuris ludens, quam in Kattwyk op Ree, non procul a pulcerrima Batauorum Leyda, ad antiqua Rheni fluminis oſtia, cum Clariſſimo atque amiciſſimo D. Ioanne Her, populari, copioſe aliquando uidi, in ſicco relictam

Biſsgen Fleiſch, Hecht, Aal, Karpffen, oder anderer Fiſch ſchaden, es ſind derer Medicorum Grillen, ſo die Sache nicht beſſer verſtehen, ſed demum piſcator ictus ſapit; ac tandem Phryges, non aliorum, ſed ſuis emendantur plagis.

b) De ſtellae marinae natura plura inuenies, *A. N. C. Cent. 9. p. 345.* Eadem quoque *Cent. 7. p. 334.* nobis ſtellas marinas petrefactas ſiſtunt.

lictam, praeterquam, quod ubiuis ad maris littora uideatur. Non tamen hominibus ſolummodo exitialis eſt ſtellatus iſte piſcis, ſed oſtrea quoque, cum ſe aperiunt, ingreditur, depaſciturque, teſte LISTER, *de Cochl. Mar. Sect. 2. cap. 2. p. 181.*

Theſ. 5. Venenatos piſces *Scolopendra* c) ſequitur, piloſus uermis, ad rubedinem uergente colore, antrorſum et retrorſum frequenti pedunculorum ordine repens, ideoque Graecis bene *Amphisbaena*, Noſtratibus *Tueſtiert*, Fennonibus Tawaſtenſibus *Tarraka*, duplicis quaſi caudae, dicitur. Forte is eſt uermiculus, qui Graecis alias *Seps* appellari ſolet, et oblongus, piloſis pedibus, pecori praecipue nociuus, PLINIO deſcribitur, *lib. 20. c. 2.* Morſum enim tumor inſequitur, et putreſcit locus. Qualia exempla quamplurima uidi in uaccis, ubera tamen maxime adoritur, cubante pecude. D. Ham-

c) Scolopendram alcali erodente praeditam eſſe, uis eius depilatoria manifeſtat, de qua DIOSCORIDES, *Op. ed. cit. l. 2. c. 16. p. 93.* σκολοπένδρα θαλασσία, ἑψηθεῖσα ἐν ἐλαίῳ καὶ καταχρισθεῖσα, ψιλοῖ τρίχας, ψαυσθεῖσα δὲ, κνησμοὺς ἐργάζεται. Caueas deinceps, neceſſe, eſt, ne ſcolopendram, herbam, a GALENO, *lib. 8. de compoſ. medic. cap. de ſplene*, ad lienis tumorem diſcutiendum, praeſcriptam, cum allegato animalculo confundas, uide plura apud LANGIUM, *lib. 1. epiſt. 74. p. 449. et ſequ.*

Hammarlund, Quaeſtoris naualis ſcriba, iuuenis triginta annorum, acuti ingenii, ſed acutiſſimo capitis dolore per multos iam annos uexatus, ſupremo mane Ao. 1710. d. 7. Aprilis, Coronis Carolinis, Noſtris, *Carls Crona*, ubi Naualia Regis ſunt, naſum fortiter comprehendit, prae taedio doloris, emunxitque ſcolopendram uiuam, in manu relictam; Miraculo perculſus uermem ſtatim ad me defert in Pharmacopolium Ferberianum, ubi habitabam, conſtantiſſime aſſerens, e naſo eductum. Viuaciſſimus erat, rubello capite, cetera candidior, Num uero in naſi cartilagine prognatus fuerit, cum Tabacarium puluerem, cui uaccinum intermiſcetur ſtercus, amarit, non diſputo, uel num in ſomno ſupino per nares ex tecto deciduus irrepſerit, uel in ipſo munctionis momento inciderit in manum, cum tempore uernali eiusmodi uermes prorepant, praeſertim, cum nullum pus, nullum talum una cum uermiculo ſe eduxiſſe aperte ſit teſtatus. Sed ut uis imaginationis multum per homines poteſt, itaque ego ipſi quam maxime perſuadere conabar, hunc eſſe tantorum malorum auctorem, quae perpeſſus fuerat. Dicebat quoque dolorem capitis in dies poſtea hebeſcere. Prognatum tamen fuiſſe hunc uermiculum ex uſu Tabacini pulueris, me certiorem fecit alius caſus Ao. 1716. menſe Auguſto, in Myropola Slyter, ad forum urbis Stockholmenſis magnum, qui Tabacini pulueris amator ſtrenuus, doloreque capitis itidem uexatus, duos

eiusmodi uermes uiuos ex naribus emunxit, ſed minores; *d*) praeterquam, quod nunquam fere fallat, ſub fecibus uaccinis, per paſcua arefactis eiusmodi ſcolopendras uiuas repertum iri.

Theſ. 6. Lacertae e) inſuper, inter quas *Stellio*, *f*) Lacertarumque quaedam alia ſpecies, *Sala-*

d) Haec confirmaturus, adiungo hiſtoriam ſtudioſi Theologiae, qui perpetuas de memoriae ſuae imbecillitate querelas effundens, conſilium accipit, ut tempore uernali, primo diluculo quotidie ſylvas arbuſtaque adiret, inuentosque ibidem formicarum nidos, naribus admoueret, ſpiritum illis inhaerentem, impenſiore per nares inſpiratione, recepturus. Praeſtat idem ſtrenue, ac hunc laborem per menſis ſpatium continuat, ſed loco memoriae, cuius incrementum anxie quaerebat, capitis dolore, eoque perpetuo, atque intolerabili, affligebatur, donec tandem, ſuccedente fortiori ſternutatione, cum copioſa materia purulenta ac cruenta, aliquot formicae excernerentur.

e) De lacerta deglutita euolue *A. N. C. cent. 5. p. 126.* De morſu lacertae immedicabili, lege BORELLVM, *hiſt. med. phyſ. Cent. 1. obſ. 43. p. 50.* Lacertae, per uenae ſectionem cum ſanguine egreſſae, exemplum habet BLEGNY, *Zod. Gall. Ao. 1680. menſ. Iun. obſ. 14.*

f) Tunicam ſtellionis, quam eodem, ut anguis, modo, exuit, potam, item ipſum ſtellionem, harundine exenteratum inueteratumque, in decocta adhibitum, aut eundem in ligneis uerubus aſſatum,

Salamandra, frigidiſſimum animal, atque ob id in igne uiuere fabulatum, cum tecta tantum amet, feruentiſſimosque ſolis radios libenter excipiat, prout uidere eſt apud BODINVM, THEATR. *Nat.lib.3.p.m.310.* et Cl. WVRFFBAIN, qui peculiarem de hoc argumento edidit tractatum, figurisque illuſtrauit. Eſt autem Stellio, lacerta uiridis, in Italia frequens, cuius carnes uino uel aquae iniectae, excitant uomitum, et dolorem uentris uehementem, linguae inflationem ac morſum. Atque hanc ob cauſam helluonibus praecommoda eſſet, a crapula abigendis; ſicut et noſtrates ſerpentum carnes ſpiritui uini indunt in hos uſus in Smalandia, ut a uiro fide digno accepi. *Salamandrae uero ſanie, quae lactea ore uomitur, quacunque parte humani corporis contacta, toti defluunt pili, idque quod contactum eſt, colorem in uitiliginem mutat*, uerba ſunt *PLINII*, *lib. 10. cap. 67.* Conf. *lib. 29. cap. 4.* g) Et quid *Scincum*

I 2 h)

et cum cibis aſſumtum, adeo praeſens epilepſiae remedium eſſe, ut nihl ei in comitialibus morbis praeferatur, Plinio teſte, *H. N. ed. cit. l. 30. c. 10. p. 539.* cognoſcimus. Ab eodem auctore, *lib. cit. in cap. 6. fine, p. 536.* ad lumborum dolorem, ſtellio transmarinus, ablato capite et pedibus, in uino cum papaueris nigri ſucco decoctus, pondere denarii, commendatur. Vide plura Friccio, *l. c. cap. 5. p. 162. et 162.*

g) Deſumſit ſua Plinius, ex Dioscoride, qui

b) taceam, terreſtrem illum, PAVLLO, *lib.7. cap.3.* Crocodilum, quanquam ueneri reuocandae atque excitandae, inſtar cantharidum, per ſalem cauſticum, adhibeatur.

Theſ. 7. Inter uenenata quoque animalia numeratur

Salamandrae naturam, uirus, et hinc propullulantia damna ſequentibus deſcribit. *Σαλαμάνδρα εἶδος ἐςὶ σαύρας, ἐςὶ δὲ νωχελὲς, ποικίλον, μάτην πιςευθὲν μὴ καίεσθαι. Δύναμιν δὲ ἔχει σηπτικὴν, ἑλκωτικὴν, θερμαντικὴν. Μίγνυται δὲ σηπταῖς καὶ λεπρικαῖς, ὡς ἡ κανθαρὶς, καὶ ἀποτίθεται ὁμοίως. Ψιλοῖ δὲ καὶ τρίχας τακεῖσα μετ᾽ ἐλαίου. Φυλάσσεται δέ καὶ ἐν μέλιτι ἐξεντερισθεῖσα, τῶν ποδῶν καὶ τῆς κεφαλῆς ἀφαιρεθέντων, εἰς τὴν αὐτὴν χρῆσιν.* De Salamandra cocta, innoxie comeſta, uide *A. N. C. Dec. 1. obſ.200.* Salamandrae, uomitu reiectae, hiſtorias inuenies BORELLO, *Cent.1. obſ.23. et Cent. 3. obſ.57.* Si plura deſideras, euolue LANGIVM, *l. 1. epp. 66. p.362.* GARMANNVM, *lib.1. tit.7. §. 27. et ſequ.* BARTHOLINVM, *Cent.2. hiſt.50.*

b) Scincum habere *δύναμιν πρὸς τὰ ἀφροδίσια ὁρμητικὴν, ἀποπαύεσθαι δὲ τὴν ἐπίτασιν τῆς προθυμίας*, refert DIOSCORIDES, *Op. ed.cit. lib. 2. cap. 71. p.104.* Diuerſus uero, quem hic ſcincus exſerere dicitur, effectus, a diuerſo uehiculo, diuerſa praeparatione, et diſcrepante ſubiectorum, quibus exhibetur, conſtitutione, dependet, conf. LANGIVS, *lib. 1. epiſt.66. p.362.* et *Toxicol. noſtr. l.2. §. 48. p. 78.*

meratur PLINIO, *lib. 22. cap. 25. Salpuga,* *i*) leguminibus et tuberibus terrae innaſcens beſtiola, formicae ſimilis, Noſtris Ettermyra, ſeu uirulenta formica uulgo dicta, quae punctura ſua tumores partium excitat, et periculum uitae affert. Et Auctor idem eſt PLINIVS, *lib. 8. cap. 29.* citra Cynamolgos Aethiopas, late deſertam regionem eſſe, a ſcorpionibus et ſalpugis, gente, ſi fas ſit credere, ſublata. Hirudines quoque, quas Graeci βδέλλας *k*) appellant, pro ſanguine exſugendo adhibitae, funeſtas ſaepe febres induxere, uomitus, et animi deliquia, non ſolum a terrore, ſed quod neruos uellicent, atque acre quoddam alkalinum ſanguini immiſceant, deriuanda. Haec inquam animalia deſcripta, caſu quodam integra, uel per partes deglutita, linguam et guttur inflammant, ſingultumque, uomitum, tormina, et conuulſiones, ac ſaepe gangraenam, liuorem et partium ſphacelum excitant, *l*)

i) Solpuga legitur, apud PLINIVM, *H. N. l. 8. c. 29. p. 136.* Alii ſalpyga ſcribunt.

k) A uerbo βδάλλειν, quod ἐκμυζᾷν, id eſt, exſugere, ſignificat; unde Nicander: ἀθρόα προςφύονται ἀμελγόμεναι χροὸς αἷμα. Priſci Latini, Plautus, Horatius, Cicero, hirudinem ſemper dixerunt, poſteriores, ſanguiſugam, uid. GESNERVS, *Hiſt. Animal. in fol. 1604. Francofurti ed. lib. 4. ſub lit. A. p. 425.*

l) Quod hirudines, equorum ora ſubeant, et ſu-

Theſ. 8, His coniungo uirides *pini erucas*,
quas

gendo emacient, ex Rondeletio refert GESNERVS, *Hiſt. Anim. ed. cit. l. 4. de aquatilibus p. 424.* Illuſtratur hoc, exemplo aegroti, ex hirudine deglutita contabeſcentis, quod ex BLEGNI, *Zodiaco Medico-Gallico*, CHR. IO. LANGIVS, *Oper. Lipſiae in Folio 1704. cum Riuini Praef. ed. Part. 2. cap. 13. p. 70. not. ſub. lit. p.* allegat. Ab hirudine naſum penetrante mortem adductam fuiſſe, commemorat ZACVTVS LVSITANVS, *Pr. Ad. mir. lib. 3. obſ. 62.* Adde his hiſtoriam infirmi, haemoptoe diutius afflicti, qui, eiecta per tuſſim uehementiorem hirudine uiua, teſte BORELLO, *Cent. 1. obſ. 24. p. 33.* perfecte conualuit. De incommodis, quae hirudo, meatui auditorio inhaerens, excitauit, lege BARTHOLINVM, *Cent. 4. hiſt. 74.* De Puella hirudinibus enecata, agunt, *A. N. C. Dec. 2. Ao. 2. obſ. 142.* Quemadmodum uero hirudines deglutitae, internasque partes occupantes, grauiorum morborum, ac mortis ipſius, cauſae fuerunt, ita externa prudensque horum animaculorum applicatio, praeſentiſſimum pertinacium atque atrocium malorum remedium conſtituit. Ita epilepſiam, a ſuppreſſis haemorrhoidibus ortam, melancholiam hypochondriacam, dolorem capitis et temporum, affectus oculorum, abdominis, uteri, arthritidem, aliosque plures aliarum partium et uiſcerum morbos, hirudinibus iam pone aures admotis, iam uaſis haemorrhoidalibus ſurisque

quas *Pityocampas* uocant, et *Cantharides*, ex Italia praecipue et Hiſpania ad nos transmiſſas,

I 4 locis-

affixis, nunc ano, nunc internae uaginae uterinae parti, applicatis, curatos fuiſſe, docent, atque euincunt obſeruationes, a ZACVTO LVSITANO, *Prax. Admir. l. 1. obſ. 26. et 28.* ab eodem, *Medicorum Princip. hiſtor. lib. 1. hiſt. 4. p. 6. et 7. ſub. lit. a et b.* a GABELHOVERO, *Cent. 4. Cur. 32.* TVLPIO, *obſeru. lib. 4. cap. 4.* BORELLO, *Cent. 1. obſ. 63.* TIMAEO a GVLDENKLEE, *lib. 1. Caſ. 10. A. N. C. Dec. Ao. 6. obſ. 9. et Dec. 2. Ao. 4. obſ. 23. et 24.* et FROMANNO, de Haemorrhoid. *P. 2. Problem.* 27. annotatae. Haec, licet omnino certa ſint, maxima tamen, in hirudinum electione, et applicatione, circumſpectio, adhibenda eſt. Hirudines igitur in aqua fluente captae, non uirides, pallidae, piloſae, aut uerſicolores, ſed rubicundae, ſeligantur; captae exprimantur, expreſſae uitreo uaſi, aqua limpidiſſima referto, indantur, inditae, aliquot diebus elapſis, eximantur, exemtae, uaſis, ex quibus ſanguis extrahendus, applicentur. Multae hirudines, non ſimul et ſemel, niſi urgeat neceſſitas, adhibeantur, alias hinc haemorrhagia ingens, et mors, metuenda, teſte BARTHOLINO, *Act. Haffn. Vol. 2. obſ. 126.* Ab hirudinibus uirulentis, externe applicatis, inſanabilia uulnera, gangraenam et ſphacelum, propullulaſſe, PLINIVS, *H. N. lib. 35. cap. 10.* et SCHENCKIVS, *Obſ. rar. lib. 7. ſub. tit. de ſerpent. obſ. 18. p. 843.* referunt. Ab hirudine malae in-

locisque calidioribus muſcas uirides, illis ſimiles, quae in noſtro ſeptentrione in fraxinis reperiri ſolent, uirtute tamen longe praeſtantiores. Sed de Cantharidibus merentur legi experimenta, quae fecit Celeberrimus BAGLIVIVS, *de Vſu atque Abuſu Veſicant. cap. 1. et 2.* Vrinae maximos ardores, et ſanguineum ſaepe profluuium, ac ſanguinis, ut ab acri Alkali, reſolutionem, primo putrefactiuam, mox coagulationem, ut taceam, eorum exempla, quae noſtris temporibus hinc obiere, excitant; referam ſaltem unicum, ex PLINIO, *H. N. l. 29. c. 4. Coſſinum, Equitem Romanum, amicitia Neronis Principis notum, cum is lichene correptus eſſet, uocatus ex Aegypto Medicus ob hanc ualetudinem eius a Caeſare, cum Cantharidum potum praeparare uoluiſſet, interemit.* Alterum percelebre eſt Bracci Patauini, qui conſilio MONTAGNANAE, Medici tunc temporis famoſiſſimi, Cantharides genubus adplicans, plus quam quinque libras ſanguinis eminxit. Veſicam autem inde maxime affici mihi uidetur hanc ob cauſam, non quod magis illis applicetur, quam reliquis corporis partibus internis, ſed quod Cantharides in aqua ſolutae, et torrentem ſanguinis aquoſi ſecutae, inque ueſicam delatae, facilius dolorem excitent, in loco uidelicet neruoſo,

dolis, auribus admota, corporis tumorem excitatum fuiſſe, teſtatur RHODIVS, *Cent. 1. obſ. 86.*

uoſo, et exquiſitiſſimi ſenſus. Porro inteſtina propter mucaginem et pituitam, qua inueſtiuntur, facile eludunt uim huiusmodi aerium, *m*)

I 5 ſed

m) Praeter inteſtinorum laxitatem, pituitaeque illis inhaerentis copiam, ſeri, quod uentriculum atque inteſtina lubricat, indoles, reſpicienda; illud quippe maximam partem de acido participat, eoque igitur, non ſaltem ſalis alcalini, quod in cantharidibus excedit, acrimonia, diluitur, ſed ita per contrariae ſal naturae obtunditur, ut uim nocendi plane amittat. conf. *Toxicologia noſtr. lib. 1. §. 27. p. 28. et ſeq.* Ab Vngaris, decem cantharides, ſine ſubſequente detrimento, deuorari, ac deuoratas eſſe, confirmant *A. N. C. Dec. 1. Ao. 1. obſ. 133.* De cantharidum uſu interno, prolixam explicationem, BARTHOLINO, *Cent. 5. hiſt. 82.* inuenimus, ubi tinctura cantharidum, uino Rhenano, uel ſpiritu uini, parata, tanquam tutiſſimum remedium, in cura gononorrhoeae uirulentae, iſchuriae, et calculi, laudatur. Cantharides, cum oleo therebinthinae, ſpiritu uini digeſtas, ad profluuii ſeminalis maligni extirpationem, cum fructu adhibuit BLANCARDVS, *Chirurg. lib. 3. cap. 35.* Electuarium lithontripticum Andreae Galli, Medici Tridentini, deſcriptum et laudatum CRATONE *a* CRAFFTHEIM, *Conſil. med. 18. lib. 4. p. 133.* ex cantharidibus, cinere ſcorpionum, etc. componitur. Cantharides ſine detrimento, maximo contra fructu, et certiſſimo auxilio, in hydrope

ſed ſi in magna copia exhibita fuerint, procul dubio

adhiberi, affirmat IOSEPHVS SCHMIDT, *ſpecul. Chirurg. lib. 4. p. 829.* Multos hoc remedio, anaſarca et aſcite laborantes, VALESCVS *de* TARANTA priſtinae reſtituit ſanitati, uti ex *Paſchalio* refert FRICCIVS, *lib. et ed. cit. cap. 5. p. 169.* Extremum deſperati plane hydropis remedium, cantharides, a SCVLTETO, *Ephemer. Nat. Cur. A. 5. et 6. obſ. 148.* et EPIPHAN. FERDINANDO, *hiſtor. med. 38. p. 117.* appellantur. Lubens iam ſilentio tranſeo, quae de praeſtanti cantharidum uſu, in pertinaciore lotii ſuppreſſione, TIMAEVS *a* GVLDENKLEE, *lib. 4. cap. 5. obſ. 15.* et BALLONIVS, *lib. 1. conſil. 52.* afferunt. Vt nihil hic dicam de aphrodiſiaca uirtute, quam cantharidibus, praeter innumeros alios auctores, PLATERVS, *obſeru. lib. 1. p. 239.* et ZACVTVS LVSITANVS, *de Medic. Princ. hiſt. lib. 2. hiſt. 117. dub. 67. p 396.* tribuunt, quae mihi ualde ſuſpecta et exitioſa uidetur, uti exemplis et rationibus demonſtraui, *Toxicol. lib. 1. §. 27. p. 27.* Si praeſertim addas ea, quae de periculoſo cantharidum uſu, ad uenerem languentem exſuſcitandam, SALMVTHVS, *Cent. 3. obſ. 23.* et GARMANNVS, *lib. 1. tit. 11. §. 25.* de cantharidibus, ſtranguriae cauſa, BARTHOLINVS, *Cent. 5. hiſt. 21.* de noxia et lethali cantharidum in corpore humano operatione, ZACVTVS LVSITANVS, *Med. Princip. Hiſt. l. 5. obſ. 35.* de detrimento ex cantharidibus applicatis, aut in pyxide geſtatis, PASCHALIVS,

dubio comederentur et illa. Eſt quoque apud nos Cantharidum quaedam ſpecies, ſed aureo magis colore, Noſtris *Gulmedar* dicta, quaſi Aurifabros diceres, cum ſonum quendam malleolorum crepent in domunculis ſuis. Pariter *Aſelli* et *Millepedes*, Noſtris *Sugor*, Gallis Cloporte, odore ipſo exſpirato, cauſticum ſal produnt, quamuis uino macerati, et parciori exhibiti doſi, urinam potenter cieant. *n*)

Theſ. 9.

lib. de cur. morb. cap. 44. de grauiſſimis ſymptomatibus, quae cantharides tam externe adhibitas, quam ore deglutitas ſecuta fuerunt, FABRICIVS HILDANVS, *Cent. 6. obſ. 98. et 99.* habent.

n) Abſit uero, ut his permotus, tibi ſpecificam uirtutem diureticam, aut lithontripticam prorſus, in millepedibus concipias; millepedes quippe, ſeu aſelli, locis ſubterraneis, cellis praeſertim, degentes, ſale uolatili nitroſo referti ſunt; hinc iidem ſolida irritando, eorumque in fluida actionem promouendo, humorum craſſorum, extremos tubulos uaſaque obſtruentium, reſolutioni et expurgationi ſeruiunt. Haec probe attendenda ſunt in explicatione experimentorum et hiſtoriarum, quae ad euincendam aſellorum uirtutem ſpecificam diureticam et lithontripticam, SENNERTVS, *Prax. med. Lib. 3. ſect. 2. cap. 2. p. 848.* IEHRINGIVS, *Tr. de Calculo, cap. 19. p. 89.* WINCKLERVS, *Miſcell. Curioſ. Dec. 1. Ao. 6. et 7. p. 141.* allegant. Huc merito referen-

Theſ. 9. Cantharidibus non multo minori ſunt acredine *Grylli*, *o*) odore graui omnibus exoſi, domeſticae quaſi eſſent locuſtae, cantores per noctis continuum ſilentium indefeſſi, quamuis inſuaues. Ex his acerrimus per retortam ſpiritus deſtillatur. Et HORSTIVS, *Epiſt. Med. lib. 2. Sect. 6.* refert, balneatorem, phlebotomum infeciſſe *Cimicum*, qui adhuc magis exitioſi ſunt, *cruore*, quo hominibus ſcarificatis febrim faceret. Neque hi ſolummodo morſu ſuo quosuis, praeſertim peregrinos, infeſtant, ſed odore nauſeoſo, putrido, foetidiſſimo ſunt infames. Nec in ullo animalcu-

lo

da ſunt, quae de millepedum, croci, et cinamomi, uino infuſorum, et modica ſachari candi quantitate edulcoratorum, tanquam certiſſimi in puerorum aſthmate remedii, uirtute, HERTODT, *Crocolog. cap. 13. p. 129.* et SCHWENCKFELDIVS, *Theriotr. Sileſ. p. 512.* afferunt.

o) De gryllis, quos, tanquam inſigne lithontripticum, et remedium ſingulare in calculo ueſicae, et lotii ſuppreſſione, HAGENDORIVS, *Miſcell. Curioſ. Dec. 1. Ao. 9. et 10. obſ. 71. p. 202.* commendat, eadem, quae iam occaſione millepedum monui, tenenda ſunt. Nugis praeterea accenſendum experimentum STARICII, in *Heldenſchatz P. 6. §. 16. p. 462.* qui gryllos, cum pane ſecalino et pauxillo ſalis, nodulo incluſos, amuleti more geſtatos, aegrotis tertiana febre affectis prodeſſe, nugatur.

lo, Noſtratibus noto, tam uolatilis atque acris percipitur ſanguis, ita, ut ſi foetor aliquo modo nauſeoſus tolleretur, darent ſalem alkalinum oleoſum uolatiliſſimum. *p*) Cantharidibus cognatum, et ſcarabaeo longipedi non abſimile animalculum eſt, *Bupreſtis*, quod inter paſtum, a bobus temere comeſtum, eos inflari faciat, ita dictum, ut NICANDRO placet, in *Alexipharm.* Hoc tamen menſibus ſuffocatis reducendis iterum conferre, tradit HIPPOCRATES *lib.* 1. *de morb. mulier. n. 93.* ſi ficu admiſto exinde fiat peſſarium. Tum ſcarabaei quidam minores, coerulei coloris, qui matutino tempore in uiis ſemitisque frequenter repunt, tactique, manum pingui ſubflauoque ſaponaceo acri humore conſpurcant. Solet etiam ex Scarabaeis Lucanicis cum oliuarum oleo fieri oleum, quod inunctum pulſibus, facit certo experimento febrim ephemeram, ſed altero die diſparentem, referente HOE-

p) Ab hoc ſale uolatili oleoſo, uirtus hyſterica, diuretica, et febrifuga, quam cimicibus adſcribit KOENIGIVS, *Regn. anim. Sect. 3. artic. 7. §. 8. p. 337.* deriuanda. Ex eodem fundamento, pediculi ad icteri medelam praeſcribuntur, et, ſi credamus VOSSIO, *De Orig. et Progreſſ. Idololatr. lib. 4. p. 1594.* pediculi Belgis, in allegato caſu, uſitatum ſunt remedium. Vtiliſſimum plane medicamenuum pediculi dicuntur ZACVTO LVSITANO, ſi eorum quatuor uel ſex, in ouo ſorbili, clanculum exhibeantur.

HOEFERO, *Hercul. Med. lib. 1. cap. 6.* Haec ergo inſecta, faſtidia, intumeſcentiam, dyſenteriam, aeſtum, ualentiſſimam ſitim, febrim, uertiginem, dyſpnoeam, ac dyſuriam ſeu urinae ardorem, pungendo, excoriando, lancinando, reſoluendo, ac coagulando, producere, compertum eſt. Sed quale fuit muſcarum uenenatarum genus, quod ab Auctore Belli Turcici, *p. m. 290.* deſcribitur, pedibus atris uel ſubpallidis, in Seruiae regno, non uideo. Tam enim penetrans inſtillabant equis bobusque uenenum, ut armenta intra horae quadrantem morerentur.

Theſ. 10. Porro *Aeluri* ſeu *Felis Cerebrum* noxium habetur, quamuis Errones Aegyptii, Belgis *Heyden*, Noſtris *Tartare* dicti, et Galli aliquot, impune Cattum comedant. Hinc *Caſtoreum*, quod ſtrangulare, ac amentiam et phrenitidem exoriri faciet. Quare etiam VIRGILIVS, *lib. 5. Georg. uerſ. 58.* Viroſa Ponto Caſtorea dixit. In uteri tamen ſtangulatu, nihil eius uſu celebrius aut crebrius eſt. *q*) Quibus

q) Nec ſpecificum uterinum, nec ſpecificum antiſpaſmodicum, eſt caſtoreum, ſed remedium reſoluens, antacidum, quod uiris peraeque ac foeminis, ſolidorum laxitate, ac dyſcraſia acida et ſeroſa laborantibus, conducit. Ab his quoque repetenda, diuerſi effectus, iam ſalutaris, iam pernicioſi, quem promiſcuus caſtorei, in capitis, uteri, inteſtinorum affectibus, uſus, exſerit, explicatio. Falſo igitur fundamento nititur HIPPOCRATIS ſententia,

bus accenſeri poteſt, *Calchuce chumenon*, Gallis, *Ver de Gris*, ſiue Verdet, qui anhelitus difficultatem, atque inteſtinorum praecipue eroſionem facit. Et apud Noſtrates uermis reperiri ſolet breuis, craſſus, rotundus, albus, piloſus, oculis nigricantibus, Wermelandis *Aelma* dictus, cuius attactu uel anhelitu, Popularibus *Aelmeblaeſt*, quod differt ab Aelſweblaeſt, facies et manus intumeſcunt, et fit febris cum dyſpnoea et ſiti. Reperitur in fimetis antiquis, item in pulueribus et arenis ad ripas amnium, ubi ſaepe mihi puero uiſus, cum nidos hirundinum ibi nidificantium deſtruere uellem.

Theſ. 11. Inſuper *Menſtrualis Cruor*, non ſolum apud Veteres, ſed quoque Recentiores quosdam male audit. Et de uitio illius graui ex menſtruantibus mulieribus, ueteri uocabulo, multa PLINIVS, *Hiſt. Nat. lib. 7. cap. 1. Aceſcunt ſuperuentu muſta, ſterileſcunt tactae fruges, moriuntur inſita, exuruntur hortorum germina, et fructus arborum, quibus inſedere, decidunt, ſpeculorum fulgor adſpectu ipſo hebetatur, acies ferri praeſtringitur, eborisque nitor, aluei apum emoriuntur, aes etiam*

qui *lib. epidem* 7. ad abigendos capitis dolores, uteri uitia ſequentes, caſtoreum commendat, ſequentibus uſus: τὰς ἀφ᾽ ὑστερέων κεφαλαλγίας καστόριον παύει, capitis dolores ab utero ſoluit caſtoreum, conf. SPONIVS, *Aphor. nou. Sect. 5. §. 36. p. 315. et 316.*

etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorque dirus aera, atque in rabiem aguntur guſtato eo canes, atque inſanabili ueneno morſus inficitur. Conf. *lib. 28. cap. 7.* Horrendum, ſi uera omnia. *Equidem plura transſcribo, quam credo; nam nec adfirmare ſuſtineo, de quibus dubito, nec ſubducere, quae accepi,* dicam cum *CVRTIO, lib. 9. cap. 1. r)*

Theſ. 12. Sic *Cruorem Taurinum* itidem ſtrangulare, et ſanguinem coagulare, hiſtoria quadam ZACVTVS LVSITANVS, *Prax. Med. Admir. lib. 3. obſ. 77.* confirmatum uoluit. *s)* Taurinum pariter hauſit ſanguinem Pſam-

r) Si de ſanguine menſtruo dicendum, quod rei ueritas, quotidianaque docet experientia, merito diſcrimen conſtituendum, inter ſanguinem ſanarum et aegrotarum. Deinceps conſideranda morborum, quibus foeminae puellaeque laborant, natura; ſi enim uenenum acrius uniuerſam infecerit maſſam ſanguineam, non mirandum certe, ſi de corrupta ſanguinis per totum corpus circulantis natura, cruor quoque, qui quouis menſe per muliebria ſecretus excernitur, participat, labemque, quam habet, per contagium propagat. Propagatur ita facillime a ſcortis lue uenerea laborantibus, dira lues, ſi coitus, tempore fluxus menſtrui, celebratur; quod, licet etiam extra illud tempus metuendum, nunquam tamen adeo ſaeua et pertinacia ſymptomata ſequuntur.

s) Idem auctor; *eodem libro, obſeruat. 99.* exem-

Pſammenitus, Aegypti Rex, a Cambyſe Perſa captus, ut prodit HERODOTVS, in *Thalia, p. m.* 226. Et putant, Themiſtoclem, Imperatorem Graecum, hoc poto ſanguine, interiiſſe, ut in eius uita refert PLVTARCHVS; eumque bibiſſe, ne a Perſis eligeretur Dux contra Graecos. Quem et bibit Coriolanus, uterque exul. Et Druſus, Tribunus plebis, traditur caprinum bibiſſe, cum pallore atque inuidia ueneni ſibi dati inſimulare Q. Caepionem inimicum uellet, memorante PLINIO, *lib. 28. cap. 9.* Potuit autem Taurinus Sanguis acredine peccaſſe. Atque eidem PLINIO, *lib. 32. cap. 10.* Thunnorum ſanguis adeo acer deſcribitur, ut pro pſilothro in pueris uti, ſicque eos mangonizare, Salpe obſte-

plum habet aegrotae, quae, ex taurini uſu ſanguinis, uteri corroſionem, praematurae cauſam mortis, paſſa fuit. Quod me attinet, huiusmodi obſeruationibus, promiſcue et ſine limitatione haud fidendum eſt; nam, aut animalia illa, e quorum corporibus ſanguis detractus fuit, uitio quodam et corruptione inſigniori laborarunt, aut ſanguis ſanorum animalium uberiori copia aſſumtus, laeſionem, quae ſecuta fuit, produxit, aut falſam plane auctores cauſam, genuina, uel neglecta, uel non eruta, allegarunt. Quae cautela pariter, in uſu medico ſanguinis hircini, cui SMETIVS, *Miſcell. Med. l. 2 c. 44.* uirtutem lithontripticam tribuit, ſanguinis rhinocerotis, qui, in affectibus uenenoſis, exi-

trix ſolita ſit. Ideo tamen mortiferum eſſe, quod celerrime coeat et dureſcat, ut PLINIO *lib. 11. cap. 38.* placet, non quidem ego agnoſcam, nam, ſic facile, aceto epoto, diſſiliret. Sic HELMONTIVS, Pater, omnem uenae ſectionem, et ſcripto, et opere ipſo, abominatus, cum pleuriticus, caprinum ſanguinem ſibi propinaſſet, in talem aeſtum incidiſſe memoratur, ut mox ſuffocaretur, inque eius cadauere adeo efferbuiſſe ſanguinem, ut aperto ſiniſtro corde, diſſilierit in Chirurgi uultum exaeſtuans ſanguis. *t*)

The

mius, a ZACVTO LVSITANO, *Prax. Admir. lib. 3. obſ. 92.* uocatur, ſanguinis leporis, ſub fuga interemti, qui ex HELMONTII perſuaſione, *Oper. tr. dicto, poteſtat. Med. no. 29.* dyſenteriam, eriſypelas et ambuſta curare dicitur, ut innumera alia huiusmodi experimenta anilia et ſuperſtitioſa ſilentio transeam, obſeruanda eſt.

t) Duo in hac obſeruatione uitia, prorſus damnanda, occurrunt; alterum in praepoſtero remedii alcalini, quale, ſanguis caprillus, ad curam inflammationis et febris continuae, praeſcripti, uſu, conſiſtit, alterum a uenae ſectione, hic ſumme neceſſaria, neglecta, dependet; quid quippe dementius, quam ſanguinis attritum, inflammationis indiuiduum comitem, per alcalina augendo, praeſentia iam ſymptomata exaſperare, nouaque plane arceſſere? Seroſis, nitratis, tarta-

Theſ. 13. Sed magna certe inconuenientia eſt, ſanguinis taurini, caprilli, uel alius, cum ſanguine humano, ex alimentis diuerſis et uario uitae genere oriunda. Quare etiam Tranfuſio ſanguinis brutorum in uenas humanas, tam grandi primum encomio decantata et celebrata, poſt infelices ſucceſſus, & peſſima inde orta ſymptomata, euileſcere coepit, et pene in deſuetudinem abire. Ex Temperamento enim corporis, iuxta GALENVM, id eſt Fluidorum et Solidorum diuerſo in diuerſis habiu et ſtatu, inclinationes et mores mutantur; confer HIPPOCRATEM, *lib. 1. de Diaeta*, et uidebis, Regionis ſitum, mutationes tempeſtatum, ſoli naturam, alimentorum indolem, et genium cuiusuis animi, mores uariare. Hinc uidemus, Tartaros et Coſackos, qui ſanguinem equinum adhuc fumantem ebibere amant, equinasque carnes, in obſonia ſibi ſatis grata, conſumunt, iſtam inde feritatem contrahere, quam in ea gente extimeſcunt uicini atque abominantur, ut tempora quidem noſtra per cariſſimos Patriae fines, Poloniam, aliosque tractus funeſto ſpectaculo comprobarunt. Et de Gaſconibus Gallis uulgo dicimus, eſſe eos iracundos

reis, acidis, ſucci acres diluendi, abſorbendi, praecipitandi, eluendi. Quod citius obtinebimus, ſi, educta ſanguinis abundantis parte, reliqua eius portio, melius et liberius per corpus ire redireque poteſt; quandoquidem hac methodo,

et ſuribundos; quod eſui alliorum, caeparum raphanorumque, et uinis ardentiſſimis, adſcribit BRVYERINVS, homo Gallus et ipſe, *de Re Cib. lib. 1. cap. 18.*

Theſ. 14. Nec tantum equinis delectantur carnibus Coſacki, ſed Calmuckas, quod horrendum dictu, atque expiandum ſcelus, humanas, eſitare An. 1706. tabellarius docuit ex Liuonia publicus. Prorſus ac Eliſabetha iſta Mediolanenſis, quam ex Caſparo Bugato adducit Donatus, quae pueros puellasque uicinas mactauit, ſed per felem, qui manum forte Catharinae Seronae, nobilis puellae, abſtraheret, tandem prodita eſt. Parilem habet hiſtoriam ex Hectore Boethio, de Latrone quodam Scotico, tempore Iacobi ſecundi, Scotiae Regis, cujus nebulonis tota familia erat anthropophaga. Ipſe demum cum uxore et liberis flammis, in tanti ſceleris expiationem, combuſtus, excepta filiola, uix annum agente. Quae poſtquam duodecimum habuiſſet annum, in eodem patris ſcele-

et hoc auxilio, tranſpiratio, et reliquae ſecretiones omnes, promouentur. Non haec commemoro, defenſurus illorum errorem, qui, uenae ſectionem, tanquam uniuerſale cuiusuis morbi remedium, promiſcue commendant, ſed de euellendo Helmontii praeiudicio, uenae ſectionem prorſus reſpuentis, ſollicitus, moneo, in uenae ſectione, non autoritatem ſuadentium, uel diſſuadentium, ſed morbi cauſam et naturam, effectusque inde ſequentes conſiderandos eſſe.

ſcelere deprehenſa, etiam igni damnata. Sed, dum in ipſo ignium theatro et pyra, conſpicatur hominum multitudinem, hoc abominandum facinus indigniſſime ferentem, ita fatur clara uoce: ohe, ſi ſciretis, quam dulcis talium ſit ſapor carnium, nulla ſuis parceret mater liberis. Prout haec pluribus exemplis, et copioſiore oratione, perſequitur MARCELLVS DONATVS, *d. Med. Hiſt. Mirab. lib. 4. cap. 1.*

Theſ. 15. De carnium eſu illud interim notandum eſt, homines, qui tali cibo frequentius utuntur, eſſe in uenerem, in febres et morbos acutos procliues. Hinc HIPPOCRATES, *de diaet. lib. 1. n. 35.* ad carnis bonam habitudinem, ardoris inflammationem ſequi, aſſerit. (*u*) Hinc Angli, qui carnibus quam maxime delectantur, facilius multo igneſcunt, atque acute febricitant, quam Belgae lacticiniis uſi, qui ſcorbuto, quartanis, tertianis, aliisque chronicis morbis magis tentantur. Accedit et hoc Anglis, ad ignem accendendum, quod potu maxime calido atque acri, *Poun* (*x*) dicto, aſſue-

u) Idem auctor, *lib. 7. Epidem*, cholericam paſſionem, ex nimio carnis eſu gigni aſſerit: τα Χολερικὰ, ſunt eius uerba, ἐκ κρεκφαγίης, καὶ μέθης ἐυώδεως παλαιȣ͂, καὶ ἡλιώσιως, καὶ λαχανοφαγίης, καὶ ὀπώρης, καὶ σικύȣ πέπωνως, καὶ μελιτωμάτων, μᾶλλον δὲ ἐν θέρει. Conf. SPONIVS, *Aphor. nou. Sect. 2. §. 41. p. 88.*

x) *Poun*, ſeu *Pounſch*, eſt potus genus, ex ſuccorum di-

ſcant. Equidem, ſi uerum fatear, carnes, homini cibum non eſſe naturalem, ſtatuo, quod ſtructura dentium demonſtrare uidetur, diuerſa ab illa, quam carniuora proprie ſic dicta animalia obtinent: non neſcius, quid Diaetetici Bruyerinus et Nonnius contra diſputent. Hinc quoque recte de Aegyptiis obſeruat PROSPER ALPINVS, *de Med. Aegypt. l. 1. c. 2.* eſſe eos longaeuos, quod carnes deuitent, ac uinum. Et primis mundi temporibus, ſolis ue-
getabi-

uerſae indolis farragine, nempe *Raak*, peculiari ſpiritus uini, ex oryza parati, ſpecie, ſucco mali citri, aurantiorum, ſacharo, et aqua, paratum, quo hodie non Angli ſaltem, ſed aliae quoque gentes, finito iam prandio, coenaue, omnibusque, illis etiam mappis, quibus menſae ornatae erant, remotis, utuntur, potius abutuntur. Cauſa igitur phtiſeos pulmonalis, in Anglia graſſantis, non a ſolis carbonibus foſſilibus, eorumque effluuiis acribus, ſed a carnium quoque et potulentorum ſpirituoſorum, ac ueneris, abuſu, arceſſenda. Aſt, quid Anglos culpo, culpa eadem, alias gentes, cultiores dictas, diffamante; quomodo non immoderata eſt coena, fatur GESNERVS, apud STVCKIVM, *Conuiual. III. 2.* ubi circiter tres horas continuo accumbitur, ferculis, poculis, bellariis, ſemper appoſitis, ac uariantibus, et ubi multa ſemper noua ponuntur, et multae omnium reliquiae ſuperſunt? Nec aliud apponitur, donec omnes defeſſi, aut faſtidioſi, iam

getabilibus uiuebatur. (*y*) Hinc literae ſacrae, Chamum, eiusque nepotes, carnem primos ediſſe docent. Remanſit quoque uegetabilium cibatio apud plurimas gentes, ſicut hodienum apud Indos plurimum ualet. Et Graeci quam plurimi ſic uolebant. Hinc *Naſo lib. 15.* Metamorph. Samium ſic uoluiſſe Pythagoram canit; neque hoc falſo; Ita, ut cum eodem Poeta, ad Pythagorae mentem, dicamus:

Quibus ingenium eſt immanſuetumque ferumque,
Armeniae Tigres, iracundique leones,
Cumque lupis urſi, dapibus cum ſanguine gaudent.

priora non amplius attingunt. Accedunt ſubinde repetitae monitiones, ſtrenue ueſcendum eſſe praeſentibus, nec aliud expectandum ferculum, etſi plura ſequantur. Iam, cum etiam in unius generis cibariis et potulentis modum excedere inſalubre ſit, longe inſalubrius eſt, ſi alimenta et potulenta, non nimia ſolum, ſed diuerſi quoque generis fuerint. Pone igitur gulae metas, ut ſit tibi longior aetas.

y) Panis erat primis, canit OVIDIVS, *Faſtor. 4.* uiridis mortalibus herbae, quas tellus, nullo ſollicitante, dabat. Haec CAELIVS RHODIGINVS, Dicaearchi nixus relatione, ſequentibus, *Antiqu. lect. lib. 28. cap. 2.* confirmat: ſcribit in antiquitatum libris Dicaearchus, Saturni

Theſ. 16. Sed idem PYTHAGORAS eo ipſo Metempſychoſin introduxit, putans ſe Troiani tempore belli Euphorbum fuiſſe, migrareque animas ab homine in hominem, ab homine in brutum, a bruto in brutum, uel hominem. Quamquam GELLIVS, *Noct. Att. lib. 4. cap. 11.* ex Graecis demonſtret, Pythagoram ipſum carnibus non abſtinuiſſe, dixiſſeque aliquos, eum poſtea Pyrandrum, deinde Callicleam, demum foeminam pulcra facie meretricem, fuiſſe,

---

tempore, carnibus reiectis, omnes frugibus ac pomis ueſci ſolitos. Triptolemi praecepta circumferunt tria: honorandos Parentes, uenerandos Deos, carnibus non ueſcendum. Porro carnium eſum carmine deteſtatur Orpheus. Similia his, de carnium, antiquis exoſarum, eſu, habet PLATO, *lib. 6. de Legibus, p.37.* carnibus autem, ſcribit idem, Marſilio Ficino interprete, abſtinebant antiquiſſimi; nam ueſci carnibus, et Deorum aras ſanguine polluere, impium uidebatur, Ita Orphica quaedam uita tunc uigebat. Inanimatis quippe omnibus ueſcebantur, et ab animalibus omnibus abſtinebant. Deteſtatur hinc maximopere OVIDIVS eorum hominum conſuetudinem, atque inſtitutum, qui, derelictis priſcorum moribus, carnibus ueſcendo ferarum, feris ipſis ferociores et truculentiores ſunt. Parcite, monet idem, *l.15. Metamorph. uerſ. 75.* parcite mortales dapibus temerare nefandis corpora; ſunt fruges, ſunt deducentia ramos pondere poma ſuo, tumidaeque in uitibus uuae. Sunt herbae dulces,

fuiſſe, cui nomen fuerat Alce. z) HERODOTVS tamen, *in Euterpe p. m. 188.* refert, Aegyptios non ſolum animae immortalitatem primos adſeruiſſe, ſed etiam metempſychoſin. Par fuit doctrina Druidum, noſtris olim Drottar dictorum, teſte IVLIO CAESARE, *Bell. Gall. lib. 6.* De Carnibus autem, abſtinendisque animalibus, non ſolum Doctiſſimus PLVTARCHVS, quem μȣσεῖον ἔμψυχον et βιβλιοθήκην περιπατȣ̃σαν non male dixeris, perquam erudite, ut ſemper, ſed et

K 5 POR.

ſunt, quae miteſcere flamma mollirique queant; nec uobis lacteus humor eripitur, nec mella thymi redolentia flore. Prodiga diuitias alimentaque mitia tellus ſuggerit, atque epulas ſine caede et ſanguine praebet. Carne ferae ſedant ieiunia, nec tamen omnes. Quippe equus, et pecudes, armentaque, gramine uiuunt, et quibus ingenium eſt immanſuetum ferumque Armeniae tigres, iracundique leones, cum lupis urſi dapibus cum ſanguine gaudent. Heu quantum ſcelus eſt, in uiſcere uiſcera condi, congeſtaque auidum pingueſcere corpore corpus, alteriusque animantem animantis uiuere letho! Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum terra creat.

z) Aliter de doctrina Pythagorae ſentit ATHENAEVS, Dipnoſoph. *l. 10. c. 118.* ſcribens: καὶ Πυθαγόρας, ὁ Σάμιος, μετρίᾳ τροφῇ ἐχρῆτο, ὡς ἱστορεῖ Λύκων, ὁ Ἰάσιος, ἐν τῷ περὶ Πυθαγόρȣ. Sub-

PORPHYRIVS elegantem librum ſcripſit. Et ſi hoc ipſo PYTHAGORAS ſanguinem, brutorum animam, intellexit, bene quidem, ſed, ſi ſpiritum immortalem, Mentem Humanam, male equidem docuit.

Theſ. 17. Id tamen uerum eſt, homines in carnis eſum proniores, in iram quoque facilius excandeſcere. Et putat PLVTARCHVS, *d. loc. et d. Solert. Anim.* homicidiorum originem inde deſumtam, cum ſemel ſe adſueſeciſſent guſtui animalium occiſorum. *a*) Hinc quoque Nobiliores, opipare uiuentes, citius iraſcuntur, ceteris paribus, quam plepeii, lacteum uilemque cibum haurientes, juxta illud Poetae *lib. 3. Triſt. Eleg. 5.*

Quo

ſcribit his IAMBLICHVS, *in uita Pythagoræ, lib. 1. c. 3.* allegans Praeceptorem, eiusque doctrinam, quam Pythagoras amplexus fuit: ὠφεληθεὶς οὖν παρὰ Θαλέῳ τά τε ἄλλα, καὶ χρόνου μάλιστα φείδεσθαι. Καὶ χάριν τούτου οἰνοποσίᾳ τε καὶ κρεοφαγίᾳ, καὶ ἔτι πρότερον πολυφαγίᾳ ἀποταξάμενος, τῇ δὲ τῶν λεπτῶν καὶ εὐαναδότων ἐδωδῇ συμμετρηθεὶς, κἀν τοῦτον ὀλιγουπνίαν, καὶ ἐπαγρίαν, καὶ ψυχῆς καθαρότητα κτισάμενος, ὑγείαν τε ἀκριβεστάτην καὶ ἀπαρέγκλητον τοῦ σώματος ἐξέπλευσεν εἰς τὴν Σιδόνα.

(*a*) Vnde igitur homicidii, a Caino|, fratrem occidente, commiſſi, origo arceſſenda, cum, ſacro codice teſte, ad quem, auctor noſter,

Quo quisque eſt maior, magis eſt placabilis irae,
Et faciles motus mens generoſa capit.

Neque his ſolum affectibus obnoxii euadunt, carniuori, ſed et arrogantes laſciui, petulantes, atque adulatores fiunt. Optime BAGLIVIVS *de Morb. Succeſſ. cap. 14.* ſic loquitur: *Cauſa, qua uetitum erat Pythagoreis, animalium carnibus ueſci, non inde nata ſolummodo eſt, ne talium mores et ideas imbibamus: ſed quia olera fructusque terrae, talem in ſanguine temperiem, dulcedinem, atque ſimplicitatem, inducunt, quae difficulter uel in morbos ſoluitur fermentatione, aeſtu et ebullitione, uel anſam praebet animi affectibus, irae, concupiſcentiae, aliisque, ut excitentur, nimiumque ferueant ac ferociant.* Pulcerrimum effatum! Hinc Autore VALERIO MAXIMO, *Memorab. Exempl. lib. 4. cap. 3.* DIOGENES CYNICVS, Syracuſis, cum olera ſibi lauanti, ARISTIPPVS dixiſſet: *Si Dionyſium adulare uelles, iſta non eſſes. Imo, inquit, ſi tu iſta eſſe uelles, non adulares Dionyſium.* Et omnis quidem amor in quamcunque rem, coniunctus eſt cum

theſi antecedente, decima ſexta, prouocat, Chamus, eiusque nepotes, carnem primi comederint, et hinc eſus carnium Kaino adhuc ignotus fuerit. A peccato potius, et corrupta per peccatum bona mentis corporisque indole, in dies noua incrementa capiente, hoc deducendum.

cum febri, ſed magis ille, qui uenereus eſt. Hunc pulcre deſcripſit SENECA, *in Colloquio cum Nerone, Octau. A. 2.*

Vis magna mentis, blandus atque animi
calor,
Amor eſt: iuuenta gignitur; luxu, otio,
Nutritur, inter laeta fortunae bona.
Quem, ſi fouere atque alere deſiſtas, cadit,
Breuique uires perdit extinctus ſuas. (b)

Theſ.

(*b*) Idem amoris remedium commendat OVIDIVS, *de Remedio amoris lib. 2. uerſ. 107.* intrat, ſcribens, amor mentes uſu: dediſcitur uſu; qui poterit ſanum fingere, ſanus erit: Idem, *eodem libro, uerſ. 218. et ſequ.* ſi quis amas, nec uis: facias, contagia uites: haec etiam pecori ſaepe nocere ſolent. Dum ſpectant laeſas oculi, laeduntur et ipſi, multaque corporibus tranſitione nocent. In loca nonnunquam ſiccis arentia glebis, de probe currenti flumine manat aqua. Manat amor tectus, ſi non ab amante recedas, turbaque in hoc omnes ingenioſa ſumus. Alter item iam ſanus erat, uicinia laeſit, occurſum dominae non tulit ille ſuae. Vulnus in antiquum rediit male ſana cicatrix, ſucceſſumque artes non habuere meae. Proximus a tectis ignis defenditur aegre, utile finitimis abſtinuiſſe locis. Nec, quae ferre ſolet ſpatiantem porticus illam, te ferat, officium neue colatur idem. Quid iuuat admonitu tepidam recaleſcere mentem? alter, ſi poſſis,

Theſ. 18. HIPPOCRATES hinc in nobis humorum agilitatem, atque ex carnis eſu redundantem ſalinam acredinem *lib. 1. de diaet.* aptiſſime ignem uocat, accedente ſemper mobilitate ipſorum ſolidorum. Hinc homines ignei non ſolum ſunt iracundi, facilique negotio excandeſcentes, ſed et ſagaces, perſpicaces, penetrantiſſimi ac ſubtilis ingenii, moroſi inſuper, habituque corporis gracili ac macro. Omnes autem iracundi ſunt macilenti, quia febris iracunda deterit corpus. Hinc bene dixit Clariſſimus JVLIVS CAESAR CLAVDINVS *de Ingreſſ. ad Infirm. lib. 1. cap. 14.* ab ira febrim hecticam oriri. Et nullus datur Hecticus, qui ab acri ſanguine ſolida depaſcente et delambente, non ſolum macilentus ſit, ſed et cerebro irritato, iracandus ualde. (*c*)

Theſ. 19. Euenire autem haec omnia, ut dictum, puto, ex acri et mobili ſanguine, ipſa partium ſolidarum ſtamina, in ipſo itu redituque

[illegible] per

orbis habendus erit. Non facile eſuriens poſita retinebere menſa, et multum ſaliens incitat unda ſitim.

c) Opportuniſſima ad iracundiam feruidi animi natura, a SENECA, *lib. de ira, 2. cap. 18. Op. ed. quae Antuerpiae, in folio, cum Lipſii Comment. 1652. prod. p.* 27. uocatur. Nunc in fermento totus ſum, HORATII eſt ſententia, *lib. 1. Od. 13.* totus exarſi iracundia et ſtomacho; uae meum feruens diffi- cili bile tumet iecur. Nec mens mihi, nec co-

per eadem, erodente. Culter enim, quo acutior, eo citius uaginam ſuam exedit, accedente ui externa comprimente. Hinc tales homi-

---

lor certa ſede manent. Volunt itaque quidam ex noſtris, ſcribit SENECA, *lib. et cap. cit. p. 28.* in pectore moueri, efferueſcente circa cor ſanguine. Haec ex GALENI, *lib. 2. de cauſis morborum*, et ARISTOLELIS *lib. 1. de Anim. cap. 1.* doctrina, profluxerunt, quorum hic ſequentibus iram deſcribit: *Θυμός ἐςι ζέσις τȣ̃ περὶ καρδίαν ἅιματος, ἐξ ἀναθυμιάσεως τῆς χολῆς ἢ ἀναθολώσεως γενομένη.* Haec SENECA *l. c.* reſpiciens, ſiccis aetatibus uehementem robuſtamque iram eſſe, perhibet. In eadem cauſa ſunt, pergit idem, ſiti fameque rabidi, et quibus exangue corpus eſt, maleque alitur et deficit! Neque ulla alia cauſa eſt, cur iracundiſſimi ſint flaui rubentesque, quibus talis natura color eſt, qualis fieri ceteris inter iram ſolet; mobilis enim illis agitatusque ſanguis eſt. Eadem fere, de cauſa, atque effectu irae, inuenimus apud ARISTOTELEM, qui *lib. 2. Rhetor. cap. 2.* ita loquitur: *διὸ κάμνοντες, πενόμενοι, ἐρῶντες, διψῶντες, ὅλως ἐπιθυμȣ̃ντες, καὶ μὴ κατορθȣ̃ντες ὀργίλοι ἐισι καὶ ἐυπαρόρμητοι.* Propius adhuc ad ſcopum præſentem collimant, quae citatus auctor Problem. *Sect. 10. qu. 36. habet:* *ὅτι ἡ ἀφαίρεσις, ὥςε καὶ ἰσχνότης, ποιει διὰ τὴν ἕξιν τὴν ὀργήν.*

mines uel breuioris uitae ſunt, uel ſi diu ipſis uiuere contingat, diu etiam aegrotant. Hinc iuuenes in quibus plus eſt ignis, citius febricitant, citiusque ſuo igne deflagrant, quam ſenes. Adeoque PLATO bene, ut ſemper, *lib.2.de Leg.* pueris ad duodeuigeſimum annum uini uſu prohiberi, lege ſanciuit. (*d*) *Sic natura eſt comparatum, ut ſublimia et erecta ingenia corpus inualidum atque infirmum; craſſa et obtuſa ſanum et robuſtum nanciſcantur. Herodico apud Platonem uis animi eximia; ualetudo corporis parum firma fuit. Polydoro apud Aelianum mens hebes ac tarda, cutis ipſa corporis ἀδιακόνιςος. Vt enim rara eſt coniunctio formae ac pudicitiae, rara concordia Maieſtatis et Amoris; ſic minus frequens eſt coniugium mentis ſanae cum corpore ſano; quod in ualido pin-*

d) In puerorum atque adoleſcentum educatione, omnino ea omnia fugienda, quae morbis corporis ac mentis fomitem et materiam ſuggerunt; cum igitur pueri, foeminaeque ad iram non modo procliues ſint, iraeque, quas fouent, teſte SENECA, *l. c.* magis acres; uinum uero, uti idem indicat auctor, incendat iram, quia calorem auget, pro cuiusque natura, et dehinc deſideret, ut calentibus ingeniis uinum ſubrahatur, in aprico omnino poſita eſt ratio, cur uini uſum PLATO, pueris ante annum decimum octauum, plane deneget, uti eiusdem uerba demonſtrant

pinguique corpore mentis fulgor hebetatur, et dum emicare geſtit, offuſa mole, diſſiliat, memorabilia ſunt uerba Clariſſimi MOREAV ad Illuſtriſſimum Cardinalem de Richelieu *in epiſtola Dedicat. Scholae Salernitanae*, ab eodem editae, praemiſſa. Hinc etiam frigidiores communiter diu uiuunt, et Elephas, cui frigidiſſimus eſt ſanguis, usque ad ducenteſimum uiuere perhibetur.

Theſ. 20. Ad Animalium Venena pertinent quoque *Elychnii Sebacei extincti dirae exhalationes*, tam certa cum efficacia, ut quosdam exinde in terram decidiſſe apoplecticos nouerim, quosdam mortuos, quosdam ingens uitae amittendae periculum, capitisque intenſiſſimos dolores incurriſſe. (*e*) Ego quidem in ea ſum ſententia, ignem ſuo motu, dum ab aere uentilatur, tam diui-

---

ἆρ' οὖν νομεθετήσομεν, τοὺς παῖδας μεχρὶς ἐτῶν ἐκτωκαίδεκα τὸ παράπαν οἴνου μὴ γεύεσθαι; διδάσκοντες, ὡς οὐ χρὴ πῦρ ὀχετεύειν εἴς τε τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν, πρὶν ἐπὶ τοὺς πόνους ἐγχειρεῖν πορεύεσθαι, τὴν ἐμμανῆ εὐλαβούμενοι ἕξιν τῶν νέων.

e) Praeter eosdem pernicioſos effectus, in aliis multoties obſeruatos, ex hac cauſa ortam dyſpnoeam, et periculum ſuffocationis, aduerti. Hoc quoque, in tali caſu, perpetuae eſt ueritatis, quod, quo foetor ellychnii ſebacei maior, eo maius, in ſubiectis ſiccioribus et tenerioribus, detrimentum; foetor autem intenſior, intenſio-

diuidere particulas ſebaceas, per uetuſtatem iam earum contracta ranciditate, ut inſigni acredine donentur atque alkaleſcant. Hinc non ſolum narium nerueam membranam acriter uerberant, ſed etiam ſua acredine pulmonem ſpasmodice contrahunt, liquidaque per ipſum fluxura cogunt; unde ſanguis, in capite, ex denegato per pulmones libero recurſu, ſtagnans in uenis, auctus uero per arterias, extendit uaſa, cum periculo ruptionis. Hinc dolores et meningum palpitationes, et nigra oculis occurrentia, ex ſanguine per minima oculorum uaſcula uehementius penetrante. Et memini, me Stockholmiae, Ao. 1708. die 7. Sept. quando ingens incendium apud Coriarium quendam in ſuburbio *Ladugardſlandet* erat, ex fumo tam uehementi correptum aſthmate, ut fere de reſtitutione deſperarem, multique alii una mecum: qui fumus eo peſtilentior erat, quod ex coriis et pinguedine ceti combuſtis conſtaret. Quo etiam pertinent animalium quorundam excrementa acria, praeſertim uero equorum ſudor,

 qui

rem partis oleoſae ab alcali acriore excedente reſolutionem et corruptionem denotat. Vnde quo uetuſtius ſebum ellychniis parandis adhibitum, eo maior hinc, quem extincta ſpirant, oritur foetor. Idem quandoque ex recentiori obſeruatur ſebo, quando idem ab ouibus, aliisque animantibus, ſcabie, lue uenerea, aut ſimili morbo demortuis, deſumtum eſt.

qui propter uim inſigniter purgantem non male Venenis annumeratur. *f*)

Theſ. 21. Neque hoc in loco Rabidorum Animalium obliuiſci debemus, ex humoribus adustis atque alkaleſcentibus Cauſone quodam laborantium, Equorum, Canum, Luporum, aliorumque, quae morſu uirus exſpumant, hydrophobiam, furorem, ſyncopen et epilepſiam ſaepe excitans. Vid. HILDANVS, *Cent.* 4. *Obſ.* 77. Et AELIANVS, Auctor eſt, *Var. Hiſt. lib.* 14. *cap.* 4. Ariſtidem Locrenſem ex morſu muſtelae obiiſſe. Ipſi quoque homines, furoris quodam oeſtro perciti, praecipue uero illi, qui carnium ferinaſcentium eſu adſueti fuerint, uel ſcorbuto alkaleſcente, alioue putrido morbo laborant, immedicabile interdum aut certe periculoſum uulnus dentibus infligunt, cum ſymptomatis, ex aliorum animalium uenenis excitatis, perquam ſimilibus. Hinc PLINIVS, *lib.* 28. *cap.* 4. morſum hominis inter aſperrima numerat. Odium enim, quod ex triſtitia quadam et ira conſtat, accendit humores, acresque reddit,

(*f*) Huc quoque referenda ſunt quorundam animantium effluuia, quae quibuſdam ſubiectis, idioſyncraſiae uitio, adeo infeſta infenſaque ſunt, ut hinc in animi deliquium incidant. De felum effluuiis ſalino-ſulphureis noto notius eſt, quod corpora ad tabem diſponant partim, partim eandem iam praeſentem augeant atque exaſperent.

reddit, et febriles, et uenenatos. (g) Conf. GALENVS, *de Tuend. Sanit. lib. 1.* Nam, non ſolum ad uictus rationem pertinet ipſum alimentum, ſed et mores animi, atque affectus. Iracundi autem ſemper febricitant, ut ſupra dictum. Qualia exempla ueneniferorum hominum HILDANVS, *Cent. 4. obſ. 87.* et ZACVTVS, *Prax. Med. Admir. lib. 3. obſ. 84.* enumerant; praeterquam quod et ipſe ſimile exemplum in popularis hortulani uxore aliquando conſpexi.

Theſ. 22. Hydrophobia equidem, morbus eſt diriſſimus, nec ab ullo adhuc bene intellectus, aut certa experientia curatus, (h) in Caria olim et

(g) Idem eſt, quod HIPPOCRATES, *lib. Epidem. 6.* de ira, habet, ſequentibus uſus: *ὀξυθυμίη ἀνασπᾷ καρδίην, καὶ πνεύμονα ἐς ἑωυτὰ, καὶ ἐς κεφαλὴν τὰ θερμὰ καὶ τὸ ὑγρὸν· ἡ δ᾽ εὐθυμίη ἀφίει καρδίην.* Ex hoc fundamento, Cous noſter, allegato iam loco, iracundiam, in aegrotis difficultate reſpirandi laborantibus, tanquam uenenum, diſſuadet, reprobat: *Ἐν τοῖσι πνευμένοισι, εἴργεσθαι βοῆς, ὀξυθυμίης.* De incommodis, quae ira, aliaeque mentis paſſiones, produxerunt, uid. TVLPIVS, *obſ. lib. 2. cap. 25.* CASP. A REIES, *Elyſ. iuc. quaeſt. Campo, qu. 60. pag. 624. et ſequ.* ZACVTVS LVSITANVS, *Prax. Admir. lib. 1. obſ. 147.*

(h) Hydrophobiam, a canis, aut ſimilis animantis rabidi, morſu, oriri, ſatis notum, multisque

et Creta Inſula, aliorum fere Venenorum libera,

funeſtis caſibus euictum eſt; nihilo ſecius, experientia pariter teſte, conſtat, hydrophobiam, ſine praegreſſo morſu canis, aut alius animalis rabidi, homines affeciſſe, qualia exempla, BORELLVS, *Obſ. Phyſ. Med. Cent. 3. obſ. 38.* CASP. *a* REIES, *Elyſ. iuc. quaeſt. Campo, qu. 61. §. 20. p. 471.* PONZETTVS, *lib. 3. de Venen. cap. 16.* MARCELLVS DONATVS, *lib. 6. de hiſtor. med. mirab. cap. 1.* GARIOPONTVS, *lib. 3. cap. 7.* AVRELIANVS, *lib. 3. cap. 9.* PARAEVS, *lib. 20. cap. 13.* PETRVS SALIVS, *lib. de affect. partic. cap. 19.* SALMVTHVS, *Obſ. Med. Cent. 2. hiſt. 52.* afferunt. Ita in ſpecie hydrophobiae hiſtoria, ex uehementi indignatione ortae, deſcripta reperitur, *in A. N. C. Dec. 3. ac. 19. app. p. 249.* Citata iam naturae curioſorum acta, hydrophobiae, morbi cholerici pediſſequae, *Cent. 9. p. 171.* mentionem faciunt. Sine morſu animalis rabidi, a ſola cauſa interna, in corpore abdita, ac genita, allegatum affectum, excitatum fuiſſe, *ex iisdem A. N. C. Cent. 2. Ao 6. obſ. 220. et Cent. 3. p. 112.* cognoſcimus. Virus uero, rabidi morſu canis, uulneri inſinuatum, iam repente tragoediam ſuam in humano exercet corpore, iam diutius in corpore abditum, demum, aliquot menſibus, annisque, elapſis, in actum deducitur, prouti pluribus obſeruationibus, *Toxicol. lib. 1. §. 22. p. 20. et ſequ. ac lib. 2. §. 43. et 44. p. 68. et ſequ.* indicaui, probaui. Plura de diuerſa huius affectus

ra, quam maxime frequens, ut AVRE-
L 3 LIA-

affectus origine et cauſa, de miris et multiplicibus illius ſymptomatibus, de medela eiusdem, et medicamentis hic proficuis, annotata legere potes, aput LENTILIVM, *Iatrom. p. 27. 39. 40. 41 47. 49. 54. 55.* TVLPIVM, *obſ. lib. 1. cap. 20.* PLATERVM, *obſ. lib. 1. p. 83.* RHODIVM, *Cent. 1. obſ. 46.* ZACVTVM LVSITANVM, *Prax. Admir. lib. 1. obſ. 51.* GARMANNVM, *lib. 2. tit. 10. §. 182. et ſequ.* WALAEVM, *Prax. Med. l. 2. c. 2. p. 137.* RHVDIVM, *Pr. Med. l. 1. cap. 4.* MAROLDVM, *Pr. med. p. 40.* KIRCHERVM, *Mund ſubterr. lib. 4. Sect. 2. c. 5.* AETIVM, *tetrab. 2. Serm. 2. c. 11.* DONAT. *ab* ALTOMARI, *de med. hum. corp. malis. cap. 9.* BARICELLVM, *Hortulo geniali, p. 134.* FORESTVM, *obſ. med. lib. 10. obſ. 25. et ſequ.* DODONAEVM, *obſ. med. rar. cap. 12.* BERTINVM, *Med. lib. 12 cap. 22. et lib. 20. cap. 5.* BLASIVM, *med. uniu. ther. ſpec. l. 3. S. 3. cap. 5.* JVL. CAES. CLAVDINVM, *Empiric. Ration. lib. 3. ſect. 1. tr. 1. cap. 7.* ACTVARIVM, *de Methodo medendi, lib. 6. cap. 11.* HAFENREFFERVM, *Noſodoch. de cutis affect. lib. 3. cap. 6. et 7.* HOEFERVM, *Hercule med. lib. 5. de uitiis cutis, cap. 2. de uulneribus.* HORSTIVM, *obſ. med. lib. 2. part. 2. obſ. 23. et lib. 7. obſ. 22. et 23.* AMATVM LVSITANVM, *Med. Cur. Cent. 2. cur. 78.* PARAEVM, *oper. chirurg. lib. 20. cap. 14.* FRACASTORIVM, *lib. 2. de morbis contagioſis, cap. 10. et lib. 3. cap. 9.* RODERICVM *a* FONSECA, *Conſult.*

LIANO placet, *Acut. morb. Lib. cap. 15.* Talium uero canum, ut ab illis caueantur, notae characteriſticae ſunt ſequentes: hirſuti, hiſpidi, non magni, parum latrantes, parum blandientes, ſed qui paruo etiam corrumpuntur, ſeneſcentes, macilenti, ſolitaria loca quaerentes, aquas non libenter ingredientes, colore uario et ferrugineo, longam ſitim paſſi aut famem, uinculisque clauſi. Et, dum canes ſic deſcripti canicularibus diebus et ſole aeſtuante armantur in rabiem, haec praecedere ſolent ſigna: horrent leuiter aquam, deinde omnem aquam et cibum ſibi potulentum, dein caudam demittunt, et quoscunque morſu adgrediuntur homines et canes. Hinc ex uilla properantes, oblique feruntur huc atque illuc, tanquam ebrii, ſpumam copioſam ex ore emittentes, nullam percuſſi edentes uocem. Oculi ipſis ſunt rubri, torue intuentes, lingua exerta, os apertum, nares mucum depluentes, aures pendulae, uox, ſi aliquando latrent, rauca. Procatarcticae autem cauſae ſunt, eſus putridarum carnium, longa ſitis, uel inedia. Propterea in antiquis legibus Prouincialibus Oſtro-Gothiae noſtrae BYGD. BALK, *cap. 50.* iubetur, non ſolum in prouinciali iudicio, ſed etiam ex ſuggeſtu ſignificari canem rabidum, ut melius cauerent ſibi fini-

med. Tom. 1. conſ. 25. BERTRVTIVM, *Method. cognoſc. morb. lib. 2. p. 226.* CHAMPEGIVM, *Comment. in Galeni hiſtor. lib. 2. hiſt. 5.*

finitimi. Argumentum uero de Rabidi Canis Morſu et Hydrophobia, nullus quidem meo iudicio magis erudite pertractauit, quam JOANNES VARISMANNVS, Dantiſcanus, Auctor oppido rarus.

Theſ. 23. Jnſuper *Baſiliscus* hominem necare dicitur per halitum quendam ex oculis ſuis exeuntem; quanquam eſſe inter Auctores magnam controuerſiam, num Baſiliſcus in rerum natura detur, uel ſaltem num ex galli ouo generetur, ut uulgus conſtanter dictitat, dudum noui. PLINIVS quidem, *lib. 8. cap. 21.* in Cyrenaïca generari prouincia Baſiliſcum refert, ſibiloque omnes fugare ſerpentes, necare frutices, non contactos modo, uerum et afflatas exurere herbas, rumpere ſaxa, addit, ſoloque muſtelarum perire odore. Serpens eſt, adque ſerpentes referendus, quamuis alii uelint, ex Galli ouo prognatum, gallo ſimilem eſſe. (*i*) Et memorabi-

i) De Baſiliſci exiſtentia, utrum inueniatur in rerum natura? prolixe admodum diſſerit, ZACVTVS LVSITANVS, *med. Princip. hiſt. lib. 5. p. 805.* Certum omnino eſt, quod multa fabuloſa de baſiliſci ortu, figura, natura, et ui exitioſa, apud auctores relata legantur, non tamen dehinc eiusdem exiſtentia in dubium plane uocanda. Praecipue duplex baſiliſci ſpecies, cuius mentionem iniicit CASP. a REIES, *lib. cit. queſt. 65. §. 3. et ſequ. p. 513. et ſequ.* notanda. Baſiliſcus uerus autem, eſt ex genere ſerpentum maxime uene

rabilis quidem eſt hiſtoria, quam ex *Moſano* deſcripſit SENNERTVS, *Scient. Nat. p. 638. et ſequ.* de Baſiliſco Warſowienſi, quae tamen ubique non fidem inueniet.

Theſ. 24. Hinc ad Animalia Deleteria *Viperas* quoque et *Serpentes* referunt, olim a Nicandro in carmine Theriacali quam diligentiſſime deſcriptos; qui uulnere primo rubro, duro, renitente, dolente, dein liuido, ſanioſum quid et oleoſum putri-

natorum, uti GREVINVS, *lib. 1. de Venen. cap. 18.* addita figura, ſolide demonſtrat. Huius uim exitioſam ſequentibus deſcribit LVCANVS: ſibilaque effundens cunctas terrentia peſtes, ante uenena nocens, late ſibi ſubmouet omne uulgus et in uacua baſiliſcus regnat arena. Omnes reliquos ſerpentes, conſpecto baſiliſco, in fugam uerti, nec, eodem praeſente, ad pabula, uel aquas commeare, AESIVS, *tetrab. 4. ſerm. 1. c. 29. et 30.* refert. His ſimilia ſunt, quae habet AVICENNA, *fen. 6. lib. 3.* baſiliſci nempe uenenum adeo peſtilens et lethale eſſe, ut pereat, qui lancea ſaltem eam tangat ac perfodiat; quod pariter confirmat LVCANVS: quid prodeſt miſeri baſiliſcus cuſpide Mauri tranſactus? uelox currit per tela uenenum, inuaditque manum. His cofirmandis ſeruiunt, quæ de catopleba affert FRACASTORIVS, *lib. 1. Antipath. cap. 1.* perhibens: adeo pernicioſum eſſe huius animalis uenenum, ut ad mille paſſus, ſolo conſpectu hominem interficiat.

putridumque ex gangraena partium, eructante, inflicto, corporis tumorem, horrorem, febrim, anginam, uomitum, tormina, delirium, palpitationes, conuulſiones, ſyncopen, anxietatem, ſudorem frigidum, ſingultum, partium morſarum liuorem aut nigredinem, ac interdum icterum, miſerabil ſcena introducunt: licet *nec ipſis pulcrum Veneni tegmen, uerſicolore tergo, & ſquamis fulgentibus deeſt*, ut BARCLAIVS, loquitur, *Satyric. part. 1.* Philoctetus, Dux, apud HOMERVM, qui PLINIO, *lib. 25. cap. 2. primus doctrinarum et antiquitatis parens dicitur*, ab Hydra morſus eſt, tetro uulnere cum doloribus, *Iliad. lib. 2.* Et in noſtra patria, *Caecilia*, Noſtris *Blindorm. Kopparorm*, et *Slaa* Wermelandis dictus ſerpens, omnium ſerpentum eſt maxime uenenatus. Quod autem dicatur coecutire ſemper, praeterquam in meridie et ſolis occaſu, fabuloſum eſſe, puto; ſed propter aeſtus internos ſerpens hic maxime umbras alnorum amat, nec ulla res ipſi peſtilentior, mortemque tam cito inducens, quam ſi uirgis alni arboris caedatur, ut notiſſimum popularibus meis uidi ſaepe, repetentibus quaſi arbuſtis pro diuerſorio umbroſo dignum in morte gelida proemium.

Theſ. 25. Memoriae tamen produnt, *Aſpidum* (*k*) quandam eſſe ſpeciem, quae ſenſuum tor-

k) Tres *aſpidis* ſpecies, *terreſtrem* nempe, *hirundinaceam*, et *ſpuentem*, GALENVS, *lib. de ther.*

porem, ſomnumque, unde quoque ὕπναλις dicta eſt, facit. A coagulo autem ſanguinis per acerrimum alkalinum Venenum ſoporem iſtum fieri, ſatis ſum perſuaſus, crediditque antiquitas; Hinc NASO *lib. 9. Metamorph.*

Plenaque ſomniferis ſerpens peregrina Venenis.

Hos autem ſerpentes Cleopatram, Aegypti Reginam, facto prius in ancillis Naera et Carmione periculo, brachiis ſuis adhibuiſſe, blandiſſimoque correptam ueterno, poſt ſuperatum a Caeſare Auguſto, ad Actium promontorium, nauali certamine, maritum Antonium, ne a uictore in triumphum duceretur, interiiſſe, uolunt auctores. Videſis PLVTARCHVM, *in Vit. Anton.* et GALENVM, *de Theriac. ad Piſonem, cap. 8.* Quare, qui mammis adhibuiſſe ſcribunt, falluntur, quod et uetuſtiſſimae docent picturae. (*l*) Hannibalis autem ſerpentes

ad Piſonem, cap. 8. AETIVS, *tetrabil. 4. ſerm. 1. cap. 20.* PAVLVS, *lib. 5. cap. 18.* allegant. Aſpidem in calidis ſaltem regionibus inueniri, LVCANVS, *lib. 9. de bello ciuili*, his uerbis teſtatur: ipſa caloris egens gelidum non tranſit in orbem ſponte ſua, Nilique tenus metitur arenas: Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur huc Libycae mortes, et fecimus aſpida merces. Perhibet tamen OLAVS MAGNVS, *lib. 21.* quod etiam aſpides aquilonaribus in mundi plagis reperiantur admodum exitioſae.

l) Hoc ſatis diſtincte docet ac demonſtrat PRO-

tes uenenati, uiui, uaſis fictilibus incluſi, inque naues Eumenis Pergameni Regis coniecti, de quibus NEPOS, *in Hannibale*, *cap. 10.* uidentur fuiſſe omnis generis. At *Cenchris*, (*m*) ſeu *Serpens miliaris*, ob teneritudinem ita dictus, Sardonico riſu, ulcere putrido, et uariis contorſionibus, hominis uitam abrumpit. *Di-*

PERTIVS, *lib*, *3. Eleg. 9.* ſequenti carmine: brachia ſpectaui ſacris admorſa colubris, et trahere occultum membra ſoporis iter. De aſpidos pariter, brachiis a Cleopatra applicatae, effectu, et generoſa huius Reginae morte, HORATIVS, *Carmin. lib. 1. Od. 37.* ſic cecinit: quae generoſius perire quaerens, nec muliebriter expauit enſem, nec latentes claſſe cita reparauit oras. Auſa et iacentem uiſere regiam uultu ſereno, fortis et aſperas tractare ſerpentes, ut atrum corpore combiberet uenenum, deliberata morte ferocior ſaeuis Liburnis, ſcilicet inuidens priuata deduci ſuperbo non humilis mulier triumpho.

m) Sub cenchri et cenchridii nomine, DIOSCORIDES, *lib. 6. cap. 38. et cap. 40.* deſcribit; cenchrida a NICANDRO, *in theriacis*, uocatur; iconem huius ſerpentis optime expreſſum exhibet BELLONIVS, *lib. 1. obſ. cap. 31.* Cenchris autem ἀπὸ τȢ̃ κέγχρȣ, a milio, quia corpus maculis magnitudine et colore milio ſimilibus obſeſſum et diſtinctum habet, dicitur. NICANDER, *l. c.* ait, priſcos illum uariis pictum ſquamis, dixiſſe leonem, quod ſcilicet leonis ad inſtar ferox ſit.

Dipſas (*n*) uero, alias *Preſter* dictus, ſiti ardentiſſima cruciat, ob coagulatos per acerrimum alkalinum Venenum citiſſime humores, atque immeabiles factos, itidem ex aſpidum genere ſerpens. Quin et *Seps* (*o*) uerſicolor, NI-

n) Situla ab Isidoro, καῦσος ἀπὸ τȣ̃ καίειν, et πρηστὴρ ἀπὸ τȣ̃ πρήθειν, quae uerba, urere, incendere, inflammare ſignificant, a Dioscoride, *lib. 6. cap. 38 et 40.* uocatur. Similem Dipſaden eſſe uiperae, quae echidna uocatur, Aetius, *tetrabibl. 4. ſerm. 1. cap. 22.* perhibet; cui ſententiae Nicander ſubſcribit, ſcribens: exiguae ſimilis ſpectatur dipſas echidnae. Penetrantius uero dipſadi uirus ineſſe, hocce pariter Nicander indicauit uerſiculo: ſed feſtina magis mors ictus occupat artus. Plura de Dipſade uide apud Galenvm, *lib. 11. ſimplic. et lib. de theriaca ad Piſonem, c. 8.* Avicennam, *lib. 4 Canon. fen. 6. tract. 3. cap. 38.* Actvarivm, *lib. 6. Method. med. cap. ultimo*, Pavlvm, *lib. 5. cap. 15.* Grevinvm, *de Venenis lib. 1. cap. 14.*

o) Seps, ſiue Sepedon, ἀπὸ τȣ̃ σήπειν, a putrefaciendo, nomen accepit. Sepem autem Dioscorides et Nicander, modo ſerpentibus modo lacertis annumerant; Dioscorides quippe, *lib. 2. cap. 57. ed. Ruellianae*, ſepem a quibusdam lacertam Chalcidicam, uocatam eſſe, commemorat, cum idem, *lib. 5. cap. 12. ed. cit.* ſepem inter uiperae genera referat. Ter ſepis apud Nicandrvm fit mentio, binis locis,

NICANDRO memoratus, ſitim excitare ingentem ſcribitur, unde quoque eidem δίψιος σὴψ dicitur.

Theſ. 26. Illud interim de Aſpide a PLINIO *lib. 8. cap. 23.* eſt relatum, tam ſancte in coniugio uiuere illum, ut alter alterius necem, etiam in ciuitates et conuentus hominum perſequatur. Quod autem aſpides ſine ullo doloris ſenſu necarent, ſicut hoc etiam de Cicuta proditum fuit, nonnulli ueteres hanc Veneni actionem ad occultam qualitatem reduxerunt. Sed, ſi ueteres tam curioſi fuiſſent in aperiendis cadaueribus ueneno aliquo extinctis, quam in aliis rebus, uidiſſent facile, etiam ex hoc Veneno uiſcera eſſe eroſa, ſanguinemque in grumos concretum. Et quidem DIOSCORIDES, *de Venen. lib. 1. cap. 17. et lib. 2. cap. 33.* congelari inde ſanguinem, atque ex uulnere modicum nigri ſanguinis exire animaduertit. Ex aſpidum porro carne antiquitus componebatur

nempe in deſcriptione uiperae primum, et deinde in delineatione haemorrhoi, ſeps in ſerpentum numero reperitur, tertio demum, ſeps, lacertae quoddam genus NICANDRO eſt, uti ex ſequentibus uerſiculis patet: ſic etiam paruis humili compage lacertis non ita diſſimilem declinans effuge ſepem. Seps haemorrhoo ſimilis dicitur, in eo ſaltem differens, quod recto incedat tramite, et quemadmodum NICANDER loquitur, mutilae nulla inſint cornua fronti.

batur Venenum maxime exitiale, putrefaciens, teſte CARDANO, *de Venen. lib.* 2. *cap.* 5. Sunt autem tres aſpidum ſpecies auctoribus memoratae, *Cherſaea*, uel *Cherſydras*, ſerpens aquaticus et paluſtris, ſeu *Natrix*; *Ptyas*, ſeu ſpucus, omnium exitioſiſſima, et Cleopatrae, ut nonnulli uolunt, adhibita; et *Hypnalis*, breuis, in dorſo nigra, uentre albicante.

Theſ. 27. Eſt et ſerpentis genus, *Haemorrhous* (*p*) dictum, cuius Veneni tanti uis, ut totum

p) Hic ſerpens nomen ab effectu, quia ῥοῦν τοῦ αἵματος, fluxum ſanguinis ex omnibus partibus, cauſatur, accepit. Haemorrhous, ſcribit NICANDER, rimoſas petras colit, reptat tarde, dumque reptat, propter ſiccitatem ſquamarum, ſtrepitum edit, non aliter progrediens, quam nauis, quae mare ſulcat, hoc eſt, prout undae uel aſſurgunt, uel deprimuntur, ita haemorrhous, anteriorem partem attollit, cum poſterior eſt depreſſa, et contra; quod ſequentibus optime delineauit et expreſſit NICANDER: et medio uideas appellere dorſo paruum nauigium, terit ima lubrica terram aluus. Praeter citatas iam ab auctore noſtro ſerpentum ſpecies, *Dryinus*, *Acontias*, et *Ceraſtes* occurrunt. Acontiam et Cenchrinem AETIVS, *tetrabibl.* 4. *ſerm.* 1. *cap.* 27. pro uno eodemque ſerpente habens, utrumque milii referre colorem, et iaculi inſtar in homines inuolare ſcribit, cum tamen illud cenchrini, hoc acontiae, competat. Acon-

totum ſanguinem liquidiſſime conterat, et
faciat

tias enim, *ἀπὸ τȣ̃ ἄκοντος ἢ ἀκοντίȣ*, telo, aut ſagitta, cuius inſtar in homines aliaque fertur animantia, nomen accepit. Vnde Latinis iaculus aut ſerpens iacularis, Germanis *Schuſſ Schlange* uocatur, de quo plura inuenies apud GREVINVM, *de Venen. lib. 1. cap. 21.* et BELLONIVM, *lib. 2. obſeruat cap. 14.* Ceraſtes uero, *ἀπὸ τῶν κεράτων*, a cornibus, binis nempe tuberculis, ſupra oculos locatis, cornua referentibus, denominatur. A Nicandro aſtutus atque inſidiator appellatur, quia cornubus ſuis, tanquam eſca, ad paruas aues alliciendas, totum ſe arena abſcondendo, ſolis illis tuberculis prominentibus, utitur; hinc NICANDER: bibulis ſub arenis, uel qua facta rotis uia longa ſub ſcrobe dormit. Dryinus, a domicilio, quoniam in quercuum cauernis, quas *δρύας* Graeci dicunt, habitat. Adeo foetidum eſſe hunc ſerpentem, ut, ſi quis eum non uideat, de eius praeſentia ſolo foetore certus reddatur, citatorum auctorum teſtimonia confirmant; foetor autem talis fere eſt, qualem, ſcribit NICANDER, dant madidae corii praeſegmina ſordes, quas tereti radunt ab equino tergore ferro. De exceſſiua huius ſerpentis magnitudine, et ueneno extioſiſſimo, lege BELLONIVM *lib. 3. obſeruat. cap. ultimo.* GALENVM, *lib. 3. de theriaca ad Piſonem.* AETIVM, *tetrabibl. 4. ſerm. 1. cap. 29.* DIOSCORIDEM, *lib. 6. cap. 38. et 40.* ACTVARIVM, *lib. 6. methodi med. cap. ultimo*, AEGINETAM, *lib. 5. cap. 14.*

faciat exire per nares aliaſque corporis partes, ſi fides ſit auctoribus, ſequente dolore loci demorſi magno, apoſtematione uulneris, ſolutione uentris ſanguinolenta, anhelitus ſtrangulatione, ſpaſmo et morte. Et Romanorum Rex Tullus, tali ſerpente demorſus eſt, unde LVCANVS, *lib. 2. pharſal.*

Impreſſit dentes Haemorrhois aſpera Tullo.

Tyrus autem, ſeu Vipera minor, ex cuius carnibus, Theriaca optima, et Soldano ſoli Alkairenſi offerenda, conficitur, omnium Venenorum inter uiperas ſummum in ſe continet, nulloque modo curari poſſe creditur, niſi amputetur mox membrum. In ipſa captura inflammari et tumere ipſi dicitur caput et cauda ueneno, quae partes abſcinduntur, et uenenum curioſis colligitur, medio Theriacae relicto, ut ex MELCHIORIS LVSSI, *Itinerario* refert HAFENREFFERVS, *de Cut. Affect. lib. 3. c. 8.* Neque hoc mirum eſt, cum uideamus Gallos Calekutenſes, noſtris *Kalkoner*, iratos circa caput in ueſiculis collaribus inflammari, et uirgis etiam, antequam mactentur, pedibus in tecto appenſis, tam diu caedi, donec bene excanduerint: poſtea caput uel abſcindi, uel tantum ueſiculas ueneno turgidas, carnibus interim per uirgas inteneratis.

Theſ. 28. Equidem ſerpentinum uirus uulneri uenoſo externe immiſſum tantum nocet: interne uero, propter mucum forte uiſcerum

natu-

naturalem, iſtas acredines obtundentem atque inuoluentem, non adeo noxium creditur, ſicut et in illis, ubi flacciditas regnat ſolidorum, et motus contractilis minus eſt robuſtus. Conf. BELLINVS, *de Miſſione Sangu. Prop.9. p.m.* 236. Quod et ſuo quoque tempore LVCANVS hoc carmine indigitauit *lib. 9. Pharſal.*

Noxia ſerpentum eſt admiſto ſanguine peſtis,
Morſu uirus habent, et fatum dente minantur;
Pocula morte carent.

Similiter Auripigmentum album, Mercurius ſublimatus, aliaque acria, intro adſumta, etiam in minori doſi, propter ſuam rigiditatem, aciem, ac pondus, plane occidunt, niſi antidotus ſumta fuerit. Exterius uero adplicata, eadem etiam in copia, uulnus quidem faciunt, pariter ac uolatilia putrefactiua animalium, ſed, quia fixa ſunt, et partium craſſiorum, non niſi tarde ac poſt multum temporis occidunt. Maior enim actio eſt ſolidorum ab omni latere in uenenum ponderoſum per ſtomachum et uiſcera prima, quam externa in cute. Sic multa ſunt, quae interne adſumta interimunt, ut gypſum, et ſaturnina, aliaque; externe uero nihil nocent. Species enim, dicente apud MACROBIVM, *Saturn. lib. 7. cap. 8. Diſario*, Medico, *et acres et calidae, ſuperficiem, cui apponuntur, exulcerant, quia integra uirtute ſua, ſine alterius rei admiſtione, utuntur ad noxam.*

Sed, ſi in uentrem recepta ſint, ſoluitur uis eorum, uentralis humoris alluuione, qua ſiunt dilutiores. Ergo paucitas et uolatilitas uiperini ueneni eluditur, a uentre uiſcido ac humido, ſed ſanguini extra communicati uis, recta ad cor uadit per uenas.

Theſ. 29. In quanam uero re, iſta uirulentia uiperina conſiſtat, difficile dictu eſt. Nam Veteres fere omnes, in Bile hanc fundari, uoluerunt, quam per ductum quendam fictitium, a biliaria ueſica ad os protenſum, in os deriuari crediderunt, ut peculiari tractatu BALDVS ANGELVS ABBATIVS, *de Admirab. Viperar. Nat. et Facult.* (q) demonſtrare conatus eſt. *Serpen-*

q) Duplex uenenum, citatus auctor, uiperis tribuit, uti ex ſequentibus uerbis allegati *tractatus, in 4to, Noribergae, 1603. editi, cap. 4. p. 14. 15. et 16.* manifeſtum eſt: ex reliquis omnibus, ſcribit idem, caput aptum uipera ad laedendum poſſidet, et in dentibus a natura uenenum eſſe, inde manifeſtum eſt, quoniam ab iisdem dentibus uiperae, iam dudum mortuae, ſi quis tangatur, lethale admodum eſt. Quare hac in parte, et mortua et uiua ſemper apta nata eſt ad laedendum. In gingiuis igitur dentium tumentibus uirus conficitur ſpirituoſum, ex illa materia uenenatorum animantium et herbarum, ut paulo infra apparebit, quod in felle, tanquam in lacunari, conſiſtit, quo rarenter canes, ſi ueſcentur recenti, mori contingit, ſi ſicco, nunquam,

Serpentibus duo dentes, in ſupera parte, dextera
M 2 *laeua-*

ut obſeruauit Paulus Quernus, Aromatarius Parmenſis, olim Romae ad Paſquillum. Carnibus autem uiperinis tum canes tum feles ſine noxa ueſcuntur, atque etiam homines multis in locis. Quis ergo crederet carnem uenenatam eſſe? quae medicorum omnium conſilio et publico conſenſu, approbatur, et Galeni praecipue. Neceſſe igitur eſt, poſtquam non in tota carne, neque in ſanguine, et epate, neque in corde, et arteriis ineſſe probabitur, in ueſica fellea, materiam, tanquam in proxima lacuna, duobus meatibus inde ad dentium ueſicas deferri, in quibus uipereum actu uenenum efficitur, ex praua materia, ut in cauda cerui, quae in toto ceruo non conſiſtit, in capite felis, non in toto animante, in radio paſtinacae, non in toto piſce, in draconis piſcis aculeo tantum, non in carne, uenenum ullum ineſſe creditur, et his omnibus ueſcimur in dies, abiectis uenenoſis partibus. Sed modo colligendum eſt etiam, duplex eſſe in uipera uenenum, unum in actu perpetuo, etiam mortuae in dentibus firmiter inhaerere, ut in ſuperioribus piſcibus, alterum in gingiuis et ueſiculis collectum, ex uſu et cibo uenenatorum animantium attractum a fellea ueſica, uagum et ſpirituoſam, translatum quoque ad gutturis partes, tanquam in ſentinam, a natura deponi. Quo uero applauſu haec ſententia ſit ſuſcipienda, dilucida auctoris noſtri explicatio demon-

laeuaque, longiſſimi, tenui fiſtula perforati, ut ſcorpionum aculei, uenenum infundentes. Non aliud hoc eſſe, quam fel ſerpentinum, et inde uenis ſub ſpina ad os peruenire, diligentiſſimi auctores ſcribunt, uerba ſunt PLINII, *lib. 11. cap. 37.*

Theſ. 30. Nec Recentiores conueniunt; FRANCISCVS etenim REDI, Italus, Nobilis Aretinus, in erudito *de Viperis opere*, ſaliuam in aluearibus, ſeu ueſiculis, ad dentium primorum radices ſitis, uenenatam conſtituit. Quod inter ueteres Medicos ante centum et ſexaginta circiter annos, iuidem THOMAE IORDANO, uiro doctiſſimo, notum fuiſſe, clariſſime adparet, ex eiuſdem *de Phaenom. Peſt. Tract. 3. cap. 9. p. m. 573.* uerbis, ubi de uiperis loquens, dicit: *quibus ueſiculae ſanioſo ichore repletae, ad gingiuarum inſtar, circa dentium radices uidentur, utique ueneno turgent.* Et forte etiam a multo antiquioribus annotatum eſt naturae phaenomenon; *Oportet autem*, ut CELSVS ait, *lib. 2. cap. 14.* de frictionibus ab Aſclepiade inuentis, *neque recentiores uiros in his fraudare, quae uel repererunt, uel recte ſecuti ſunt; et tamen ea, quae*

ſtrat, quibus addendae rationes atque experimenta, in *Toxicologiae noſtrae lib. 2. §. 46. et ſqq. p. 73. et ſequ. adducta.*

quae apud antiquiores aliquos poſita ſunt, auctoribus ſuis reddere.

Theſ. 31. FRANCISCO tamen REDI, MOSES CHARRAS, Pharmacopaeus, *Tract. de Viper.* luteam iſtam ſaliuam ex ueſiculis effluentem impune deglutiendo, contradixit, ſpiritumque animalium in iram prouocatorum beneficio, per exiliſſima binorum, ut PLINIVS olim dixit, dentium foraminula, in uulnus iam factum eiaculatorum, hanc noxam communicari putauit: ita quidem, ut hoc uirus ſanguinem coagulare adfirmet, quod tamen Cl. WEPFFERVS, in aureo *de Cicuta Aquatica Tractat. Schol. 5. ad Hiſt. 5. p. 216. et 217.* negare uidetur.

Th. 32. Alii uero, quos inter eſt Cl. MELCHIOR FRICCIVS, *Paradox. Med. 7.* non inde ſanguinem adfici, ſtatuunt, ſed ſaltem cutim membranaceam, neruosque irritari, uellicari, uiolenta diuulſione pungi per imperforatum horum animalium dentem, non aliter ac ex aliis uenenis acribus, uitri fragmentis, clauis, uel aliis mechanicis inſtrumentis acutis, aut cauteriis potentialibus, actualibusque, neruoſis partibus infixis, eadem mala ſequi ſoleant, ipſumque inde fieri icterum morbum, ex ſpaſmodica folliculi biliarii contractione; non autem per excandefactae dentes uiperae aliquid exire ueneni, ſed ſolum maiori ſic uiolentia et impetu dentes ictum imprimere.

Theſ. 33. Et, licet nullo modo negare uelim, ſed potius mechanicis legibus et unionis neceſſitati quam optime eſſe conforme, ſatis ſim perſuaſus, uile tendinis uel fibrillulae nerueae uulnus, (ut in dentitione infantum, ex lacerata per adſurgentem dentulum gingiua, idem fit,) uel dimidiatam nerui abſciſſionem, excitare dolores primum obtuſos, dein intolerabiles, ichorem aqueum incredibili copia, tum rubores, tumores, ardores, pulſationes, febrim, ſitim, deliria, conuulſiones, gangraenam uicinorum, ipſamque mortem, ſaepe adferre. Solutus enim hac ratione neruus, ab una parte reſilit, quia elaſticus, ab altera uero tenſus et irritatus connexos uellicat, liquidum neruoſum turbat, duram piamque irritat matrem, fibrasque muſculares, et, uaſorum ſic extremitatibus clauſis, liquida ſtagnare cogit, tenuibusque ſe per latera proripientibus, coagulari. Sic ſutor in Tityo apud HIPPOCRATEM, *Epidem. lib. 5. n. 19.* fibula ſibi totam hanc ſymptomatum cateruam conciliauit, et ego tale uidi exemplum Stockholmiae Ao. 1703. in ianitore dicaſterii Regii, qui fibula ſiniſtram laeſus leuiter manum, dolorem ſentiebat mox in dextra, hinc per brachia, dein femora, tandemque per tibias ac pedes dolore et tumore prorepente, miſerabili morte ex gangraena interiit. Habitabat in ſuburbio Auſtriali ſimiliter Adrianus Spigelius, Anatomicus celeberrimus, in nuptiis filiae unicae, uitri fragmento digitum ſiniſtrae manus laeſit, et occoepta inflam-

tione ac gangraena, obiit. Qualia plura exempla uide apud CAMERARIVM, *Memorab. Med. Cent. 10. partic. 40. 41.*

Theſ. 34. Quicquid tamen ſit, mihi ſaltem uidetur, non tantum in neruoſum genus agere ſpicula uiperini ueneni, ſed ipſum etiam in ſanguinem, aliquid alkalicae acris putridae uirulentiae, ſeu acre ſaponaceum uolatile, ex ſalibus et oleis intime diuiſis, putrefactis, mixtisque progenitum, non uero acre aliquod acidum, ut Cl. LEMERY, *Traite des Aliment. 5. part. 2. cap. 10. p. m. 261. 262. et cap. 82. p. 460.* aliique putarunt, ex ſerpente inſtillari, quod ſanguinem, more omnium alkalium putrefactorum, primo diſcerpat, mox, modo ſuperius dicto, coagulet, ſolidaque ipſa gangraena adficiat ſubitanea. Atque hoc ipſum ſuo tempore GALENVS, *de Theriac. ad Piſon. cap. 10.* cognouit, uenenum hominem non occiſurum, niſi uenis recipiatur.

Theſ. 35. Compertum enim eſt, uiperas primo et ſecundo ictu uenenoſiores fuiſſe et uirulentiores, quam tertio uel quarto, quanquam a deperditis mordendi uiribus hoc deducant ſententiae prioris fautores. Et canis rabidus non ſolum, ſed et ira alias percitus, hominesque irati, ſuo morſu, eiusmodi concitant conciliantque ſymptomata, quae certe non exiſterent, ſi de induſtria homo aliquis quietae mentis morſu quendam percuteret. Praeterea, liquor

quor, in quo Tarantula ſuffocata fuit, exitialis euaſit, pepoque, in cuius fouea naturaliter excauata ſcorpio latuerat, manducatus, ruſtico Neritonenſi fatalis factus eſt, ut BAGLIVIVS refert, *de Tarant. cap. 5. et 11. hiſt. 4.* Prouenire uero ſalem hunc uolatilem oleoſum, ſeu ſaponem uenenatum uiperarum et ſerpentum ex eſu animalculorum, quorum ſanguis acris eſt, ut lacertarum, cantharidum, ſcorpionum, bufonum, aliorumque, accedente calore ſolis, ſatis ſum perſuaſus. Fieri enim ſerpentum uirus ex pabuli natura, ualens magis, uel innocens, PAVSANIAS, olim in *Boeoticis lib. 9.* agnouit. Hinc carniuori facile excandeſcunt, inque alkali conuertitur eorum ſanguis uolatile et contagioſum, et os ipſis male foetet, praeſertim, ſi panes non comedant, ut obſeruauit BRVYERINVS, *de Re Cib. lib. 6. cap. 1.* Panis enim acidum, temperat alkali carnium, ut ſal ammoniacus inde fiat.

Theſ. 36. Sed nunc uenio ad argumentum, multorum ore, praeſertim uero uulgi, celebratum, de ſerpentibus per gulam ingreſſis. Multi hoc adſerere uolunt, experientiam et exempla proferentes, de quibus tamen non adhuc conſtat, cum alius ab alio ſic ſe accepiſſe dicant. Solummodo unum habent apud HIPPOCRATEM, *Epidem. lib. 5. n. 32.* de ſerpente *Arges.* Refert autem HIPPOCRATES, adoleſcentem, multo meraco poto, conſopitum

tum fuiſſe, et ſerpentem *Arges* appellatum in os ingreſſum. Expergefactus, cum loqui non poſſet, dentibus ſtridebat, ſerpente deuorato, dolore magno corripitur, ſtrangulatur, iactatque ſe ipſum, et conuulſus moritur. (r) Quem quidem ſerpentem ex uermium genere fuiſſe concipio. Et quomodo ſerpens magis quae-

r) His addo HIERONYMI TRAGI obſeruationem, *Hiſtor. Stirp. lib. 2. cap. 114.* referentis, quod puero, ſub arbore quadam in campo dormienti, ſerpens per os ſubierit. Similem habet VOLATERRANVS apud MIZALDVM, *Memorabil. Cent. 8. aphor. 26.* hiſtoriam, ſcribens: quod ruſticus ſuo tempore, per foeniſecia aperto ore in agris recubans, anguem intra corpus per hiantes fauces admiſerit. Haec ſuo teſtimonio confirmat OLAVS MAGNVS, *lib. 13. c. 9.* ſequentibus uſus: compertum eſt ſeptentrionalibus in regionibus multorum indelebili hiſtoria, ſerpentes longitudine palmalares, ac bipalmalares, rubeos, coeruleosque, faucibus, ſe imbecillium infantum, humi dormientium immittere. Hinc VIRGILIVS, *lib. 3. Georg.* de tempore, quo ſerpentes in pratis et campis oberrant, ſequens dat monitum: ne mihi tum molles ſub diu carpere ſomnos, neu dorſo nemoris libeat iacuiſſe per herbas, cum poſitis nouus exuuiis nitidusque iuuenta uoluitur, aut catulos tectis, aut oua relinquens. Serpentis, qui in os dormientis irrepſerat, per uomitum, denuo reiecti, hiſtoriam, habent, *A. N. C. Dec.*

ret ingredi gulam, ſemper, niſi dum edimus, clauſam, quam fiſtulam pulmonalem, ad quamuis inſpirationem patulam? Ego equidem anatomiae contrarium eſſe puto, et maximam partem fabuloſa de hoc argumento circumferri. Et uel ſaepiſſime illi, qui dicunt, ſe uexari ſerpente per os ingreſſo, laborant morbo hypochondriaco, lumbrico lato, aut coalita in inteſtinis pituita, inſtar ſerpentis, quae quoque, mouentibus ſe inteſtinis, aliquando mouetur. Talis pituitaria arundo per pharmacum aliquando ex uiro, ſui temporis clariſſimo, Juſto Lipſio, expulſa eſt per HEVRNIVM, ut in frontiſpicio praxeos eius habetur, admirante multum Lipſio, et querente, ipſa ſibi exiſſe inteſtina. Interdum dolus eſt mendicorum, ut DONATVS, *de Med. Hiſt. Mirab. lib. 2. cap. 12. ex Matthia Cornace*, Regis Romanorum Medico, refert de

3. *ao. 5. 6. obſ 159.* De Serpente, e homine, poſt mortem prorepente, lege *A. N. C. Dec. 1. ao. 7. obſ. 215.* Serpentem ex puella depulſum *A. N. C. Cent. 5. p. 330.* commemorant. Exempla ſerpentis ano reiecti, afferunt BORELLVS, *Obſ. Med. Phyſic. Cent. 1. hiſt. 23. et A. N. C. Dec. 1. ao. 6. obſ. 190.* Serpentis, ex hominis ore ducti, mentionem facit BORELLVS, *Cent 3. obſ. 31.* Plura de Serpentum in uiuo homine generatione, de ſerpentibus uomitu et per aluum ex hominum corporibus reiectis, uide apud GARMANNVM, *Mirac. mort. lib. 3. tit. 1. §. 133. 134. et 138.*

de puella quadam Eſlingenſi, quae tot Philoſophos, Medicos atque Anatomicos decepit, miro artificio, uentrem nunc ſibi arctante, nunc tumefaciente, ſerpentemque quadrupedem, ex aquae paluſtris potu, ſibi ineſſe, omnibus perſuadente, donec tandem, dolo detecto, canis inuentus ſit, quem artibus ſuis adhibuerat ſub quodam corio. At nobilis foemina, quae ante annos non ita multos conſtantiſſime adſerebat, ſe gerere ſerpentem uiuum in inteſtinis, cum tamen malo uexaretur hypochondriaco, a celeberrimo Profeſſore Vpſalenſi, HOFWENIO, per datum opiatum decepta eſt. Illa enim dormiente, matulam ipſi propoſuit, aqua et ſordibus uentriculi euomitis, ſerpenteque uiuo plenam, quem, dum expergefacta conſpicit, mox fit ſana et laetabunda. Quam curationis aſtutiam forte matuatus eſt ab ALEXANDRO TRALLIANO, *lib. 1. cap. 16. p. m. 110.* ubi per omnia ſimile Medici artificium narratur, et per hoc curata mulier melancholica. Sic ibidem PHILOTINVS, Medicus, quendam, qui capite ſe carere putabat, curauit, ideam contrariam introducens, impoſito capiti ipſius plumbeo pilo, ut grauitatem ſentiens aeger, recepiſſe ſe caput crediderit. Et ERASMVS ROTERODAMVS, uir celeber, *Oratione in Laudem Medicinae*, refert, Panaceum, Medicum, ſe teſte, reſtituiſſe Phlyarium Spoletanum, nouo maniae genere ex uermibus laborantem, et Teutonice, quod ſanus non poterat, loquen-

tem,

tem, atque ab omnibus habitum pro Daemoniaco. Verum de ingreſſu ſerpentum, ſi unquam, in tali caſu locum habet, quod PLAVTVS meus loquitur, *Trucul. A. 2. Sc. 6.*

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem,

Qui audiunt, audita dicunt; qui uident, plane ſciunt.

Theſ. 37. Peruentum nunc eſt ad Scorpiones, qui aculeo ſuo, caudae inſerto, pungunt, ac inflammationem corporis, uomitiones, conuulſiones, inguinum et partium genitalium, non aliter ac ex cantharidum uſu, erectiones, ſingultus, frigus extremorum, ac mortem ipſam, efficere ualent. Obſeruauitque PLINIVS, *lib. 11. cap. 25.* Scorpionum uenenum, medio die, ſolisque ardoribus, peius eſſe, et ſiti uexare. Qui quidem aeſtus facit, ut ſcorpiones in borealibus locis inuenti, ſint minus noxii. (*s*) Nam-

s) Scorpiones non uenenatos exhibent pariter *A. N. C. Dec. 1. Ao. 10. p. 454.* Scorpionem coctum, innoxie deuoratum fuiſſe, ex iisdem *A. N. C. Dec. 1. Ao. 2. obſ. 205.* cognoſcimus. FERRARIVS contra, *de puerorum medicina, lib. 2. cap. 9.* narrat, quod ſcorpius, Ao. 1570 in agro Veronenſi, infanti in cunis dormienti per os ingreſſus fuerit, ipſumque adeo laeſerit, ut experrectus, reiecto poſt multos labores, dolores, et eiulatus, per uomitum, ſcorpio, diem ſupremum

Namque inueniri eosdem in noſtro Septentrione, uix crederent exteri, niſi certus de ea re eſſem, mecumque uidit celeberrimus Medicinae Doctor et Profeſſor Vpſalenſis, OLAVVS RVDBECKIVS, Filius, uir ſane per omnia naturae opera curioſus, intra cortices arboris abietis, noſtris *Graan* dictae. Ceylonici autem ſcorpii omnium uiroſiſſimi ſunt, compreſſi enim, ut quidam exeat ſuccus, apparet quaſi fulminatio quaedam coerulea ex ſulphure accenſo. Idem in cicutae aquaticae radice, cultro transuerſim diſſectae, et aquae leuiter intinctae ſaepius a me obſeruatum eſt.

Theſ. 38. Porro *Aranei*, notiſſima illa animalcula, ſed diuerſi generis, et diuerſae iuxta magnitudinis, ſi forte per imprudentiam, in cibo uel potu latitantes, fuerint ab homine infeliciter deglutiti, uariam ipſi creant moleſtiam, abdominis et uniuerſi demum corporis, tanquam ab altero ſublimato, ſubſequente intumeſcentia, crepaturam minante, ut multorum conſtat teſtimoniis, ipſeque aliquando non ſine admiratione id uidiſſe me memini in patria. Contigit enim A. 1697. ut, cum ego in Parochia Wermelandiae Milſwykenſi ſtipendia per rus colligerem, famulus ſacerdotis D. Spaakii, nomine Ericus, poſt conuiuium, quarta die Feſti Natalis Chriſti habitum, reſiduum in argenteo pocu-

cum acerbiſſimo parentum luctu miſerrime obierit. De Scorpionum ictu, atque incommodis, ictum ſequentibus, lege *A. N. C. Dec. 3. Ao. 1. obſ. 20.*

poculo, ſicut ſolent id genus hominum, per noctem relictum potum, die ſequenti auidius hauriret. Quo facto, poſt aliquot horas, querelam ad matremfamilias, quae medicaſtra erat, defert, de inſigni dolore corporis atque intumeſcentia. Illa ergo, inſcia facti, lectum petere iuſſit, et mox, tanquam altera Theſtylis Maroniana, allia ſerpillumque, et neſcio quas non herbas olentes contudit, famuloque exhibuit. Qui quoque poſt ſemihoram inſigniter euomere coepit, interque alia araneum ingentem integrum, tumidum ac mortuum. Quod mater familias una mecum conſpicata eſt. Poſtea bene habuit. (*t*) Non tamen hoc de omni araneo intelligendum eſt: quidam enim ſunt mitioris genii. (*u*) Nigri tamen inter octo-

t) Ab aranea in ſtomacho haerente, grauiſſima incommoda, et mortem ipſam excitatam fuiſſe, teſtatur Borellvs, *Cent. 1. obſ. 81. p. 87.* Idem *Cent. 3. obſ. 10. p. 213.* hiſtoriam aegroti, grauiſſimis afflicti ſymptomatibus, allegat, a quibus, reiecta per uomitum aranea grandiori, liberatus fuit. Alias plures obſeruationes de aranearum deglutitarum detrimento, illique oppoſitis et congruis remediis, inuenis apud Salmvthvm, *Cent. 2. obſ. 48. p. 79. et 80.* Casp. *a* Reiès, *lib. cit. qu. 96 n. 10.* Mercvrialem, *lib. 1. de Venenis. cap. 17. et A. N. C. Cent. 3. p. 30.*

u) De aranearum eſu innoxio, plura relata ac notata leguntur *A. N. C. Dec. 1. ao. 2. obſ. 10. ao. 4. obſ*

octonoculos, et coccineus quidam inter binoculos, ſeu phalangia, peſſimi ſunt ueneni, praeſertim uero poſterior ille, bobus certa pernicies aeſtimatur, ſi forte ab iis in herba deuoretur, monente Cl. LISTER, *de Aran. Angl. Part. 2. cap. 3. Tit. 38.* Adeo conſtat, *non ferociſſima tantum, ſed ignauiſſima quoque animalia timeri, ob uirus malum*, dicente SENECA, *de Benef. lib. 1. cap. 13.* Neque tantum interne pernicioſus eſt araneus, ſed externis etiam adplicatus. (*x*) Sic NICOLAVS FLORENTINVS, quem citat SENNERTVS, Lombardum quendam, narrat, Florentiae magnum

85. Dec. 2. ao. 5. obſ. 116. Dec. 3. ao. 3. obſ. 55. CASP. a REIES, *lib. cit. quaeſt. 63.* Hic autem, praeter diſcrepantem ueneni, quo diuerſae araneae inſtructae ſunt, indolem, natura hominum, qui iisdem innoxie uſi fuerunt, reſpicienda; nam, ita BORELLVS, *Cent. 3. obſ. 19. p. 23.* perhibet, quod multae puellae chloroſi affectae, araneas, ſine ſubſequente detrimento, cum emolumento potius, ob uiſcidi humoris abundantiam, deuorarint. Ita porro, teſte CASP. a REIES, *l. c. qu. 83. no. 3.* aranea, carpis applicata, antifebrile eſt remedium.

x) Ab araneae punctura grauiora et uariae indolis ſymptomata orta fuiſſe, teſtantur pariter *A. N. C. Dec. 3. Ao. 2. obſ. 73. Cent. 9. p. 131.* Saluiam, praeſentiſſimum ictus aranearum, et ſymptomatum huic ſuccedentium, antidotum eſſe, docent *A. N. C. Dec. 1. ao. 8. obſ. 35.*

gnum cremaſſe araneum, nigrum, idque incautius, hauſto uero noxio halitu, mox perturbatum fuiſſe, ut in deliquium caderet, anxietate circa praecordia ingenti et pulſu debiliſſimo. Nec mirum eſt, araneos tam eſſe uiroſos, cum nihil niſi alia animalia, quibus acris pariter ſanguis eſt, in ſui alimentum adſumant, muſcas uidelicet omnis generis, uel etiam ſuae ſpeciei animalia, quae comprehendere et retibus ſuis intricare potuerunt. Ex animalium autem partibus et ſanguine obſonatis ſemper acris redditur ſanguis.

Thes. 39. Mira certe araneum inter et bufonem eſt antipathia, plurium experimento comprobata, quo ſcilicet araneus in conſpectum hoſtem per filum ſuum deſcendit, ictuque uiroſo inflicto exanimat; quaerente tamen, ut aiunt, rubeta, in plantagine herba, huius ueneni antidotum, ut ex nobili matrona, Domina de Rommerswale refert HELMONTIVS, *de Tumulo peſt.* quam uidiſſe talem pugnam bufonis cum araneo, perque plantaginem curati, ſcribit. Ex inuncta quoque pice moritur bufo. Vid. *Sim.* PAVLLI, *Digreſſ. de Febr. Malign. ſſ. 21. 30. et 50.* et PAVLLINI, *Bufo Sect. 1. cap. 3. ſſ. 24. et 27.* Fortaſſis, quod pix tracheas quasdam, iuxta tot ſibi per uniuerſum inſectorum dorſum, inimitabili Creatoris artificio coniuncta corcula, et aeris captandi ſpiracula, in tergo obturet, ut in bombyce,

byce, ex obſeruatione Malpighiana, obtinet, aliisque quibúsdam reptilibus oleo perunctis, ut hoc ipſum iam ſuo tempore indigitat ARISTOTELES, *Hiſt. Animal. lib. 8. cap. 32.* et PLINIVS, *H. N. lib. II. cap. 19. et 53.* Conf. WILLIS, *de Anim. Brut. part. I. c. 3. p. m. 34.* Eſſe etiam ſummam antipathiam ſerpentem inter et araneum (*y*), PLINIVS ſcribit, *lib. 10. cap. 74.* inquiens: *Librat araneus ſe filo in caput ſerpentis porrectae ſub umbra arboris ſuae, tantaque ui morſu cerebrum adprehendit, ut ſtridens ſubinde ac uertigine rotata, ne filum quidem deſuper pendens rumpere, adeo non fugere queat; nec finis ante mortem eſt.* Sed haec obiter.

Theſ. 40. Quod *Tarantulam*, ſeu *Phalangium*, attinet, *Rutelam Veſpalem* alias dictam, Tarentinis Apuliae campis peſtem notiſſimam, animalculum eſt ex araneorum genere, aſſultim octonis pedibus ingrediens, octonoculum, telisque duobus, forcipum inſtar humatarum, cum duabus antennis, in fronte munitum, pi-

N loſum,

(*y*) Non antipathia ſolum inter araneum, bufonem et ſerpentem, de qua uberius egerunt CASP. a REIES, *lib. cit. quaeſt. 96. no. 10.* et ERASMVS, *Dialogo de amicitia p. 626. et ſequ.* Sed inter araneum quoque et bombycem, cuius exemplum et explicationem *A. N. C. Dec. 1. Ao. 1. obſ. 121.* deprehendimus, uiget.

loſum, coloris diuerſi, (uid. PLINIVS, *lib.* 21. *cap.* 31.) tactu noxium, et aeſtiuo tempore diebusque canicularibus maxime pernicioſum, feruentiſſimis ſolis radiis, occoepta putrefactione quadam interna, et quaſi febre cauſone, eius humores ita exaltantibus et reddentibus acres, ut, non aliter ac canes, feles, lupique, agatur in rabiem, mirabilique tremoris artificio muſicos numeros, et ſingulas tactuum battulas pedunculorum ſubſultu imitetur. z) Venire hanc humorum

z) De Tarantulis, earumque ueneno, et ueneni effectu, cum multa falſa et fabuloſa paſſim tradantur, illud tamen certum eſt, atque ab omnibus illis, qui in Apulia fuerunt, et ipſa animalcula, aegrosque ipſos, oculis uſurparunt, confirmatur, quod tarantula, quoddam aranei ſeu phalangii genus, per morſum, quamuis leuiſſimum et pene inſenſibilem, uenenum adeo penetrans, et cerebro neruisque noxium et infenſum, inflicto inſtillet uulneri, quod uniuerſo communicatum corpori, niſi praeſentiſſimam afferamus opem, grauiſſimos excitando ſpaſmos, ac poplitum imprimis et inguinum diſtenſiones, aliaque grauiora ſymptomata, breui mortem affert. Vnde morbus, a morſu tarantulae excitatus, quem tarantiſmum dicunt, optima ſymptomatum rite ponderatorum conuenientia, ad deliria ſoporoſa, uel affectus ſoporoſos, cum delirio ſociatos, refertur; nam Tarantiſmo ſeu Tarentino correpti morbo, in profundum inci-

morum acrimoniam igneam et alkaleſcentiam

 oleo-

dentes ſomnum, morti ſimilem, uel nulla manifeſta ſuperſtitis uitae ſigna exhibent, uel incontinentia quadam et tremore artuum laborantes, motus conuulſiuos manifeſte produnt. Alii uero eorum, (quo manifeſtius perſpicias, unius eiusdemque ueneni operationem, haud unam eandemque, in omnibus peraeque ſubiectis, eodem infectis, eſſe,) ad mare excurrentes, ſe ſe totos aquis obruendo, ardoris, quo affliguntur, quaerunt leuamen, alii foueis excauatis, capite duntaxat ſupereminente, ſe aquis immergunt, alii aliis modis inſanae documenta mentis exhibentes, alto demum opprimuntur ſopore, a quo, nonniſi per accommodatum ac ſufficientem inſtrumentorum muſicorum concentum, quicquid etiam de terra Melitenſi, tarantulae morſibus oppoſita, dicat Bartholinvs, *Cent. 1. Ep. 53.* liberari poſſunt. Sono quippe, eoque accommodato et ſufficienti, aegroti excitati ad ſaltus et choreas adiguntur, quo per ſudorem, affatim profluentem, uenenum caudicibus neruoſis impactum, uel exterminatur plenarie, uel ſaltem minuitur, aut magna ex parte uis eiuſdem noxia infringitur. Ita certe, dum aegrotus in ultimo certamine conſtitutus, cum morte propemodum luctatur, luctus loco, uaria tentantur modulaminum genera, ad quorum unum, ideae menti infixae proportionatum, is, qui immotus, mortuoque ſimilis, lecto affixus detineba-

oleoſam, ex nimio in Apulia coeli feruore, nul-
lum

tur, grato inſtrumentorum muſicorum concen-tu, multiplicatis per aerem repercuſſionibus, reſonante, ueluti e ueterno ac lethifero torpore excitatus, incipit tandem languida membra aliquantulum mouere, deinde extendere brachia, moxque iactare, et poſtea, ſono continuato, atque aucto, uiribus paululum redeuntibus, ſedere in lecto, ac torquendo collum, et nictando, haud obſcura delectationis, quam ex muſicorum inſtrumentorum concentu percipit, indicia praebere, donec tandem citharoedis aut aliis muſicis alacrius perſonantibus, ſeſe in pedes erigens in choreas diſſoluitur, tanta continuatas uehementia, ut, ſudore per omnia membra diffluente, omnibus exhauſtus uiribus, omnique ſolutus tono, paralytici inſtar, in terram concidat, ac hac methodo, per ſufficientem, qui ſuccedit, ſomnum, recreatus, priſtinam recuperet ſanitatem, atque ab omni, quod iam aderat, immunis incommodo, uiuat. Redire tamen etiam ſolet malum, ueneno non radicaliter et perfecte eliminato, et hinc fabulae origo accerſenda, qua perhibetur, quod a phalangio demorſis tam diu ſit ſaltandum, quamdiu ipſum animalculum uiuens, eodem correptum fuerit affectu, quod pluribus explicauimus, et refutauimus, *Toxicol. noſtrae lib. 1. §. 23. p. 22. et ſequ.* Hoc praeſertim, in methodo medendi, qua, ad aegrotos tarantiſmo affectos curandos, utimur, maxima

lum eſt dubium. Et obſeruauit celeberrimus

dignum attentione, quod, ſi citharoedus, aut alius muſicus, uel parum muſici agitationem inſtrumenti intermittat, uel ab artis regulis, in mouendo inſtrumento, aberret, illico uehementer aegrotus conuulſionibus tentatus excrucietur ac torqueatur, ac ſi ſtatim deleteria ueneni per totum corpus diffuſi uis denuo praedominium obtineret. Quibus merito addendum, quod huiusmodi aegroti non uno eodemque inſtrumento muſico, nec uno eodemque ſono, ſonique gradu, commoueantur, alleuentur, curenrur. Scribunt enim Tarento, ſunt KIRCHERI uerba, ibi puellam fuiſſe, tarantiſmo affectam, quae nullis aliis inſtrumentis ad ſaltandum commoueri compellique poterat, praeterquam ſtrepitu tympanorum, exploſione bombardarum, clangore tubarum, ſimilibusque inſtrumentis, uehementem ſonum excitantibus. De his plura inuenies *A. N. C. Dec. 1. Ao. 10. obſ. 116.* BARTHOLINO, *Cent. 6. obſ. 35.* ATHANASIO KIRCHERO, *Phonurg. Part. 2. lib. 2. cap. 4. p. 144.* BAGLIVIO, *Tract. de Tarantula, a capite 1. usque ad 10.* HAFENREFFERO, *Noſodochio, de Cut. affect. lib. 3. c. 12. p. 475.* PANAROLO, *Obſeru. med. pentecoſt. 5. obſ. 44.* SENNERTO, *lib. 1. Prax. Part. 2. c. 17.* STEGHIO, *Med. Pract. lib. 7. cap. 21.* ACTVARIO, *Method. med. lib. 6. cap. 11. p. 313.* GREMBSIO, *arbor. integr. et ruin. l. 2. de ruinoſo hominis ſtatu, cap. 1. p. 190.*

BAGLIVIVS, *de Tarant. cap. 1.* ex eadem cauſa in ipſis Apuliae incolis aduſtum temperamentum, nigros capillos, ſubfuſcum uel ſubpallidum colorem, maciem, impatientiam, quod uulgo *Ignem*, Noſtris *Eld*, appellamus, inſomnia, iracundiam, mentis acumem, et corporis agilitatem.

Theſ. 41. Si forte aliquem momorderit haec beſtiola, ſtupor inſignis in demorſo loco ſuboritur, uulnuſculum circulo liuido, ſubflauo aut atro notatur tumore, dolore ſubſequente. Adſunt mox rigor, horror, uomitus, uentriculi dolor, tumor, anxietas, febris, ſtranguria, tenſio uirgae et pectinis, moeſtitia, reſpiratio difficilis, nigredo faciei, ſopor, ſudores tandem frigidi, et mors. In quibusdam uigiliae, in aliis ſomnus, hos melancholia, moeſtitia, et ſilentium, alios cachexia atque atrophia uexat, illos riſus, loquendi aut ſaltandi deſiderium corripit: prout ueneno huic corporis quaedam praediſpoſitio ſeſe adiunxerit. Videantur de his plura apud ATHANASIVM KIRCHERVM, *de Art. Magnet.* et BAGLIVIVM, oculatum Tarantulae uiuae et Tarantiſmi teſtem, *Tract. de Tarant. cap. 1. 3. 5. 6. 9. et 10.* Namque et ipſe plurimas Indicas et Italas uidi, ſed mortuas, quin et gryſeum aliquando et piloſum araneum in patria urbe, et quidem parentum uilla, ubi in hortulo legens, ex terra et fundamento uicini parietis pro-

prorepentem uidi, A. 1692. Sed in noſtro frigido Septentrione non puto uenenatos admodum, niſi aeſtus fuerit aliquando immodicus. Num uero Tarantula primum apparuerit Ao. 1540. Sub Paulo Tertio Pontifice, ut uult HELMONTIVS, *de Tumul. Peſt.* hoc eſt, quod ualde dubito, cum NICANDER, uetus Poeta et Medicus, multus ſit ſuo iam tempore in deſcriptione Phalangiorum.

Theſ. 42. Et eſt certe hic Tarantulae morbus, ut ſupra tetigi, Cauſonis Hippocratici quaedam ſpecies, abeuntibus ex nimio Apulii aeris feruore liquidiſſimis ſanguinis partibus, remanente uero craſſiori, et coeunte iam ſanguine, qui haerendo putreſcit, et alkaleſcit, inque acredinem uertitur ualde pernicioſam et contagioſam. Sic apud HIPPOCRATEM, *Epid. lib. 3. Sect. 2. aegr. 8. et Sect. 3. aegr. 3.* adoleſcens ex laſſitudine et laboribus, ac curſibus inſolitis, febri corripitur ardente. Sic Cauſon ortus legitur ex longo itinere, et diu tolerata ſiti. *De Vict. Rat. in acut. no. 34.* Conf. *de Affect. n. 10. de Intern. Affect. n. 8. 44. 53. de Morb. lib. 2. n. 63. lib. 3. n. 7.* Porro, ſi borealis autumnus, et ſiccus, et neque ſub cane, neque ſub arcturo, pluuiae, bilioſis nocet; exſiccantur enim, et fiunt febres acutae, liquidiſſimis abeuntibus, relictis denſis, et acribus, ut aurea eiusdem eſt obſeruatio, *Lib. d. Aere Loc. et Aqu. n. 28.* Nihilque aliud eſt Cauſon, ex de-

ſcriptione Hippocratica, quam quidem Pulmonia ſeu Peripneumonia et ſtrangulatio craſſi ſanguinis per pulmonum exiliſſimos canales.

Theſ. 43. Cuius generis aegritudines per homines quam ſaepiſſime graſſantur, ex nimio coeli aeſtu exuſtos, et quotannis in Italia et Hiſpania contingere, exercituum ſtrages, etiam hoc noſtro tempore, docuerunt. Hinc etiam *Suetonius Paullinus*, memorante TACITO, *Hiſt. lib.* 2. *cap.* 32. Ottoni Caeſari proelium cum Vitello diſſuadens, *Germanos, tracto in aeſtatem bello, fluxis corporibus, mutationem ſoli coelique haud toleraturos*, pronunciauit. Quo pertinent lacera corpora, trunci artus, putres uirorum equorumque formae, infecta tabo humus. Talis peſtis ex calore nimio corripere et ſegetes ſolet, annonaeque caritatem inducere, ut cum NASONE, *lib.* 5. *Metamorphoſ.* loquar.

primis ſegetes moriuntur in herbis,
Et modo ſol nimius, nimius modo corripit imber,
Sidera nunc uentique nocent, auidaeque uolucres
Semina iacta legunt; lolium, tribulique fatigant
Tritaceas meſſes, et inexpugnabile Gramen.

Quod gramen non male a Noſtris *Quicka* dicitur, quod ſemper uireat, nec facile extirpari

ri poſſit. Sed ad rem. Vetus fuit obſeruatio, nec HIPPOCRATI, *de Diaet. n. 3.* intacta, ulcera aeſtate facta latius ſerpere, et eſſe peiora. Sic quoque idem ex uehementiori labore, carnes exſiccari, calefieri, dolere, horrere et febrire dicit, *de diaet. lib. 2. n. 47.* Hinc quoque, *lib. 6. Epidem. Sect. 6.* monet, labores, cibos, ſomnos, res uenereas, omnia debere eſſe mediocria. Et in ſiccitatibus febres acutae fiunt, iuxta eundem, *Aphorism. 7. lib. 3.* Hinc etiam Ericus Veſſsbery, Smalandia Tinſtenſis Nauta, Ao. 1709. menſe Auguſto, uir triginta annorum, triſtis, cum ad pagum Hyttylenſem inſulae Bicerkae, iuxta littus arenoſum in magno ſolis ardore dormiſſet, expergefactus furere incoepit, ita ut ab aliis contineretur, dicens: in ſilua prope ſtare pulcram foeminam, quae ſe expectaret, et ad quam ſummo niſu properabat, ſed fruſtra. Vocatus ergo ex Noſocomio Sarinpeenſi, quod prope erat, mox uenam ipſi aperiri feci, dedique in potu ſpiritum uitrioli, putans eſſe Cauſonem, ardore ſolis excitatum; paucisque diebus ſanus fuit. Vno uerbo dicam: Tarantulae morſus, et omnia uenena animalium, inducunt melancholiam, id eſt, humores immeabiles. Ex ſanguinis enim libero per corpus itu redituque laetitia ortum trahit.

Theſ. 44. In Hungaria quoque aduenae ſub diebus canicularibus multoties eiusmodi febri

corripiuntur, dicta *Hungarica*, poſtquam uino Hungarico, praecipue Tokayenſi, ſe ſe liberalius ingurgitauerint, accedente calore ualido ſolis aeſtiui diurni, et aeſtuante intra uiſcera generoſiſſimo uino, unde facile fluidiſſima et maxime diſſipabilia continuis riuulis exhalant, relicta maſſa craſſiori, ſtagnante iam, atque immeabili facta, quae non difficulter putrilaginem atque acredinem arripit alkalinam, per contagia ſeſe propagantem, praeſertim, cum ad hanc computreſcentiam ineundam in iſtis terris ingens aeſtus multum contribuat, noctibus rigido frigore horrentibus ſuccedens, mediaque luce campos arenarios corporaque adurens. Nec alienus multum ab hoc cogitato SYNAPIVS eſt, homo Hungarus et ipſe, *Paradox. Med. Part.* 2. *cap.* 5. Quin et ipſi Hungari ex calore climatis et alimentorum, ſunt fuſca facie, nigris capillis, iracundi, macilenti, impatientes, inſtabiles.

Theſ. 45. Initium autem cepit haec *Hungarica Febris* ſub Imperatore Germanorum Maximiliano Secundo, aduerſus Solymannum Turcam expeditionem mouente, exercitumque adorta, per reuertentem militem, ingenti clade Auſtriam, Bohemiam, Germaniam, Belgium, Italiamque affecit. Coepit Ao. 1566. caſtris ad Coniaram, magis uero ad Iauarinum. Praeceſſit rigor, horror, ſequebatur aeſtus ingens, dolor capitis, cardialgia grauis dolentiſſima, ſitis

tis inexplebilis, deliria, lingua torrida, labia fiſſa, ſputum ſanguinis, exacerbatio ueſpertina, ſphaceli pedum mortiferi, bubones, et frequentes ſalutaresque parotides, maculae purpureae, liuidae, nigrae, lethales. Nulla conceptae lui res peſtilentior, quam quidem uinum. Vulgaris tamen inualuit opinio, ex eſu ſemicrudarum carnium ortam fuiſſe. Aeris conſtitutio uernalis erat pluuioſa, adeo, ut flumina, Danubius, Sauus, Drauusque, ruptis marginibus, littora tranſcenderent. Aeſtas ſicca. Autumnus ſerenus, ſicciſſimus. Annonae caritas. Piſces abunde edebantur ex torrefacto Danubio. Vina recentia et turbida hauriebantur. Fructus horaei copioſe deuorabantur. Prout haec prolixe deſcribit doctiſſimus THOMAS IORDANVS, qui caſtrenſem tum temporis agebat Medicum, *de Phaenom. Peſt. Tr. I. c. 19.* uir ſane per omnia candidus. Atque haec peſtis, non ſecus ac illa LVCRETIO, *Lib. 6. de Nat. rer.* deſcripta,

funeſtos reddidit agros,
Vaſtauitque uias: exhauſit ciuibus urbem.
Inde cateruatim morbo, mortique dabantur;
Quorum ſi quis (ut eſt) uitabat funera lethi,
Viſceribus tetris, et nigra proluuie alui,
Poſterius tamen hunc tabes lethumque manebant.

Atque talis tempeſtas, quamuis multo calidior, in Iaua, orientalis Indiae inſula, eſt, poſt ſe trahens,

hens multos periculoſos morbos, ubi pluuia a Nouembri in Maium usque decidit, ſuccedente a Maio in Nouembrem diurno calore, ſed uehementiſſimo frigore nocturno, prout BONTIVS, *de Medic. Indor. lib. 2. Dialog. 1.* meminit.

Theſ. 46. Sed, ut incoeptum orationis filum de uenenis animalium percurram, non ſolum enumerata iam modo mala ex tam leui punctura, puſillique adeo ueneni inſpiratu praeſto ſunt, ſed epilepſiam quoque, ex aranei morſu, SALMVTHVS, *Cent. 3. obſ. 35.* obſeruauit. De ueſparum et crabronum ictu, et inde ſecutis malis, pleni ſunt Medicorum libri, plena exemplorum et uetus et recentior aetas. (*a*) Talia

a) A ueſpae punctura inflammationem, gangraenam, ulcus, animi deliquium, et alia plura mala, producta fuiſſe, FABRICIVS HILDANVS, *Obſeruat. Cent. 4. obſ. 77. 78. 79. et 80. Cent. 6. obſ. 87. et 88. atque A. N. C. Cent. I. p. 135.* teſtantur. Grauiora adhuc ſymptomata, et mortem ipſam, ex ueſpae ictu, in coriario aduerti, qui hinc inflammatione brachii affectus, conſulens carnificem, applicato, quod acceperat, unguento pingui et ſebaceo, altero die, ex ſphacelo, qui hanc methodum medendi ſequebatur, obiit. Puncturae ueſparum, et incommodis hinc enatis, ſaliuam, tanquam praeſentiſſimam antidotum, mederi, *A. N. C. Dec. 1. ao. 8. obſ. 35. p. 204.* perhibent.

lia et ego exempla plurima uidi, et me ipſo comprobaui. Itemque ex *Apibus* ſilueſtribus maioribus, a quorum punctura tota pars, imo ſaepe totum corpus intumeſcit atque inflammatur, cum febri et ſiti ualidiſſima. Memini, me, cum puer eſſem, atque una cum aliis eiusdem aetatis ſub radice arboris ueteranae, mella apum ibi depoſita ſtuderem eripere, ab api grandiore, in mala dextra tam malo afflictum uulnere, ut tota mihi facies enormiter intumeſceret, ſuccedente febre et ſiti uehementi. Ideoque qui eiusmodi inhiant dapibus, faciem et manus contra ingruentia tela, antequam rapinae ſe committunt, armare ſolent. Et certe non ſolum ſilueſtres, ſed etiam germanae et domeſticae apes, cum ob laeſa ex canduerint hoſpitia, ſaepe tam acre per locum compunctum uirus inſpirant, ut inflammatio, gangraena, et mors inde ſequatur, ut exempla uidi in canibus, gallinis, gallopauis, et equo, per apes occiſis, in Flaminia Sodertelgenſi, Ao. 1711. menſe Iunio, atque eodem menſe ad acidulam Wiksbergenſem horrenda exempla, morte tamen depulſa. Bene itaque MARO, *lib. 4. Georg.* de Apibus

Illis ira modum ſupra eſt, laeſaeque uenenum
Morſibus inſpirant, et ſpicula coeca relinquunt,
Affixae uenis, animasque in uulnere ponunt. (b)

Theſ.

b) Apum ictus morſusque inflammationi, gangrae-

Theſ. 47. Praeterea COELIVS AVRELIANVS, Siccenſis Afer, *de Acut. Morb. lib.* 3. *cap.* 9. ſimilem in ſartrice pauxilli ueneni uim refert, *quae, cum, chlamidem ſciſſam rabidis morſibus, ſarciendam ſumeret, atque ore ſtamina componeret, et lingua, pannorum ſuturas lamberet aſſuendo, quo tranſitum acus faceret faciliorem, tertia die in rabiem uertitur.* Et notiſſima res eſt de Tridente Baldo I. C. famigeratiſſimo, qui, quarto, poſt acceptum a catello melitaeo minutiſſimum uulnuſculum in labiis menſe, hydrophobus periit. Pariter Alexander Braſca ex nouiſſimo catelli oſculo, antequam emitteret ſuffocandum, hydrophobus factus et mortuus, referente CARDANO, *Contr. Med. lib.* 2. *Tr.* 5. *contr.* 10. (c) Nec eſt,

nae, et aliis affectibus, anſam dediſſe, docent hiſtoriae, quas ZACVTVS LVSITANVS, *Prax. admir. lib.* 3. *obſ.* 83. et *A. N. C. Dec.* 1. *Ao.* 8. *obſ.* 67. *et Dec.* 3. *ao.* 7. *obſ.* 194. annotarunt. Cinere apum, demorſae parti applicato, profligata fuiſſe, quae ictus excitauit, incommoda, refert ZACVTVS LVSITANVS, *Med. Princip. Hiſt. lib.* 5. *hiſt.* 10. *p.* 835.

c) Leuiorem etiam morſum canis non rabidi, ualde pernicioſum fuiſſe, confirmant *A. N. C. Dec.* 3. *ao.* 9. *obſ.* 3. De epidemico canum morbo lege pariter *A. N. C. Dec.* 3. *ao.* 5. 6. *obſ.* 169. Hiſtoria uero SALMVTHI, *Cent.* 2. *obſ.* 83. narrantis,

eſt, ut in antiquis exemplis longius eamus, habemus hodierna et noſtro etiam tempore obſeruata, praeter cetera uero illud, quod Ao. 1706 Lugduni Batauorum in platea *Papengracht*, nobiliſſimo cuidam uiro contigit, qui a catello melitenſi, quo cum ludebat, leuiter in extremo digiti perſtrictus, nihilque tam paruum uulnuſculum curans, paulo poſt in atrociſſimos capitis dolores, et reliquam hydrophobicorum ſymptomatum cateruam, uigilias ſcilicet, triſtitiam, ſomnia mala, hominum fugam, lucisque terrorem, raucedinem, ſitim, urinae retentionem, inquietem, febrim cum rubore faciei, aquae potusque et cibi fugam, incidit. Cura tamen Medicorum ſerpere longius in latratum et mordendi deſiderium morbus prohibitus eſt; peſte interim illa poſtmodum per liberos, ancillas, et auiculas in cauea ſaginandas, perrepente, quae fortaſſis ſaliuam catelli abliguriuerant, contagiumque in ſuarum dapium comesſatores transmiſerant.

Theſ. 48. Vt uero de Tarantulino Veneno concludam, ex ſpirituoſo et alkalino oleoſo acri, uirus illud dependere concipio; quod immiſſum uulnuſculo facto, exigua licet quantitate, ſanguini non ſolum, ſed et ipſis ſolidis gangraenam inurit, et, ſi Bagliuianae obſeruationi, *de*

Ta-

quod ex canis rabioſi ſaliua, in ueſte relicta, catelli generati fuerint, anilibus annumeranda fabulis.

Tarant. cap. 8. et 10. ſtandum ſit, grumeſcere facit ſanguinem, forte per exiliſſima ſpicula, ut ſuperius a me ſuppoſitum erat, per globulos ſanguineos traiecta, ſero tamen per hoc uirus peſſime mulctato, abeuntibus in lateralia, atque in auras, omnium liquidiſſimis partibus, ex continuo ueneni acris in ſolida ſtimulo, reliquis denſe coeuntibus. Quin et in cuniculo per hoc uenenum demortuo, ſanguis per cor et pulmones ater et coagulatus inuentus eſt, certo experimento alkalia oleoſa animalium uenena cogere ſanguinem, inque omnibus mortuis talem reperiri, ſed non ſtatim.

Theſ. 49. Et, ſi inuenerit in corpore laeſi eandem uenarum omnium neruorumque tenſionem, quoad Laxum et Strictum, ac fuit in Rabida Tarantula, easdem Tarantati imitantur actiones, non ſecus ac Organo Muſico in Octaua uel Quinta pulſato, chordae eiusdem toni tenſionisque in eadem Octaua uel Quinta ſimiliter per aliud inſtrumentum decurrunt. Quod quilibet in ſe ad conuenientis Muſicae ſtrepitum experitur, blando primum horrore uel rigore per cutim oberrante, maiori deinde in actiones modulaminis auditi aemulas ſubſultu corporis ſubſequente; in quam rem uideri poteſt elegans liber uiri elegantiſſimi IOANNIS ALPHONSI BORELLI, *de Vi percuſſionis*, Praeterquam, quod uideamus, ſcyphum uitreum, ad conſonum ſibi et certum humanae uocis ſonum, primo tremiſcere, dein clangere, et

et denique diſrumpi, ut Cl. MORHOFIVS, peculiari tractatu deſcripſit. Pariter hoc ipſum ualet in illis, qui a cane, fele, lupo, equo, uel alia beſtia rabida, mordentur.

Theſ. 50. Hunc harmonicum numerorum muſicorum concentum, primus omnium, memorante MACROBIO, *Comment. in Somnium Scipion. lib. 2. cap. 1.* Pythagoras, Graecae gentis, Demarati negotiatoris filius, mente concepit, audito forte ſono fabrorum, ignitum ferrum, ictibus certo ſibi ſono reſpondentibus, mollientium. Hanc autem grauitatem, acumini conſonantem, ferientium uiribus adſcribendam primo, putans, iuſſit, ut inter ſe malleolos mutarent; ſed ſonorum diuerſitas, malleos, non homines, ſequebatur. Hinc dependere hoc diſcriminis ex ponderum uarietate animaduertens, concordiamque ſoni, a ponderum lege prouenire, collectis numeris, quibus conſentiens ſibi diuerſitas ponderum continebatur, ex malleis ad fides uertit examen, ouiumque inteſtina, aut boum neruos, tam uariis alligatos ponderibus, quot in malleis deprehenderat, tetendit, idemque concentus ipſi obſeruatus eſt, adiecta dulcedine, quae a fidibus, non malleis, expectari potuit. Atque per hoc artificium ingenioſus Pythagoras numeros adinuenit, ex quibus ſoni ſibi per omnia ſimiles et conſoni elicerentur, ita, ut, fidibus ſub hac numerorum obſeruatione compoſitis, certis certis, aliisque aliis conuenientium ſibi numerorum pari con-

cordia extenſis, una impulſa plectro, alia licet longe poſita, ſed numero ſimilis, ſimul ſonaret, et uibraretur. Qualem quoque orbium coeleſtium eſſe concentum, interuallis imparibus coniunctorum, ſed tamen rata portione diſtinctorum, ex motu et impulſu ipſorum orbium confectum, acutis cum grauibus bene temperatis, credidere multi ex ueteribus, atque ad horum orbium normam doctos homines neruis imitatos eſſe ac cantibus, ut in Scipionis ſomnio commeminit CICERO, Romanae Parens Eloquentiae.

Theſ. 51. Huc quoque pertinent *Spiritus*, dicti *Alkalini*, ex partibus animalium, ope ignis, prolecti, ex urina, ex ſanguine, ex cornibus, oſſibus, pilis, aliisque, qui ſanguineae maſſae conſuetum neceſſariumque tenorem et fluxibilitatem impediunt, eam reddendo craſſiorem, mechanica a me ſuperius indigitata, ut experimenta uaria docuerunt, ſuper ſanguinem, ſerum eius, bilemue inſtituta, alkalicis primo illa liquidiſſime reſoluentibus, quia et ipſa ſunt leuiſſima, et leuiſſime, ut extra corpus, ipſis adplicata, poſtmodum uero coagulantibus, et praeſertim intra corpus, ubi, tum a uaſis, tanquam tot gladiis, uentilantur. Et praeterea mortes funeſtiſſimae ipſorum uirus, ubi in febribus ardentiſſimis, per ſe ſatis alkaleſcentibus, acria talia et cauſtica fuerunt exhibita, ſatis docuerunt. Nec putandum eſt, hoſce ſpiritus uolatiles et igneos fluidis tantum noſtris inſidiari,

ſed

ſed ipſa adoriri ſolida uaſorum, ipſisque gangraenas et ſphacelos imprimere, ut quiuis uel inde poterit diſcere, quod partibus externis uiuis cum aliquo emplaſtico et uiſcido impoſiti, uirtutem ſuam cum inflammatione et uulnere, partiumque gangraena, non ſegniter prodant. Bene ergo CARDANVS, *de Venen. lib. 1. c. 4. Omnem Subſtantiam admodum ſubtilem, eſſe Venenum*, dixit. *d*)

d) Volatilia, per ſe non ſunt uenena, ſed abuſu in uenena degenerant, quod innumeris, quae quotidie occurrunt, exemplis, confirmatur; in more quippe noſtris eſt poſitum, neſcio, quo occoecatis praeiudicio, ſpiritum cornu cerui, ſpiritum bezoardicum Buſſii, et alia remedia alcalia et ſulphurea, ſanguinem depurandi, liberum eius progreſſum conſeruandi, uiſcera confortandi ſcopo, adhibere, non perpendentibus, quae ſit humorum, quae ſolidorum conſtitutio, unde frequentiſſime contingit, ut ſanitatis loco, de cuius defenſione ſolliciti erant, morbos diuerſos, continuas praeſertim febres, ſibi accerſant. Quo certiora uero detrimenti, quod uolatilia alcalina excitant, documenta, in ſubiectis ſiccioribus, bilioſis et plethoricis, deprehendimus, eo magis eadem in febribus acutis, inflammatoriis, exanthematicis; allegatae homines naturae afficientibus, euitare decet. Damnanda hinc plane eorum methodus medendi, ac temerarium conſilium, qui in cura uariolarum, morbillorum,

Theſ. 52. Claudet uenenorum ex animalibus deſumtorum claſſem *Potatio Lactis ſuper Vinum.* Vnde prouerbium eſt Belgarum ſatis tritum:

Melk op Wyn, is loos Venyn;
Wyn op Melk, Venyn voor elk. e)

Quae

---

purpurae, petechiarum, etc. citata iam alcalia uolatilia, cor roborandi, atque exanthemata expellendi fine, ſub titulo familiari: *Hertzverwahrender und das giftige Frieſel von dem Hertzen treibender ſpirituum*, praeſcribunt, et commendant. Nonne his remediis augetur materia peccans? nonne eadem nouum ſali alcalino, in ſanguine huiusmodi aegrotorum iam praedominanti, fomitem praebent, eiusque acrimoniam exaſperando, ſolidorum in fluida actionem, fluidorumque attritum, et his conceptum aeſtum, intendunt, et ſecretionibus magis magisque turbatis, antiqua ſymptomata nouis cumulando, grauiora reddunt?

e) Hoc illis dictum ſit, qui infuſo Coffeae et Theae una cum lacte utentes, uſui illius mox hauſti, hauſtum ſpiritus uini, uel uini, ſub conſueta formula, *man muß ein Glas Schnaps oder Wein drauf ſetzen*, adiungunt. Nam, uti extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, quod et ſpiritu uini, et uino ipſo, lacti additis, coagulum caſeoſum producatur, ita ipſe euentus, grauioribus, quae lacticiniorum et ſpirituoſorum abuſui ſuccedebant, ſymptomatibus, idem abun-

Quae quidem, quo ſenſu accipienda ſint, non
O 3 adeo

de confirmauit; accumulata quippe, in uentriculo, uniuerſoque alimentorum canale, maſſa uiſcida, negotium chylificationis peruertitur, et, tum chyli defectus, tum corrupta eiusdem indoles, non plures modo in primis uiis infirmitates, ſed hinc etiam, labefactato bono ſanguinis, et uiſcerum, per quae perpetuo ſanguis tranſire debet circulo, ſtatu, omnis generis febres, quartanae imprimis, partium nobiliorum obſtructiones, icterus, hydrops, uita miſera, mors lenta, producuntur. Lac igitur, cum ALDROVANDO, *cap. ultimo de lacte bubulo*, dico, non Lyaeo de iecore eſt abluendum, ſed liquidis argenteisque nymphis, ſi quis diu frui uelit dextera ualetudine, uti pluribus rationibus, experimentis, atque exemplis, idem demonſtrarunt PRIMEROSIVS, *de Error. Vulgi lib. 3. cap. 11.* FORESTVS, *lib. 18. obſ. 13.* GVIL. INSVLANVS, *lib. de rat. uictus ſalub. cap. 38.* AVICENNA, *lib. 1. fen. 3. doct.* 2. *cap.* 7. Quomodo uero HIPPOCRATIS ſententia, qui, *lib.* 2. *Epidem Sect. 5. text. 9. et eodem libro, Sect. 6. text. 19. et lib. 7. text. 81. lac* et uinum, aequali datum quantitate, ad os capitis fractum conſolidandum, et inteſtina laeſa ſananda, commendauit, explicanda ſit, diſce ex MERCVRIALI, *Comment. in Hippocratis aphoriſmos, Sect.* 7. *aph* 57. RHODIGINO, *Var. Lect. lib. 28. cap. 37.* CASP. *a* REIES, *lib. cit. qu. 94. a p. 703. ad 705.*

adeo primo intuitu liquet. Verum quidem illud eſt, lac uino mox ſuperingeſtum, aceſcere, et coagulari in duritiem ualde notabilem, idemque fieri phaenomenon, ſi lacti comeſto uinum modo ſuperbibatur, adeoque rem eodem recidere, et alterum quaſi alteri dicterium contradicere. Re tamen penitius penſitata, adparet, uinum lacti ſuperpotatum non poſſe nocere, ſi id non ſtatim, ſed poſtquam lac iam adeo per uentriculi, diaphragmatis, et muſculorum abdominis actionem, conquaſſatum fuit et reſolutum, ut amplius coire nequeat, ſuperpotetur. Multos quidem noui, qui per talem diaetae errorem colicos paſſi ſunt dolores, cito tamen euaneſcentes, uel ope narcotici medicaminis, uel et ambulatione forti in ſudorem usque protracta.

CAPVT QVINTVM.

De Peſtilentis Genio Veneni explicando in ſpecie eſt occupatum.

Theſ. 1. Nunc uenio ad nobiliſſimum argumentum, tot clariſſimorum uirorum exagitatum diſputationibus, *de Virulentia Peſtilentiali*, tam mirabili malo, et intra breuius tempus, uel millena hominum trucidante millia, quam quis, etiam inſigniter eruditus, de illa ueri aliquid pronunciare, uel inuenire, ualeat. Quid autem mihi de hoc ueneno dicendum erit?

erit? Certe, ſi in ullo alio morbo, ex Pandorae pixide depromto, τὸ θεῖον Hippocratis, in prognoſticorum ueſtibulo memoratum, hic regnat; non quidem per θεῖον, ſulphur intelligendo, ſed abditum quid, abſtruſum, atque admirandum principium. Atque LVDOVICVS DVRETVS, optimus Hippocratis Commentator, περὶ τῦ θείȣ Hippocratis, ſic optime ſcribit, *in Coacas Praenotiones Commentario. Morbi omnes, aut ab iis, quae extra ſunt, aut quae intra inutilia, noſcuntur. Quae duae cauſae ſunt* τῦ θείȣ, *quod in quibusque morbis accurate diſcendum, et praeuidendum, praecepit Hippocrates, non admirandum, ut neoterici quidam conſuerunt. Nibil enim minus eſt Philoſophi, quam admirari, atque in admiratione conſeneſcere.*

Theſ. 2. Qui ergo Peſtilentiam, eiusque cauſas, ortum et progreſſum deſcribere conſtituit, primum nouiſſe debet annorum praecedentium rationem, uentorum atque aquarum naturam, tum ſitum loci, terrae indolem, hominumque diaetam, ex optimo monito HIPPOCRATIS, *de Aer. Aqu. et Loc. n.* 1. 3. Tum fontium ortus, ſiue ex locis metalliferis atque inſalubribus, ſiue ſalubribus fuerint. Febres autem communes ſaepiſſime ex aeris ſordidi influentia fiunt, ut idem inculcat HIPPOCRATES, *de Flat. n.* 6. *et* 7. Itaque non male idem Medicorum Praeceptor, *lib.* 2. *de Nat. Hum.* morbos uel a ui-

ctu fieri, aſſerit, uel a ſpiritu, id eſt aere, quem reſpiramus communiter. Hinc morbi uel planetae et ſporades ex priori cauſa, ex poſteriori, epidemici et populares, quos intra Peſtis; quanquam ipſa ſubſtantia aeris nunquam peccet, ſed ab admixtis acribus, foetidis, craſſis, aliisque particulis, ſuam indolem mutuetur. Et extant exempla *in libris Epidemiorum* HIPPOCRATIS, tertioque aphoriſmorum, quales conſtitutiones anni fuerint Caronone, Thaſo, Abderisque, et qui exinde facti ſint morbi.

Theſ. 3. Ex his enim adcurate obſeruatis medicus praedicere ſemper poteſt, hoc uel illud morbi genus exoriturum; uerbi gratia, ſi alternis diebus modo pluuius, modo ſerenus ſit aer; aut ſudum ſit diurnum, pluuium uero nocturnum coelum; aut diuerſis diei horis modo imbres, nebulaeque, modo ſe aliquantiſper ſol, mundi noſtri oculus, proripiat, mox uero ſe ſubducat, uel, ſi interdiu calor ſit ingens, noctu uero ingens frigus, praeſagire poſſumus peſtem capitalem, praeſertim in locis calidioribus, ubi hoc malo ſaepius infeſtantur. Vel, ſi hyems ſit pluuia, uer uero ſubſequens frigidum et ſiccum, aeſtas calida, aeſtuans, certo certius ingruet Peſtis. Hoc factum eſt in Suecia noſtra ab Ao. 1700. ad 1709. ita, ut tuſſes, anginae, pleuritides et peripneumoniae graſſatae ſint epidemicae, relinquentes uel repentinam, uel certam in phtiſi mortem. Praeſertim uero A. 1710. totus autumnus erat pluuius, procelloſus

ex

ex uento ſubſolano, quod Peſti tum temporis graſſanti per aliquot Patriae loca non leue addidit incrementum, nauesque bellicas, in quibus agebam medicum, contrario ſemper flumine, per morbos, aquae, alimentorumque inopiam, grauiter afflixit. Nullum frigus, nobis conſuetum, ſed tepidus aer, ſpiſſus, leuisque, ea quoque hiemis tempeſtate, ubi raro deſiderari gelu ſolet. Maior uero uiciſſitudo caloris et frigoris non erat, quam menſe Decembri, ubi uentus quolibet fere nycthemero totum Compaſſum oberraret.

Theſ. 4. Prognoſtica porro uenturae peſtilentiae ſigna ſunt, quando inſectorum innumerabilis exoritur numerus; aues endemiae fugiunt, uel moriuntur, praeſertim paſſeres, exquiſitiſſimi ſenſus uolucres; quando aquaticae aues loca habitata deſerunt, puriores quaeritant aquas; piſces moriuntur, et emergunt; imo, quando ipſae plantae a natiua bonitate, naturali odore et ſapore differunt, uel aegritudinem concipiunt, putredineque, gangraena, ſyderatione, et rubigine, ſeu ſphacelo corripiuntur, et fatiſcunt. Quin et ſaepe animantia ſubterranea, glires, talpae, mures, taxi, ſerpentes, aliaque antris ſuis egreſſa, in agros ſeſe effundunt cum damno. Annonae inſuper penuria, unde adagium Graecorum: *λοιμὸς μετὰ λιμὸν*, alimentorum aeri expoſitorum facilis corruptela atque inſuauitas, aquarum graueolentia, ſitus domorum, abortus praegnantium. Nam, quae de

Cometis, et terrae motibus dicuntur, magnam partem uana ſunt, quamuis terra ex tremore dehiſcens, ſaepe noxios halitus emittat.

Theſ. 5. Aerem uero ipſum eſſe infectum ſemine Peſtifero, quidam ſic probatum eunt, ut per noctem in aperto ponant aere, uitrum aqua, uino, uel lacte plenum; ſi de mane hi liquores diuerſis ſcateant coloribus, uel pellicula obducti fuerint, impurum eſſe aerem, pronunciant. Alii panem recentem ſub diuo collocant, qui, ſi mucidus apparuerit, uel et luteus aut uiridеſcens, uenenum aeri ineſſe, putatur, praeſertim, ſi canibus proiectus, mortem adferat. Rurſus alii ex fumo accenſi Pyrii pulueris non in altum penetrantis iudicant. Sed, ſicut priora experimenta, aliquid heterogenei adeſſe aeri, probant, ita hoc ſolummodo eundem grauitate peccare, et humeſcere, indicat. Antediluianas et poſtdiluuianas peſtes usque ad Moſis tempora, tacent alte ſcriptores; fuiſſe tamen aliquas, credibile, cum cauſae tum morales, tum naturales, eaedem tunc temporis ac nunc, extiterint, ſcelera ſcilicet hominum, et aer contagio aliquo labefactatus, quod eius naturam peruerteret, acria immiſcendo, uel grauia, uel nimis tenuia. Tres autem memorantur Peſtes in ſacris (*f*) maxime

f) Plures omnino, quam tres peſtes, in ſacro notatae codice, occurrunt; nam, ut taceam, peſtem, Iſraelitis per ſerpentes infeſtam, ac contagioſam, cuius *Numer. cap.* 21. fit mentio, ita

me ſtupendae, et cauſas maxime morales agnoſcentes, miraculoſasque, licet, non negauerim, naturales omnino praeueniri a moralibus. Primam nobis MOYSES deſcribit, *Ex. 9.3.* Pharaoni Aegyptio immiſſam, quae primo agros et beſtias uaſtauit, deinde in omnes primogenitos irrepſit, clade fatali. Alteram Philiſtaeis accidiſſe, ob Arcae detentionem *Reg. 1. cap. 5.* (g) deſcribitur. Tertium Angelus Domini, tempore Dauidis Regis, ob numeratum exercitum incuſſit, *Reg. lib. 2. cap. 24. et 1. Paralipom. 21.* per quam, a Dan usque ad Berſebam, ſeptuaginta mil.

praeſertim hoc paucis attingere decet, quod ab auctore noſtro omiſſa ſit peſtis Aſſyria, ſub Senacheribo graſſans, quae *Eſaiae cap. 10. uerſ. 16. et ſequ. cap. 37. lib. 2. Regum. cap. 19. uerſ. 35. usque ad finem,* citatur. Praeterea notatu digna ſunt exempla peſtis, quae in hiſtoria eccleſiaſtica annotata extant, peſtis nempe Hieroſolymitana, ſub ultimum excidium, Hieroſolymae orta, quam deſcripſit IOSEPHVS, *lib. 6. de Bello Iudaico, cap. 14.* Huius quoque loci eſt, peſtis Alexandrina, ab EVSEBIO, *lib. 7. cap. 17.* commemorata. Quibus iungenda peſtis Antiochena, quae per longius temporis ſpatium ſaeuiens, longe lateque propagata, magnam hominum ſtragem edidit, uti EVAGRIO teſte, *lib. 3. cap. 28.* cognoſcimus.

g) Hoc, quem auctor noſter citat, libro, librique capite, nulla plane ullius peſtis ſit mentio, ſed *libro 1. Samuelis, cap. 5. uerſ. 9.*

millia hominum periere breuiſſimo temporis interuallo. Et uel innumerae Graecis, Romanis, Perſis, ac Aegyptiis factae ſunt Peſtes, ab auctoribus paſſim memoratae. Maxime tamen memorabilis fuit Athenienſis, quam THVCIDIDES deſcripſit. Et ſane, quae omni fere tempore, et uariis ſub Imperatoribus, Regibus, Pontificibusque Romanis contigere, ſingulari ſtudio et cura, ac chronologica methodo collegit uir ſane doctiſſimus et laborioſiſſimus KIRCHERVS, in calce ſcrutinii ſui Peſtilentis.

Theſ. 6. Et, ſi unquam in ulla Peſte τὸ Θεῖον regnauit Hippocraticum, certe hoc fuit in Peſtilentia Athenienſi, iam modo nominata, cui interfuit THVCYDIDES, belli dux, ut ipſe ſcribit, *Lib. 2. Bell. Peloponeſ.* Incoepit autem ex Aethiopia, deſcendit in Aegyptum, et Libyam, ac mare praeteruecta, in Graeciam et Athenas miſerabili malo irrepſit; principio in Piraeo, ſeu ciuitate inferiori, facto, tanta uis morbi, ut aues auolarent, funerum numerus quotidie multiplicaretur, quibuſdam deciderent artus, et pudendae partes, nonnullos linqueret animus, alii uero prae deſperatione ſe in puteos praecipitarent. *b*) Alii neque ſe ipſos, neque propinquos ſuos, poſtquam conualuiſſent, agno-

b) Ad haec alludens LVCRETIVS, ſequenti carmine, *lib. 6. de Natura Rerum*, omnia optime expreſſit: multi praecipites limphis putealibus alte in fluuios partim gelidos ardentia morbo membra dabant, nudum iacientes corpus in undas.

agnouerunt. Aues carniuorae, quas cadauerum deliciae inuitare ſolent, foetore ſunt abactae. Nec ulla arte tolli hoc malum potuit, neque ſupplicationibus ad Deorum templa extingui, Medicis omnibus morbo imparibus. In Graecia uero coepit hoc uirulentiae peſtilentis genus bello Peloponeſiaco, cui dux erat *Archidamus*, Zeuxidami filius, Rex Lacedaemoniorum. Sed forte non iniucunda erit huius Peſtis adcurata deſcriptio iucundiſſimi poetae NASONIS, *lib. 7. Metamorph.* ex Graecis et Lucretio ſua deſumentis, ubi Aeacus Cephalo Athenienſi memoriam priorum enarrans Athenis hominum, ſic infit:

Dira lues populis ira Iunonis iniquae
Incidit, exoſae dictas in pellice terras.
Dum uiſum eſt mortale malum, tantaeque latebat
Cauſa nocens cladis, pugnatum eſt arte medendi.
Exitium ſuperabat opem, quae uicta iacebat.
Principio coelum ſpiſſa caligine terras
Preſſit, ut ignauos incluſit nubibus aeſtus.
Dumque quater plenis expleuit cornibus orbem,
Lethiferis calidi ſpirarunt aeſtibus auſtri.
Strage canum primo, uolucrumque, ouiumque, boumque,
Inque feris ſubiti deprenſa potentia morbi eſt.

Con-

Concidere, infelix, ualidos, miratur arator,
Inter opus tauros, medioque recumbere ſulco.
Lanigeris gregibus, balatus dantibus aegros,
Sponte ſua lanaeque cadunt et corpora tabent.
Acer equus quondam, magnaeque in puluere famae,
Degenerat, palmae ueterumque oblitus honorum,
Ad praeſepe gemit morbo moriturus inerti.
Non aper iraſci meminit, nec fidere curſu
Cerua, nec armentis incurrere fortibus urſi.
Omnia languor habet: ſiluis, agrisque, uiisque
Corpora foeda iacent, uitiantur odoribus aurae.
Mira loquar: non illa canes, auidaeque uolucres,
Non cani tetigere lupi; dilapſa liqueſcunt,
Afflatuque nocent, et angunt contagia late.
Peruenit ad miſeros damno grauiore colonos
Peſtis, et in magnae dominatur moenibus urbis.
Viſcera torrentur primo, flammaeque latentis
Indicium rubor eſt, et ductus anhelitus igni.
Aſpera lingua tumet, tepidisque arentia uenis.

Ora

Ora patent, auraeque graues captantur biatu.
Non ſtratum, non ulla pati uelamina poſſunt,
Tantaque ſunt miſeris inuiſi taedia lecti
Proſiliunt, aut ſi probibent conſiſtere uires,
Corpora deuoluunt in bumum, fugiuntque penates,
Quisque ſuos, ſua cuique domus funeſta uidetur.
Adſpiceres flentes alios, terraque iacentes,
Laſſaque uerſantes ſupremo lumina motu,
Membraque pendentis tendunt ad limina coeli,
Hic, illic, ubi mors deprenderat, exbalantes.

Pulcrius rem diram et tabificam genuino uerborum colore quis exprimeret? Referri quoque ad talem Peſtem, *Meridiana* illa, in Sacris *Pſalmo 91.* memorata, *i*) forte poteſt, ſub intenſiſſimo

i) *Citato pſalmo uerſ. 3.* peſtis laqueus aucupis, hoc eſt, diaboli, uocatur, quia aucupis inſtar, filiis Dei inſidiatur. Nullibi uero, in tota ſacra ſcriptura, extat plenior, et illuſtrior peſtis deſcriptio, quam *pſalmo 38.* ibi enim, dum Rex et Propheta, *uerſ. 4. et 8.* carnis et oſſium, *uerſ. 6.* putredinis, tumicum, *uerſ. 8.* iliorum, *uerſ. 11.* palpitationis cordis et exhauſtarum uirium, meminit, cauſam morbi, malique, quo affligebatur, naturam, clariſſime nobis ſiſtit depictam. Dehinc idem ulterius, *eodem pſalmo, uerſ. 12.* ſe ab

ſiſſimo diei calore graſſata; quamuis alii ad daemonium quoddam, tunc temporis oberrans, relatam uolunt. Hinc quoque Roma uetus, quod ſita eſſet in loco, uiciſſitudini caloris et frigoris, auſtroque uento quotidie obnoxio, pluries peſtilentiam et quotannis fere paſſa eſt, donec Pontificum cura ſitus urbis aliquantum mutaretur. Sic Peſtis Londinenſis, quam *Hippocrates Anglicus*, SYDENHAM, deſcripſit, unius ſeptimanae decurſu, Ao. 1666. octo plus minus hominum millia deleuit, *Obſeruat. Med. circa Acut. Morb. Sect. 2. cap. 1.* Et Neapolitana, Ao. 1656. graſſata, forte non mitior Athenienſi, quae intra ſemeſtris temporis curriculum, trecenta fere hominum millia ſuſtulit. Romam quoque irrepſit, ſed Pontificis ſanctitatem et pietatem, ut uult KIRCHERVS, reuerita, mitius egit; Genuam uero miſerrime adflixit.

Theſ. 7. Contingit tamen interdum, Peſtem, quae ante multos annos graſſata deſierat, iterum reſurgere, et reſumtis uiribus, truculentius agere. Talis mihi uidetur ſemper fundari in putredine aliqua alkalina, alicui rei per tempus et morbi ſilentium incluſa. Variae autem ſunt res, in quibus diu ſatis deliteſcere poteſt contagium peſtilens, quod per ſe uolatile, ut dixi, putrefactiuum, uiſcido cuidam immixtum eſt, et ſaponem conſtituit gelatinoſum. Refert CAR-

amicis deſeri, eos e longinquo contagium reformidantes, abeſſe, acerbe queritur.

CARDANVS, *de Venen. lib. 1. cap. 9.* Peſtem Galeni tempore ortam, quae ferme tertiam totius humani generis partem abſumſit, initium duxiſſe ab arcula aurea templo Apollinis, Seleuciae urbis in Babylonia, conſecrata, quam milites Anidii Caſſii, ob auaritiam, aperuerant, exiſtimantes, pretioſum aliquid in ea reperiri. Sic in linteis delituiſſe contagionem legimus, et chordis ueſpillonum, tum ueſte pellicea Venetiis aliquando. Sic refert ALEXANDER BENEDICTVS, uir ſane doctiſſimus, *de febr. Peſtilent. cap. 3.* culcitram, per ſeptem annos abſconditam, peſtiferam fuiſſe, dum diſcuteretur. Et SENNERTVS, *lib. 4. de Febr. cap. 3.* de Peſte narrat Vratislauienſi, in plicatura linteaminis per quatuordecim annos haerente, quod explicatum uiciniam infecerit. Et AMMIANVS MARCELLINVS, *lib. 23. cap. 7. p. m. 303.* Marci Veri Caeſaris aetate, poſt direptum Seleuciae urbis templum, et Apollinis ſimulacrum Romam delatum, Anidii Caſſii milites, narrat, anguſtum quoddam inueniſſe foramen, quo aperto, grauiſſimus eruperit ſpiritus, ex quo Peſtis ſit exorta. Ipſa haec erat Peſtis Galenica, Cardano aliter relata; AMMIANVS enim, ab ipſis Perſarum finibus ad uſque Rhenum et Gallias, cuncta contagiis et mortibus polluta fuiſſe, narrat. Et habet FORESTVS, *lib. 6. obſ. 22.* exemplum in araneorum telis diu conſeruatae

peſtis. DIEMERBROECKIVS porro, qui Peſti Nouiomagenſi medicinam fecerat, *lib. 4. de Peſt.* refert, de Pharmacopola eiuſdem urbis, qui ſtramen ſub grabato, in quo famulus decubuerat ante octo menſes, pede remouit, et carbunculo pedis correptus eſt. Credo tamen, ſaepe contingere, arcas eiſumodi, dum reconduntur cum pannis, nihil ueneni continere peſtilentis; temporis uero tractu, occoepta putrefactione, apertas, nocere. Adeſt enim hic compreſſio, et ſaepe humiditas, et ſi ſuperuenerit calor, omnia requiſita putrefactionis ineundae. Proinde omnia ueſtimenta, diu in clauſo conſeruata loco, putrent foetentque, ut notiſſimum eſt. k) *Theſ.*

k) Diuerſiſſimam eſſe peſtis originem, eamque a contrariis plane cauſis, quae alias opem in peſtis medela praeſtitere, frequenter generari, innumerae, quae apud diuerſos auctores relatae leguntur, hiſtoriae, confirmant. Peſtem ex foetore ſanguinis et contagio cadaueris ortam, allegat ZACVTVS LVSITANVS, *Prax. Admir. lib. 3. obſ. 43. et 44.* cum tamen peſtis, foetidis et putridis odoribus mitigatae, curatae, exempla afferat CASP. *a* REIES, *lib. cit. qu. 66.* Peſte infectus fuit aegrotus apud GABELHOVERVM, ex inurbana ſalutatione et porrectione manus, *Cent. 5. cur. 73.* cum Iuſtus Ionas, cepam buboni peſtilenti impoſitam, uti refert GARMANNVS, *lib. 2. tit. 2. §. 44.* ſine noxa comederit. Peſtis cum nube cadentis hiſtoriam habet Bo-

Theſ. 8. Sed, in deſignanda peſtilentis mali natura, diuerſiſſimas et Proteo magis uariatas inuenis auctorum ſententias. Et, cum Peſtis ſub uaria ſymptomatum forma ludat, eandem ſemper agnoſcere cauſam nequit, ac proinde omnes illae tam differentes opiniones poſſunt eſſe uerae, non quidem ad uniuerſalem, ut ſibi tamen multi perſuadent, ſed ad particularem Peſtem conſtituendam. Ergo Medicus, in una Peſtis cauſa cognita, acquieſcere non debet, ſed omnes pro uirili ſibi habere cognitiſſimas, et ex affectuum diuerſitate, diuerſum quoque morbo ſerpenti opponere remedium, Medici pulcro indignus nomine, ſi ſecus fecerit. Fuere itaque nonnulli, ut communiſſimam et uulgarem cauſam primo loco ponam, qui Peſtem a certo ſtellarum poſitu repeterent; alii a Cometis. Quod mihi uidetur, plebeculae quidem rudi erudita eſſe ignorantia, et breuiſſimo temporis interuallo perdiſcendum myſterium;

 quam

RELLVS, *Cent. 1. obſ. 21.* Peſtis contagium fumo diſperſum et propagatum fuiſſe, teſtantur, *A. N. C. Dec. 3. ao 5. 6. obſ. 196.* SALMVTHVS, *Cent. 3. obſ. 57.* cum alias hic ſuffumigia ſint maxime proficua. Ita plures obſeruationes peſtis ex metu et terrore, ex ſola imaginatione, ex comeſto maslach, ex aquae purae potu, ortae, ſuppeditant, HOECHSTETERVS, *Dec. 7. c. 1. et 2. p. 47. et ſequ.* GABELHOVERVS, *Cent. 5. cur. 71. et cur. 100. A. N. C. Cent. 7. p. 131.*

quamuis non negauerim, uarium planetarum in noſtro hoc mundo poſitum, oppoſitiones, et coniunctiones, aerem, quem reſpiramus, uarie mutare, hunc uero noſtra non ſolum corpora, ſed et aliorum, ipſaque uegetabilia inſigniter adficere, prout quotidiana cuiuſuis experientia non ſolum in ſuo corpore, ſed et in adſumendis cibis, clariſſime teſtatur.

Theſ. 9. Aliam longe uiam, in aetiologia mali epidemici conſignanda, ingreſſus eſt ATHANASIVS KIRCHERVS, *Scrutin. Peſt. Sect. 1. cap. 7. 8. et Sect. 2. cap. 4.* operoſe ualens demonſtrare, aerem peſtiferum, innumeris, atomorum inſtar, uermiculis ſcatere, qui per poros cutis hominis intrent, ibique luctuoſam hanc tragoediam peragant. Quod ex uermibus quibusdam, in uentriculis peſtifera lue Viennenſi Ao. 1679. correptorum, inuentis, eiectisque per uomitum in peſte Nouiomagenſi, oculato teſte DIEMERBROECKIO, *l. 4. hiſt. 48. 52. et 70.* probatum eunt huius ſententiae patroni. Conf. FORESTVS, *lib. 21. obſ. 26. in Schol.* PETRVS *a* CASTRO, uir doctiſſimus, *Febr. Malign. Punctic. S. 9. ſſ. 12. et Comment. Hiſt. de Peſte Rom. Neapol. et Ianuenſ. p. m. 71. et* VELSCHIVS, *Hecatoſt. 2. obſ. 59.* Ita tamen, ut idem PETRVS *a* CASTRO, *p. 27.* peſtilens uenenum, ut omnes cauſas conciperet, napelleas, arſenicales, uiperinas, ſepticas, ac tabificas qualitates in ſe con-

continere, putet. Nec alienus a KIRCHERI ſententia eſt, qui uermium omnium hiſtoriam, et in homine naſcendi rationes, ex uariorum auctorum obſeruationibus, collegit atque illuarauit, uir clariſſimus, NICOLAVS ANDRY, Medicus Pariſienſis, *De la Generation des Vers dans les corps de l' Homme Ch. 3. Art. 1. p. m. 41. et 53. Ch. 4. art. 1. p. 112.* Quin et ipſe, Ao. 1710. in noſocomio Birkenſi, Peſte graſſante, quinque nautas uidi uomere uermes ruffos, candidosque, alios per anum quam plurimos, eiicere, ex quibus tamen unus mortuus eſt.

Theſ. 10. Deferri per aera tales minutiſſimorum uermiculorum greges, nullus dubito, poſſeque iſtos inſpiratione in pulmonem attractos, eundem erodere, ſibique in ipſam ſanguinis maſſam uiam facere. Praeſertim uero ad paludes aer eiusmodi minutis animalibus inquinatur, quae per nares facile hauriuntur, obſeruante hoc ſuo iam tum tempore curioſo naturae ſpectatore, VARRONE, *lib. 1. de Re Ruſt.* Ex FORESTO quoque, *Obſ. in Schol. lib. 9.* conſtat, Peſtem Beneuentanam, ex uermiculis rubellis in capite enatis, exortam, ſoloque uino maluatico curabilem fuiſſe. Prorſus, ut appoſite PLINIVS, *lib. 26. cap. 13. naſcuntur in ſanguine hominis animantia exeſura corpus.* Vaſtitatem quoque terris induxiſſe leguntur uermiculi, et per uarias in Belgio obſeruationes patuit, certos et peculiares ex paludibus

 uentos,

uentos, uernali praeſertim tempore, deportare ſecum myriades eiuſmodi inſectorum, quae arborum floribus et foliis, utpote uiſcidis, illapſi, omnia deuorant, ſtragemque edunt magnam fructuum horaeorum; prout hoc ipſe etiam Lugduni Batauorum uidiſſe, Ao 1707. non ſine hortulanorum damno, me memini, proprioque didici periculo, Ao. 1718. in hortulo meo geniali et culinari ad templum S. Clarae, ſuburbii borealis, ſpirante per totum uer, ex uicino Melero lacu, uento fauonio, uermiculis deinde arborum folia omnia et flores ſtrenue depaſtis. Et ſicut locuſtae iam maturae multoties ex Africa in Hiſpaniam per uentum ſunt delatae, ſegetibus et pratis in damnum memorabile, ſicut Ao. 1709. contigit; ita quoque credibile, uermiculos albos, Ao. 1713. locuſtarum progeniem, in prouincia Galliae, ad littus repertos, et poſtea ſatis clades, uento illuc fuiſſe delatos.

Theſ. 11. Verum equidem eſt, nec ab ullo negandum, quod omnem fere putrefactionem innumeri uermiculorum, et nudo et armato oculo conſpiciendorum, exercitus, ſequantur, non tamen, ut Cl. WILLIS putat, *de Ferment. cap. 8. p. m. 51.* ex principiis quibusdam actiuis, ſale uidelicet et ſulphure, confertim erumpentibus, ſed ſuis ex ſeminiis, oriundi; quodque tales uermiculi, in uariis producti corporis regionibus, plurimas ſaepe, non ad hoc interdum attendentibus Medicis, ac funeſtas aegritu-

tudines, febres uidelicet acutas, deliria, epilepſiam, lienteriam, bulimum, et reliqua id genus mala, concitent. Atque porro per hoſce uermiculos, poſſe aliquando epidemicum fieri et peſtilentem morbum, inficias eundum non eſt; ſed, quod Peſtis omnis, ex ſola atque una hac, et non ab aliis cauſis, ut KIRCHERVS uoluit, ortus ſui principia trahat, hoc eſt, quod minime adfirmandum puto.

Theſ. 12. Cum aerem unum eundemque trahimus omnes in eodem loco, non male ergo ab HIPPOCRATE pro communiſſima cauſſa habitus eſt, *de Nat. A. n. 18.* ſua quidem ipſe ſubſtantia non peccans, ſed admixtis; quod triplici fit modo, uel admiſtione nimis leuium, uel nimis grauium, uel acrium. Ergo, dum aer nimium tenuis eſt, ſaepe Peſtis oritur, magnam ſtragem hominum, animaliumque poſt ſe trahens, quod ſaepe obſeruaui tempore aeſtiuali, quando aer rarefit. Cauſa autem mali inde eſt, quod, exiſtente aere tenui et rarefacto, nulla adeſt res, pulmonem comprimens, fluidasque et ſolidas in eo partes iuſto aequilibrio compenſans; unde uaſa pulmonis, nullo reſiſtente externo, per elaſticitatem ſuam tument, attolluntur, tandemque rumpuntur, et moritur animal citiſſime, cum uertigine et protuberantia oculorum, ob denegatum per pulmones circulum, et lingua exerta. Vulgus animalia faſcinata eſſe dicit, pilasque magicas, noſtris *Finne-Tyrer* adſumſiſſe, de quibus plura alibi. Similiter

liter aliquando fit in balneis calidioribus. Sic Fauſta, Conſtantini Magni Imperatoris uxor, in balneo ſicco, uehementius calefacto, obiit. Et ſub multitudine ueſtimentorum moriebatur Mithridates,et coniux eius,ut narrat TACITVS, *lib. 12. Annal. cap. 47.* Sic Domitius Nero, Imperator, repudiata Octauia, coniuge, inque Pandateriam Inſulam relegata, adſumſit Poppaeam; Octauiamque uinculis reſtringi curauit, uenasque eius per omnes artus exſolui. Sed, quia preſſus pauore ſanguis tardius labebatur, praeferuidi balnei uapore eam enecari iuſſit. Atque haec erat Octauia, de qua in tormentis ancilla, inſtanti Tigellino, profeſſa eſt, *caſtiora eſſe muliebria Octauiae, quam os eius*, ut idem TACITVS, *lib. 14. cap. 60. 63. et 64.* meminit. Et Annaeus Seneca, exſolutis per percuſſores a Nerone miſſos ferro brachiis, ſanguineque, quoniam ſenile corpus paruo uictu tenuaſſet, lentis effugiis exeunte, hauſtoque Athenienſium, per Statium Annaeum Medicum ſibi dato, fruſtra ueneno, frigidis iam artubus, et clauſo corpore aduerſus uim ueneni, nec fluorem ſanguini ſtagno calidae aquae, quod introierat, conciliante, balneo illatus, uapore eius exanimatus eſt, auctore eodem TACITO, *lib. 15. cap. 63. et 64.* Hannibal porro, Carthaginenſium Induperator, Nucerinos hortatu ſuo, cum binis ueſtimentis urbem, inexpugnabilibus muris cinctam, egreſſos uapore et fumo balneorum ſtrangula-

gulauit, teſte VALERIO MAXIMO, *Memorab. Exempl. lib. 9. cap. 6.*

Theſ. 13. Debet enim aequalis eſſe reſiſtentia aeris externi cum elaſticitate pulmonis eiuſque partium omnium, et uice uerſa, quo motu bene et reciproce peracto, hominis ſanitas celebratur, quantum ex hac cauſa dependet. Etenim ex aere conuenienter craſſo et tenui, reſpiratio fit facilis, et ſanguis, nouusque cum ſanguine allapſus chylus, adhuc craſſus atque immeabilis, magis magisque conteritur, conquaſſatur, urgetur, dimouetur, atque in circulum propellitur. Quod contra fit, aere peccante. Sic, in calida aeris temperie, uidemus, omnes corporis noſtri partes tumere, uenasque grandeſcere, et ſtillicidium fieri narium, ipſorumque ſaepe pulmonum. Pariter brachium in antlia Boyleana poſitum, exſucto aere, tumeſcit, et dolore corripitur uehementiſſimo, quia deficit aequipollens aeris preſſio. Simili modo ſe res habet in altiſſimis montibus, ibi enim difficillima et ſuffocans eſt reſpiratio, ut de Olympo, Graeciae monte, ARISTOTELES, et IOSEPHVS *a* COSTA, de Peruanis iugis, meminerunt. Obſeruatumque eſt, aerem multo leuiorem eſſe, in montium iugis, quam in eorundem radice, grauioremque in intima Palatiorum parte, quam in ſuprema, ut Barometra docuerunt. Et urinatores, aere nimis calido et tenui facto, ſub aquis uiuere nequeunt, niſi refrigerio donentur. Omnesque partes ceteris magis in nobis calidae minus reſiſtunt: qui effectus ſae-

pe per balneationes quaeritur, ut minuta, per aquam calentem, in iſto loco, reſiſtentia, morbifica materia illuc deferatur. Quod magnum momentum habet aliquando in Medicina. Quo pariter artificio uitam ſibi tollunt illi, qui uoluntario niſu ſpiritum tam diu comprimunt, donec ex leuitate aeris in pectore contenti, nec exitum ſibi inuenientis, moriantur. Qua uſus eſt aſtutia Coma, Siculus praedo, ſibique, tum ad Rupilium conſulem perductus eſſet, ſpiritum ademit. Igitur *torqueant ſe miſeri, quibus extingui, quam ſupereſſe, utilius eſt, trepido et anxio conſilio, quanam ratione uita exeant, quaerentes; ferrum acuant, uenena temperent, laqueos adprehendant, uaſtas altitudines circumſpiciant, tamquam magno adparatu, aut exquiſita molitione opus ſit, ut corporis atque animi infirmo uinculo cohaerens ſocietas dirimatur. Nihil horum Coma, ſed intra pectus incluſa anima finem ſui reperit,* uerba ſunt VALERII MAXIMI, *Memorab. Exempl. lib. 9. c. 12.* Et SENECA pulcre, *Conſolat. ad Marciam, cap. 11. Nunquid enim, ut concidat res, magni molimenti eſt? Odor illi, ſaporque, et laſſitudo, et uigilia, et humor, et cibus, et ſine quibus uiuere non poteſt, mortifera ſunt.*

Theſ. 14. Hoc erat de aere, nimis tenui, et ſic peſtilenti. Peccat etiam idem aer Grauitate quadam

quadam, ſibi immixta, agitque in pulmones maiori uehementia, quam quidem elaſticitas eorundem, teneraque textura tolerat. Vnde pariter ſanguis, et fluida per pulmones fluxura, ibidem ſtagnant, et tuſſiculae, dyſpnoeae, aſthmata, et tandem febres pulmonales, hectica *l*) uide-

l) Hectica febris, uario, tum ab antiquis, tum recentioribus, accipitur ſenſu; hectica aliis febrem ſympathicam, aliis idiopathicam, notat; ita hecticae pulmonalis, hepaticae, etc. *Acta Vlmenſium Medicorum*, faciunt mentionem; multis uero hectica eſt febris lenta, continua, idiopathica, quae, uiſceribus integris, ex ſicciori et acriori ſolidorum fluidorumque conſtitutione, cauſis ſimilibus externis aucta, magisque corrupta, ortum trahens, pulſu dignoſcitur debili et frequenti, caloreque praeſicco, ſqualido et perenni, ſine dolore, miti admodum attactu primo, diutius autem protracto, acri ac mordaci, et conſtanter aequali, nec niſi hora una uel altera a cibo ſumto increſcente, peracta uero chyli elaboratione, ſecretione ac diſtributione, ad priſtinam aequalitatem redeunte, quem paulatim extenuatio corporis atque ariditas cutis, cum urina oleoſa, telisque ueluti aranearum referta, diarrhoea ſymptomatica, ſudore colliquatiuo, ac demum extrema macies, ſummaque uirium proſtratio, cum facie Hippocratica, maior magisque moleſtus aeſtus, cum leui delirio, morsque ipſa, ſequuntur. Quemadmodum uero non-

uidelicet, peripneumonia, et pleuritis, oboriuntur.

---

nulli recentiorum medicorum, febrem lentam tabificam cum hectica, et hinc idiopathicam cum ſympathica, confundunt, uti pluribus iam indicaui ac demonſtraui, *Medicinae theoretico-practicae cap. 5. a §. 43. ad. 48. p. 137. et 138.* Quibus illuſtrandis ſeruiunt ea, quae RVYSCHIVS, *Aduerſ. Anat. Dec. 2. obſ. 5. p. 14. et 15.* BENEDICTVS, *Theatr. tabid. exerc. 22.* HAMILTON, *lib. de Prax. Regul. p. 6. et 7.* afferunt exempla. Nam, hectica maximam partem iis infeſta eſt ſubiectis, quae aridiori magisque oſcillante ſolidorum conſtitutione, ac bilioſa et acriori ſanguinis dyſcraſia praedita, nullo praegreſſo morbo, nulla praeſente uiſcerum exulceratione, ſcirrho, aut alia labe, in eandem, per aeris nimium feruorem et ſiccitatem, aut eiusdem generis uictum potumque, aut remedia uolatilia, uel peruerſum balneorum calidiorum ac thermarum uſum, aut continuum moerorem, iram, uigilias, labores, lucubrationes, meditationes, inediam, uenerem frequentiorem, incidunt. Cum igitur hecticae febris cauſa materialis in nimia fluidorum tenuitate et acrimonia, ſolidorumque ariditate, fundata ſit, omni ſtudio tempeſtiue eo annitendum, ut laeſa, quae inter ſulphureas et ſeroſas particulas, ſanguinem ſimul conſtituentes, intercedere debet, proportio, acres et nimis elaſticas moleculas acidis et gelatinoſis medicamentis temperando, et deficiens ſerum, ſufficienti aquoſo-

riuntur. Sicut hoc ſemper fieri uidemus ex tali grauitate aeris, tempore praeſertim autumnali, hiemali et uernali, nebuloſa utpote tempeſtate; unde homines adeo anguntur animi et corporis, ut ſe ſuffocari exclament. Quot homines per Peſtem ex hac ſola graueſcentis aeris cauſa perierunt, et peribunt, non facile dictu eſt. Oritur autem ſaepe in illis regionibus et urbibus, quae undique mari, lacubus, paludibusque cinguntur.

Theſ. 15. Venti tamen ſunt uel maritimi, uel mediterranei. Maritimi fere omnes uicinis regionibus inſalubres. Sed, ſi franguntur multum, antequam ad urbem aliquam perueniunt, non multum nocent. Sic Galliae maritimi et occidentales uenti ſunt inſalubres, praecipue tractui

rum uſu, reparando, ſanguinis feruorem, et impetum, nec non rareſcendi uim, attemperemus, firmiorem particularum cohaeſionem procuremus, ſolidorumque nutritioni proſpiciamus. Ex quibus nemini obſcurum eſſe poteſt, quod non ſaltem in diagnoſi, ſed in curatione etiam, febris hectica, proprie ita dicta, a febre lenta tabifica, quae uiſcerum ulcera, ſcirrhos et aliam corruptionem, ſequens, ſymptomatis habet rationem, ſit diſtinguenda. Inde, in febre lenta tabifica, magis uiſcerum labis, quam febris, rationem habere et gerere decet, quia, ſublato et perfecte extirpato morbo primario atque eſſentiali, perfacilis eſt febris lentae medela, imo eadem ſimul tollitur.

tractui Picardienſi, Normandico, Britannico, Pariſienſi, aliisque. Contra mediterranei et Orientales ſalubres. In Italia aliter ſe res habet. Sic Rotomagum, urbs eſt admodum inſalubris, quia ab auſtris maritimis et occiduis perflatur. Videſis HOLLERIVM, *Comment. in Aphor. 5. Hippocr. Sect. 3. p. m. 120.* Ego quidem in ea ſententia non ſum, quod ipſa aeris ſubſtantia ingrediatur ſanguinem, ſed dicto iam, uel leuitate, uel grauitate, peccante modo, pulmones noſtros afficere. Conf. Cl. COCKBVRN, *Oecon. Animal. p. m. 162. et ſequ.* Si enim a me adfirmaretur, illos, qui a calido et tenui aere moriuntur, ob defectum refrigerii cordis, obiiſſe, eosque, qui ex cauſa obierunt contraria, exceſſu eiusdem periiſſe refrigerii, facile inciderem in dogma tam diu iam ab eruditis exploſum et damnatum. Febres uero peſtilentes ex aere graui et frigido ſic oriri poſſe, primus demonſtrauit optimus SYDENHAM, *in ſchedula monitoria, de nouae febris ingreſſu ad Medicos Populares.*

Theſ. 16. Sed occurrit problema non inelegans, quinam, ex quatuor cardinalibus uentis, grauior ſit, quinam, leuior? Ad quod ſoluendum, Barometra in medium protrahenda ſunt, quibus oſtenditur, boreales quoscunque uentos, et coelum ſerenum, magis grauitare, quam auſtrales calidamque tempeſtatem. Mercurius enim, in barometro, flante borea, adſcendit,

dit, deſcendit contra, flante auſtro. Cauſa mihi uidetur haec eſſe, quod boreas ſecum ferat ſalia quamplurima, aeri toti immixta, humidumque omne diſperſum, unde aeris regio fit denſior; flante uero auſtro, uapores aquei et halitus in nubes et certa quaſi tabulata colliguntur, aere intermedio minus grauitante. Sed plura legi poſſunt apud clariſſimum BAGLIVIVM, *de Reſpiratione et Statica Aeris*, qui hoc ipſum perquam erudite perſequitur. Notandum tamen eſt, omnes uentos, ex terra aliqua uenientes, graues eſſe et frigidos; contra uentos ex mari flantes, calidos et leues. Atque ex hac cauſa homines, qui iuxta paludes habitant, et qui aquam ſtagnantem et putrem bibunt, non adeo ſunt longaeui, ac qui in locis editioribus aereque degunt aperto, aquasque bibunt fluuiatiles et ſinceras, Et hoc ipſum eſt, quod ſuo tempore THOMAS IORDANVS, Medicus ſane doctiſſimus, animaduertit, *de Phaenom. Peſtis Tr. 1. cap. 6.* dum ſic inquit: *Qui loca caua et paluſtria incolunt, ocyus ſeneſcunt, quam qui edita et aperta. Nam ſenectus uia ad putredinem eſt, et quicquid eo deducit, id ipſum putredinem efficit.* Et poſt pauca: *confert igitur perpetuus Euripus, iugis indefeſſaque commotio, ad rerum ab interitu naturali defenſionem, non, quod ea, quae mouentur, extra omnem putredinem poſita ſint, ſed quod illi minus ſint obnoxia iis,*

quae

quae tranquillo immotoque aere utuntur: unde colligitur, motui et agitationi tantam uim attibuendam non eſſe, ut eius beneficio a corruptione immunes res naturales reddantur. Hinc apud HIPPOCRATEM, *Epid. lib.* 2 legimus, Crononis ciuitatem, in inſula, concaua et meridionali plaga, ſitam, ab aquilonibus auerſam, et nullo, praeter auſtrum uento, perflatam, putridis morbis carbunculisque exercitam fuiſſe.

Theſ. 17. Depreſſa itaque, foetida et ſqualida loca inhabitare, per tempus calidum aeſtatis, Peſtilentiae ortum praebet ſaepe. Hinc LIVIUS, *lib. 25. cap. 26.* prodit, *peſtilentiam graſſatam in locis grauibus, ubi intoleranda uis aeſtus corpora mouit.* Et DIODORVS SICVLVS, *l. 14.* autor eſt, Peſtem Syracuſas, nobilem Siciliae tunc temporis urbem, inuaſiſſe, quod in loco cauo eſſent, altiſſimos inter muros, ubi aeſtus fuit nimius ex aere coercito et graui, palusque uicina foetorem inſpirauit. Idem ad Rauennam Italiae obſeruatum eſt, et Alexandriam Aegypti, in quam Nili aqua per alueum Caleg deriuatur, remanet, Nilo ſubſidente putreſcit, uariolasque peſtiferas introducit, referente ALPINO, *lib. 1. cap. 14.* Sed Nilus increſcens tollit uitium paludis. Vnde Peſtilentia non male ab auctoribus refertur inter cauſas migrationis gentium, in ſoli mutatione quaerentibus remedium hominibus. Et credibile

eſt,

eſt, non leuiſſimam nautis exoriri morborum cauſam, ex nautea, ſeu putridiſſima illa aqua, quae ex ſentina prorumpens, et anhelitui grauis eſt, et homines uel ſaepe ſtrangulat, praecipue inſuetos. Vnde loca, quae uentis perflantur, maxime ſalubria ſunt, niſi, uel grauitate, uel leuitate, uel acredine, peccauerint. Hinc quoque illud uulgatum eſt de regione Auſtriaca: *eſſe Auſtriam uel uentoſam, uel uenenoſam.*

Theſ. 18. Sed quam maxime refert, per quae loca uenti adferuntur. Namque nimis tenues tunc ſunt, quando aeſtus ſolis diu durauit. Graues uenti ex mari, lacubus et paludibus ueniunt, multa aqua impraegnati, de quibus iam pauca dicta ſunt. Adſciſcunt autem ſibi interdum adhuc quandam peſtilentiam et acrem qualitatem, quando ſpirant ex locis calidioribus, putredini obnoxiis; ſerpentum draconumque domiciliis; ſtagnis aquarum putridarum, uel piſcium putrefactorum; ſepulcris, cloacis; ſutrinis; caementis putrefactis; cadaueribus praelio occiſis; lanionum macellis; aceruis quisquiliarum, fimetisque. Aut, quando ex locis ueniunt, arſenicales uapores emittentibus, ſeu fodinis, qualia in Italia Hungariaque plura ſunt; ex inundationibus, limo putreſcente, ut in Aegypto fit; ex locis, ubi bruchi, bufones, aut locuſtae computruerunt; ex puteis diu clauſis; ex foueis denique ſeu ſcrobibus frumentariis diu tumulatis. Ita et dantur uenti, calidi et aeſtuantes, qui ignem multum ſecum feren-

ferentes, ſaliaue cauſtica, quicquid humidi et lubrici eſt, diſpellunt, ſanguinemque cogentes, polypos inducunt peſtilentes, et peripneumonias ex momento lethales. Talis eſt in Aſia uentus, *Samiel* dictus, qui certas peruagans plagas, tam feruens, ut mortuo exinde partes ſolidae, contactus leui negotio, decidant, prout THEVENOTVS ſcribit, *Voyag. Tom. 2. lib. 1. chap. 12.* Et forte idem innuit IOANNES ALBRECHTVS *de* MANDELSLOW, *in epiſt. ad Adamum Olearium, p. m. 3.* cum uentos feruentiſſimos, ſubtiliſſimam et penetrantiſſimam ferentes arenam, nominet in regione Aſiae, pone urbem Schiras, dulciſſimi feraciſſimam uini. Pariter IOANNES LERIVS, *Nauigat. Braſil. cap. 4. pag. 26.* refert, ſub aequinoctiali circulo decidere pluuiam tam foedam et contagioſam, ut, ſi collapſa corpus attigerit, enaſcantur puſtulae, ueſtesque maculentur. Hinc uidemus, homines, in locis calidioribus ortos, nigreſcere, et exareſcere, continuisque ſolibus exuri, quod ueteres *exaſſari ſanguinem*, dixerunt.

Theſ. 19. Aer itaque per haec loca delatus, tam acria ſibi adſociat miaſmata, ut excitet tuſſes aliis, aliis ſanguinis modici ſputum, aliis ſternutationem, quibuſdam alui fluxum, abſceſſus ſtomachi, cordis palpitationes, capitis dolores, uertigines, atque inſanias. Atque hinc armenta, tempore aeſtiuo, corripi ſolent diarrhoea ſaepius

pius lethali. Quod quidam ab herbis noxiis comeſtis deriuant; ſed ex aere calido, acri ac putrido eſt, uiſceribus putredinem inurente, atque ſic choleram inducente, uti obſeruauit in Indiis, Batauiae Hollandicae Iauanicae Archiater, IACOBVS BONTIVS, *de Med. Indor. lib. 1. de Caſſ. Solutiua.* Hinc idem, *lib. 3. c. 3.* dyſenteriam in iſtis terris plures tollere homines, ſcribit, quam ullum alium morbum. Elegans eſt locus SENECAE, N*at. Quaeſt. lib. 6. cap.* 27. *Aer ipſe*, inquit, *qui uel terrarum culpa, uel pigritia et aeterna nocte torpeſcit, grauis haurientibus eſt: uel corruptus internorum ignium uitio, cum eſt longo ſitu emiſſus, putum hunc liquidumque maculat ac polluit, inſuetumque ducentibus ſpiritum, affert noua genera morborum. Quid? quod aquae inutiles peſtilentesque in abdito latent, ut quas nunquam uſus exerceat, nunquam aura liberior uerberet. Craſſa itaque et graui caligine ſempiternaque tectae, nihil niſi peſtiferum in ſe, et corporibus noſtris contrarium habent. Aer quoque, qui admixtus eſt illis, quique inter illas paludes iacet, cum emerſit, late uitium ſuum ſpargit, et haurientes necat.* Quid nobilius in hoc argumenti genere uel dici, uel excogitari poſſit!

Theſ. 20. Equidem ſupra monitum fuit, quam neceſſarium ſit Medico epidemicum morbum

curaturo, conſtitutionem annorum praeterito-rum ſibi cognitam tenere, ſine qua rite procedere non poſſumus. Ergo, ut ipſe aliquam huius rei particulam mihi inſumerem in morbis, per Patriam popularibus, melius intelligendis, dabo exemplum ſedulae cuiuſdam in tali negotio obſeruationis. Per annum 1706. et 1707. calida tempeſtas et humida uſque in Decembrem quotannis fuit, quam excepit frigus magnum. Secuta eſt tuſſis epidemica, peripneumoniae quoque et pleuritides, in phtiſin ſaepe terminatae, quae, inſtar Peſtis, miſeram tunc et pacis commoda anhelantem Patriam uaſtabant, cum febribus et ſudoribus nocturnis colliquatiuis. In aliis deſtillationes frequentes. Praecipue uero Ao. 1708. menſe Ianuario, Februario et Martio, frigus magnum, niſi quod aliquando intermitteret parum. Menſe Aprili, tepor uernalis. Mox in Maio, Iunio, Iulioque, pluuiae continuae, intercalentibus ſolibus. Menſe Auguſto, calor ingens. Septembri, Octobri, Nouembri, mox pluuiae et imbres, mox frigus, ita ut de die aliquoties uariaret tempeſtas. Regnauere tuſſes, pulmoniae, pleuritides, rheumatiſmi epidemici, praeſertim Stockholmiae, ubi multum acris bibitur potus. Namque et ego tunc temporis ibi habitabam.

Theſ. 21. Poſtquam ſic Ao. 1708. hiems fuiſſet frigida, uer calidum, aeſtas humida, nebuloſa, calens, coepit menſe Septembri, die Michaelis, hiems inopinata, cum niuibus plurimis,

quae

quae durabant per aliquot dies, ſed mox in aquas reſolutae, per auſtrum, uulturnumque flantes. Decidebant rurſus pluuiae uſque in medium Nouembrem. Mox hiems gelida, uentus ex borea, uel coro. Die 29. Nou. nebula ſpiſſiſſima et gelidiſſima, ut fere exureret faciem et partes minus bene munitas. Tuſſes ingruebant ſiccae, continuae, peripneumoniae, grauedines diu durantes. Tempeſtas Decembris nebuloſa quotidie, intercurrentibus paucis niuibus. Ventus ex uulturno. 12. uero rurſus auſter niues reſoluit, reuertente tamen mox gelu cum grauitate aeris. Coeperunt uariolae epidemicae, quibus et obiit Sereniſſima Princeps et Holſatiae Dux, Hedewigis Sophia. Aſthmata conuulſiua, quibus obiit 16. nobiliſſimus D. D. Olauus Winge, Phyſicus Stockholmenſis. 20. nebula iterum ſpiſſiſſima, frigidiſſima, urentiſſima. Frigus in finem menſis, cum uariolis confluentibus, ſiue, quod frigus impediret ſaliuationem criticam in adultis, ſiue, quod diarrhoeam ſiſterent in infantibus, peruerſa medendi methodo, lethales quam maxime, et putredine inſigni coniunctae, ſimiles illis, quas deſcribit Cl. SYDENHAM, *de morb. Acut. Sect. 5. cap. 3.* Spiritus uitrioli potibus ad acorem inſtillatus, et paregorica ſub ueſperam data, fuere optima.

Theſ. 22. Ao. 1709. cum principio Ianuarii, eadem tempeſtas, ſed magis uariabilis, etiam de die gelu, nunc exacerbato, nunc miteſcente,

ſerena tempeſtas, ſed grauis. Aſthmata epidemica et tuſſes ſiccae. Ventus caecias, quem noſtri *Nord-Oſt* dicunt. Vis ingens hiemis, ut *Zvyder Zee* iuxta Amſtelodamum, mare Balthicum minus, mare Alandicum, conglaciarentur; idem ſtatus ad 15. Crebrae per id temporis apoplexiae, necantes ſubito, coacto per pulmones ſanguine, poſt uertiginem, et coeruleam faciem, manusque. Apoplexiam enim nominant morbum cito iugulantem, quanquam aer gelu conſtrinxerit pulmones. Sic Ao. 1693. aeſtus Romae immodicus, et 1694. frigus immodicum, apoplexias frequentes introduxit, obſeruante BAGLIVIO, *in Append. Exper. Anatom. Pract.* Nullae in id tempus niues. 15. gelu remittere, niues cadere. Ventus ex uulturno. 23. gelu remittere, niues cadere. Ventus ex uulturno. 23. gelu rediit. Ventus, ex borea, niues plurimae. 29. uentus auſtrinus, remittere gelu, niues cadere. 30. gelu maximum, boreas uehemens. 31. coras, ſed frigus idem.

Theſ. 23. Februarii 1. auſter mitis. Febres coepere catarrhales in tertianam duplicem deſinentes, cum anxietate et dolore capitis ingenti. 3. caecias niues ſecum tulit, frigus tolerabile. Per hoc tempus Sereniſſima Princeps Vdalrica Eleonora, poſt anxietates, capitis dolores, febrim tertianam, china iugulatam, incidit in febrim ſcarlatinam, cum angore, lacrimis, menſtruo. 4. auſter, nebuloſus, obſcurus. 6. boreas frigus uehemens reduxit.

xit. 11. caecias cum niuibus et gelu immodico. 12. boreas frigidiſſimus, ut de partibus nudis periculum eſſet, quin exurerentur: quod multis contigit. 13. frigus longe antecellens priorum dierum gelu, ut multi homines inde ſint mortui. 14. frigus, uentus ſubſolanus, *Sud Oſt.* 18. caecias, niues cadere, gelu modicum. 19. auſter blandus. 21. fauonius calidus. 23. caecias aſperior. 24. boreas aſperrimus usque ad 28. morbi epidemici, deſtillationes, tuſſes, uuulae tumor, febres catarrhales, cum dolore capitis, anguſtia, conuulſionibus.

Theſ. 24. Martii 4. remittere gelu, obſcura et niuoſa tempeſtas, uulturnus uentus. 5. nebula ſpiſſiſſima, peripneumoniam faciens, faciem urens. 6. boreas flare, cum frigore pertinaci inter claros Martiosque ſoles. 9. niues humidae, gelu mite. 10. niues plurimae. 11. fauonius blandiſſimus, nebuloſus. 12. boreale frigus. 13. zephyrus clarus, calens, febres intermittentes cum conuulſione ortae, praeſertim ſub horam 6. ueſpertinam, nunc per totum corpus, nunc latus alterum, maxime dextrum; paralyſis quoque linguae, dolores dentium, capitis, catarrhi, angina ſine tumore. 14. niues copioſae. 15. mitis aer, uernalis. 17. boreale ſed modicum gelu. 18. caecias cum niuibus, raucedines frequentes. 23. clarum mane et frigus. 24. nebula ſpiſſa, ſulphurea, producens aſthmata, et tuſſes ſiccas.

Corus. 25. nebula ſpiſſa, ſtrangulans, ſed mox ex ſole diſparens. Calor media die hilaris. Coepere phrenitides uernales acutiſſimae, cum capitis dolore, et tuſſi ſicca. Soluebantur nonnullis in principio fluore aluiململ bilioſo, leuante. 26. nebula cito abeuns, fauonius calens. 28. auſter nebuloſus, mitis. 29. nebula humida, in aquam ſoluta. Vlteriorem inſtituere obſeruationem non potui: ad hunc tamen modum certa tempeſtatum notitia haberi poſſet, atque inde exorituri morbi. Ipſo autem hoc die Coronas Carolinas profectus ſum, Regiae Claſſi in Ruſſos nauigaturae inſeruiturus. Quo, cum acceſſiſſem, inueni plurimam hominum partem ſcorbuto obnoxiam, multosque iam deploratos, cum nigris gingiuis, caſu dentium, maculis nigris, uel et ulceribus phagedaenis tibiarum. Vrbs, in inſula ſita, et mari undique circumfuſa, hinc gelido ſalſoque uento ſemper perflatur. Praeterea anginam epidemicam, cum tumoribus glandularum iugularium, qua et ipſe laboraui, tuſſes, deſtillationes, hecticas iugulantes, obſeruaui. Dies calidi, noctes uero frigidae.

Theſ. 25. Stockholmiam redux, Ao. 1710. ſub ineuntem Ianuarii menſem, duos reperi morbos epidemicos, ex priori hieme quaſi relictos, febrem ſcilicet purpuream, cito iugulantem, et late graſſantem, atque huic adfines uariolas peſſimi moris: tum ſcabiem quandam ulceroſam in foeminis, carpos manuum et loca, ut

dicebant,

dicebant, infra umbilicum, femora, tibiasque deturpantem, maxime uero, ſub lecti introitum, prurientem, contagioſam, ſicut et me ipſum dulciſſima coniux grauiter adfecit. Et qui hoc inquieto malo tentabantur, febrim euaſerunt epidemicam, natura per has uias critice ſibi noxium expurgante. Sed menſe Februario, febres catarrhales frequenter obſeruabantur, incipientes cum uehementi capitis dolore, anxietate, anguſtia pectoris, uomitu enormi, ſed cito, uel critice per diarrhoeam ſublatae, uel ſymptomatice per eandem lethales. Frigus modicum, uariabilis tempeſtas, uariatus uentus. Nullae uel pauciſſimae in hoc tempus niues, ſed nunc decidere. Praeterita aeſtate febres fuerunt, ut comperi, ardentiſſimae, et pluribus lethales, iis praeſertim, qui per quandam infelicitatem in medicos incidiſſent, ignem igni, alkalia alkalicis curantes. Martio menſe eaedem febres, ſed criſin magis in narium haemorrhagia quaerentes, atque hoc ſanguinis ſeroſi per arterias coagulum ostendentes. Niues paucae, frigus ualidum, uentus borealis. 14. ingens ex auſtro niuis copia, poſt uehementes flatus. Tuſſes epidemicae, deſtillationes, pleuritides. Plura obſeruare non datum eſt. namque 22. rurſus urbem reliqui, Claſſem petiturus.

Theſ. 26. Qua conſcenſa, menſe Aprilis, in plurima nautarum parte febrim ſcarlatinam obſeruaui, cum raucedine et maculis magnis, diuerſi coloris, per faciem pectusque diſperſis.

Venae ſectio hanc febrim mox iugulauit, et ſpiritus uitrioli cum laudano Sydenhamiano, quod magni facio. Sed non omnes exinde lecto affigebantur, leue malum fortiter tolerantes. Raucedo tamen diu durabat. Sub finem uero Maii, et initium Iunii menſis, ingraueſcente calore et aeſtu, epidemica febris graſſari coepit, Hungaricae dictae non abſimilis, cum horripilatione et frigore externo, calore uero interno, capitis intenſo dolore, uertigine, uomituritione, pectoris anguſtia, oculis humidis, ariditate et nigritie linguae, ſiti inexplebili, anhelitu foetido, uultu acerbo, ac debilitate, deſinens in narium haemorrhagiam, diarrhoeam, repentinum ſerens contagium, et mortes, cum gangraena et ſphacelo partium a corde remotarum, tumore anginoſo, ueſiculis carbunculisque per pomum Adami diſperſis, frequentiſſimas inducens. Vel et critice ſoluebatur per bubones gutturales, palatinos, aurinos, alares, aut inguinales, relicto tibiarum femorumque dolore diuturno, ſicut aliquando MERCVRIALIS, quoque obſeruauit, et PETRVS *a* CASTRO, *Febr. punct. S. 7. 18.* Qui altera illa ſcarlatina affecti fuerant, hanc euaſerunt. Traducta autem haec Peſtis cum militibus eſt ex Scania redeuntibus et naues conſcendentibus. Multi hinc obiere et chirurgi, et milites, et nautae, cum foetidiſſima diarrhoea. Sed ubi uena mox in principio ſecta fuit, et datus uitrioli ſpiritus cum laudano, cito morbus iugulabatur. Dolor

lor tamen iſte rheumaticus artuum diu remanſit. Eodem anno, ſub initium Iulii menſis, eadem Peſtis Stockholmiae ſubito exorta eſt in Suburbio, *Ladugardslandet* dicto, ſimilibus obambulans ſymptomatibus. Cauſam ponebant in contagio per aduenientes ab Eſthonia et Oeſelia exules facto. Atque hae ſunt Peſtes et febres epidemicae, quas ex uentorum et tempeſtatis uario habitu ac ſtatu ortas uidi. Plura quidem adderem, ſed ſchedulae perierunt; nec magni refert, cum a quouis ſedulo tempeſtatum obſeruatore exacta febrium notitia et idea haberi poſſit, quatenus ab aere nimis tenui, uel nimis graui, oriuntur.

Theſ. 27. Sed fit ſaepe Peſtilentia, quando fumi uaporesque ſulphureo-arſenicales, hoc eſt, ut ſupra dictum eſt, ſpiritus acidiſſimi et acerrimi, ex aliqua fodina, terrae uel montis hiatu, erumpentes, aerem inficiunt, atomosque aut corpuſcula quaedam primo ſolidis adplicant, mox ſanguini immiſcent ualde acuta, unca, acuminata, et terebellorum, exiguarumque ſerrarum inſtar, ut SAINT ROMAIN, *Scient. Natural. part. 1. chap. 12.* adſerit, figurata, idque aeris beneficio a nobis inſpirati, et quouis momento rurſus exſpirandi. Quae acredines per reſpirationem ſic uentilatae in pulmone, partes eius ſolidas diuidunt, diſcindunt, ac deſtruunt, ut tali ratione Peſtis, ſed non ſemper, febris gangraenoſa recte adpelletur. Sanguinem uero eiusque ſerum denſe coagulant, in

Alkali

Alkali acre mox conuertenda ex ui uitae et calore, ſicque peripneumoniam cum pulſu raro, debiliſſimo, lethalem, producunt. Conf. BELLINVS, *de Morb. Pect. de Intermiſſ. Pulſ. p. 622. et de Peripneum. p. 639. et ſequ. et* WILLIS, *de Febrib. cap. 12. p. m. 144.*

Theſ. 28. Hinc clariſſimus de la FOVT, Medicus Auenionenſis, *de Venen. Peſt.* omnis Peſtis cauſam ex halitibus arſenicalibus deduxit, cum in Peſtilentiis quibusdam ſulphureus odor per aera ſparſus percipiatur, amuletaque arſenicalia per conuenientiam configurationis, et magnetiſmum quendam in ſe ſuſcipiant peſtifera miaſmata. Sed, ſicut Peſtem ab arſenicali acri, ſed non omnem, fieri, facile largior, ita rurſus nego, amuletum arſenicale in Peſte arſenicali prodeſſe, ſed in putredinali, ut infra dicetur. Quod autem probare quidam uelint, omnem Peſtem ex hac ſola cauſa fieri, cum in Italia et Hungaria, ubi tale metallum reperitur, Peſtis ſaepius contingat, non ualet argumentum, praeſertim, cum et alibi, ubi talis minera nunquam uiſa eſt, ex ſola putredine, uel alia quandoque cauſa, oriatur malum, etiam hoc noſtro tempore.

Theſ. 29. Nec dubitandum eſt, quin minutiſſima et inuiſibilia haec acria ſpicula, eundem in ſolidis efficiant ſolutionis ac corroſionis effectum, quem inſtrumenta mechanica maiora, cum aeque facile res aliqua tenerae texturae, ut

ſunt

ſunt pulmones, poſſit paruo cultello, repetitis pluries ictibus in partes diuidi et diſcindi, ac quidem magno, licet non eodem percutiendi momento ac impetu, nec eadem nocendi celeritate. Bene HIPPOCRATES, *lib. 4. de Morb. n. 50. Tenera et rara eſt pulmonis ſubſtantia, et ſi exulceratus fuerit, non bene habebit homo ille, ob multas ſane cauſas.* Atque ex hoc Peſtilentiae genere, non quidem ſemper, ſaepe tamen, tot mille hominum ſtrages ſuo facile inſigni malo Italia experta ex montis Veſuuii fumis non ſolum, ſed illis quoque

quos Siculo uoluit
De monte tellus, igneos uoluens globos,

ut SENECAE illud de Aetna uſurpem, *Thebaid. Act. 1.* Namque, nunc non diſputo, num rectius illlos igniuomorum montium lethales flatus ſulphureo-martiales adpellemus: ex ſulphuris enim et martis puluerifatorum et madefactorum anatica, ſed maiuscula mixtura, ſub terra defoſſorum, igneſcente, Thermas et montium flammas experimento recentiore deducit cl. LEMERY, *Hiſtoire de l' Acad. Roy. de ſcienc. Ao. 1700.* Vel num ex mercuriali halitu, iſte calor, et noxius odor, proueniat, ut apud Cl. BORRICHIVM, *de Ort. et Progr. Chemiae p. 110. et 111.* Abbas *Boucaudig* uoluit; De cuius ingenioſo inuento ſic BORRICHIVS, *Depangit is in tellure ſpongioſiori haſtam uiginti circiter pedum, formatoque iam profun-*

do

do foramini, et a fortuitorum illapſu ſecuro, decem admodum libras mercurii uiui infundit, qui pondere ſuo, et terrae mollioris ſubiectae obedientia ſenſim depreſſior, eo denique, proſerpente menſium aliquot deſcenſu, promouetur uerſus infima telluris, ut caloris ſubterranei cunabulis denique illabatur; quo facto, indefeſſus, (ut in thermis,) per incumbens foramen exhalat feruor, et uitra aliaque impoſita moderato fotu recreat; atque ita praeter inuenti ſubtilis gloriam nullis poſtea ſumtibus calor perpetuatur. Sed, quod ſulphur cum marte igneſcant, nouum quidem inuentum non eſt; SERAPION enim, uetus Medicus, *lib. de Simpl. et mineral.* ſcribit, magnetem, ferreae naturae lapidem, cum calce aliquoties calcinatum, dein pulueriſatum, et ſulphuri anatica portione mixtum, inſperſa aqua, ualde igneſcere. Et ex illo refert LAZARVS ERCKER, *lib. 4. de Probat. Mineral.* niſi hoc ex calce fieri dicas.

Theſ. 30. Quales minerales fumi ad Peſtis eſſentiam conſtituendam ſaepe conferunt. Et refert SENECA, *Nat. Quaeſt. lib. 6. cap. 1. et 27.* ex terrae motu in Campania facto, ſexcentarum ouium gregem exanimatum fuiſſe in regione Pompeiana. Non eſt, quare hoc putes, ouibus timore accidiſſe, cum poſt magnos terrae motus Peſtilentia ſaepe fieri ſoleat. Multa enim

enim mortifera in alto latent, corrumpiturque aer ignium internorum uitio, puruſque ac liquidus maculatur et polluitur, inſuetuſque ducentibus ſpiritus pulmones corrumpit, et Peſtem inducit. Prolixius uero haec perſequitur, *cap.* 28. ubi ita: *Quid, quod pluribus Italiae locis per quaedam foramina peſtilens exhalatur uapor, quem non homini ducere, non ferae, tutum eſt. Aues quoque, ſi in illum inciderint, antequam coelo meliore leniatur, in ipſo uolatu cadunt, liuentque corpora, et non aliter, quam per uim eliſae fauces tument. Hic ſpiritus, quam diu terris continetur, tenui foramine fluens, non plus potentiae habet, quam ut deſpectantia et ultro ſibi illata conficiat. Vbi per ſecula conditis tenebris ac triſtitia loci creuit in uitium, ipſa ingraueſcit mora; hoc peior, quo ſegnior. Cum autem exitum nactus eſt, aeternum illud umbroſi frigoris malum et infernam noctem ſoluit, ac regionis noſtrae aera infuſcat. Vincuntur enim meliora peioribus. Tum etiam ille ſpiritus purior tranſit in noxium. Inde ſubitae continuaeque mortes, et monſtroſa genera morborum; ut ex nouis orta cauſis. Breuis aut longa clades eſt, prout uitia ualuere. Nec prius Peſtilentia deſinit, quum ſpiritum illum grauem exercuit laxitas coeli, uentorumque iactatio.*

Th. 31.

Theſ. 31. Vel quando, (Peſtilentiae enim non una eſt cauſa,) in alimentorum ſalubrium defectu, aut fame publica, et obſidionibus urbium, magnis exercitibus, aut toti denique plebi, confugiendum eſt ad putrefactas animalium carnes, aliaſue res inſuetas, in obſonia et latrantis ſtomachi ſolatium conſumendas. Si enim leniter computruerunt, diarrhoeam inducunt, quam a cibis antiquis et marcidis obſeruat HIPPOCRATES, *lib. 2. de diaet. n. 33.* quod propiores ſint putredini; ſed, ſi ualidus, dyſenteriam peſtilentiſſimam excitabunt, per acerrimum ſuum putrefactione ortum alkalinum ſalem, inteſtinorum uillos, accedente ui uitae, irritantem, tunicaſque intimas deglubentem, atque ſic uaſorum ſanguiferorum orificia aperientem, ſequente ex particulis acribus in ſanguinem penetrantibus, et uaſa in mutuos ad fluida attritus ſollicitantibus, calidiſſima febri, humorum contritu, et reſolutione, mox uero coagulatione eorundem. Hinc pariter uidemus, aegrotos a febri putrida ardente, ſi in declinatione eius ad carnium uel ouorum eſum praeproperent, facile recidiuam pati, per uiſcerum nempe debilitatem hoc alimenti genere facile putrilaginem alkalinam adſumente, admixtis quoque putridis in ſtomacho morboſis. Apollonius in Abderis, cum ediſſet intempeſtiuus carnem bubulam, incidit in febrim, (*m*) HIPPO-

m) In diiudicandis atque applicandis huiusmodi obſeruationibus, peculiaris, qua quiuis praedi-

POCRATE teſte, *Epid l. 3. S. 3. aegr. 18.* Bias ſimiliter, pugil, ex carnis eſu, in choleram incidit, *l. 5. n. 27.* Atrabiliariae affectiones, a bubularum carnium eſu exacerbantur, *de Vict. rat. in Acut. n. 60.* Atque in intermittentibus febribus, ubi ex ſentina per uentriculum oritur nauſea, ne-

tus eſt, ſolidorum fluidorumque conſtitutionis, ratio habeatur, quod diuerſis, iisque contrariis ſibimet inuicem exemplis, euicit SEXTVS EMPIRICVS, *Oper. Lipſiae 1718. in fol. ed. lib. 1. cap. 14. p. 22. et 23.* ita differens: *κατὰ δὲ ἰδιοσυγκρασίας διαφέρομεν, ὡς ἐνίους κρέα βόεια πετραίων ἰχθυδίων ῥᾶον πέπτειν· καὶ ὑπὸ Λεσβίου οἰναρίου εἰς χολέραν περιτρέπεσθαι· ἦν δέ, φασι, γραῦς Ἀττικὴ, τριάκοντα ὁλκὰς κωνείου ἀκινδύνως προσφερομένη. Λύσις δὲ καὶ μακωνείου τέσσαρας ὁλκὰς ἀλύπως ἐλάμβανε. Καὶ Δημοφῶν μὲν, ὁ Ἀλεξάνδρου τραπεζοποιὸς, ἐν ἡλίῳ γενόμενος, ἢ ἐν βαλανείῳ, ἐῤῥίγου· ἐν σκιᾷ δὲ ἐθάλπετο.* His illuſtrandis ſeruiunt ea, quae LVDOVICVS RVCAEVS, de carne bubula, *in Praefat. ad Problem. Antariſtotel. contra Galenum, lib. 3. Aliment. c. 1. affert,* o quam gratus, exclamans, et ſuauis odor, imo ſuffitus ex pingui carne bubula bene adhuc calente et fumante ſuſtollitur eorum naribus, qui bonum habent appetitum. A Deo exhilaror, cum eam uideo, ut inde etiam fere haereticus in medicina factus ſim; uix enim adduci poſſum, ut credam, carnem bubulam, melancholicum ſemen gignere.

que ſic excutitur per emeticum, in fine morbi fieri ſolet diarrhoea et dyſenteria ſatis mala, non tamen critica. (*n*) In febris quippe progreſſu, ut

n) Haec, non ita accipienda ſunt, ac ſi omnis febris intermittens a uentriculi cruditatibus ortum traheret, et dehinc ſemper, ad intermittentis extirpationem febris, emetici uſus ſumme ſemper neceſſarius eſſet; ſpecialia potius eorum aegrotorum exempla auctor reſpicit, qui ex peruerſa uictus uiuendique ratione, coacervatis in uentriculo omnis generis impuritatibus, in febres intermittentes inciderunt, ac, neglecta tempeſtiua ſordium, emetico remouendarum, expurgatione, diarrhoea, imo dyſenteria affliguntur, ualde periculoſa. Patet hinc pariter, quam abſona ſit eorum methodus, qui, in tali rerum ſtatu, morbique cauſa, et ſede, ſolis uſi temperantibus, terreis imprimis, febrem non adeo cito tollendam, extirpandam eſſe, affirmant, ne criſis naturae turbetur, eademque turbata, materia peccans ad artus deferatur; ſtultus es, et ſtultum eſt praeiudicium tuum! nonne noſti, quod, ſublata cauſa, tollatur effectus? nonne, hoc modo reiectis, quae uentriculum onerant, et uniuerſum corpus laedunt, cruditatibus, perfecta redditur ſanitas? nonne cruditatum, quas, palliatiuam adhibens curam, relinquis, corruptio, in dies augetur? nonne, exaſparata materiae peccantis corruptione, grauior laeſio, grauiora et plura incommoda? Ne uero credas,

ut loquitur HIPPOCRATES ANGLICVS, *Obſ. Med. circ. Acut. Sect. 1. cap. 4. ubi malignum in uentriculo humorem nonnihil ſubegerit natura; atque ad inteſtina amandauerit, illa ab acri humore, ex hoc in ſtomacho fonte perpetim ſcaturiente usque adeo corroduntur, ut non poſſit non inſequi diarrhoea.* Conf. BAGLIVIVS, *Prax. Med. lib. 1. cap. 13. n. 2.*

Theſ. 32. In obſidionibus urbium diuturnis, quanta ſtrages hominum edi ſoleat a Peſte, quotidiana loquitur hiſtoria. Diu enim concluſi tenentur tam multi uno loco, unde ſitus et putredo contrahitur omnium rerum. Interdum aquae putridae bibendae ſunt, fontibus uel arefactis, uel machinis hoſtium, obturatis. Aliquando res inſuetae et ſemiputrefactae, a uentre

in febrium intermittentium medela, ſemper et promiſcue adhibenda eſſe emetica, ea, quaeſo, lege, exempla, et ratiocinia, quae allegaui, *diſſertatione, de rite perquirenda morborum origine, §. 11. a p. 27. ad p. 32.* Nec hoc exinde poteſt obſcurum eſſe, quod huiusmodi diarrhoeae remedium prophylacticum partim, partim therapeuticum, ſit ipecacuanha. Minime uero, dicta radix, pro ſpecifico omnis diarrhoeae et dyſenteriae remedio habenda; unde ſedulo ea hic obſeruare decet, quae iam antecedentibus, *in notis ſub lit. d. p. 34.* monui.

ieiuno, uulgaria raro temnente, adſumuntur. Sic Maſſilienſes, cum urbs eorum a Caeſare obſideretur, graui peſtilentia conflictabantur intra moenia, ex diutina concluſione et mutatione uictus: panico enim uetere ac hordeo corrupto omnes alebantur, quod ad huiuſmodi caſus antiquitus paratum in publicum contulerant, ut IVLIVS CAESAR habet, *Comment. de Bell. Ciuil. lib. 2.* Sic in famoſa obſidione Gallicae urbis Rupellenſis, uulgo *Rochelle.* Ao. 1628. homines prae fame, equos, canes, feles, mures, herbas quascunque, coria ſacharo concocta, cochleas, et omnia ex mari ad littus proiecta animalia, in eſurientis et crepitantis ſolatium ſtomachi, pugnantes inter ſe ſaepe, adſumſere. Et docent obſidiones, etiam hoc noſtro tempore Peſtem irrepſiſſe, et obſeſſis et obſidentibus, ex moerore et triſtitia, ex fame, ex cadaueribus inſepultis, et putrefactis, aquasque inficientibus ac aerem; ex ſiti, in penuria aquarum, ex equis et armentis egeſtate pabuli exanimatis, unde polluuntur cuncta ſanie, odore, contactu. Eſt in Hiſtoricis, Cretenſes, a Metello obſeſſos, ſuae iumentorumque ſuorum urina ſitim torſiſſe magis, quam ſuſtentaſſe, auctore VALERIO MAXIMO, *Memorab. Exempl. lib. 7. cap. 6.* Pariter Numantia, a Scipione ualle et aggere circumdata, conſumtis omnibus, humanas tandem carnes edit, referente eodem, ibidem.

Theſ.

Theſ. 33. Proinde perſuaſiſſimus ſum, panes ex frumento corrupto et putrefacto, uel farina computreſcente, quod noſtrates *corna* dicunt, confectos, Peſtem exercitibus ſaepe adportare. Oritur enim ex huiuſmodi panis eſu febris. Sed omnis febris eo peior atque peior fit, licet ex uili cauſa in principio fuit exorta, quo plures conuerſantur homines in eodem loco, praecipue clauſo. Frumenta autem incidunt in hanc putreſcentiam, quando uel immatura, uel humida, coaceruantur: (o) tum enim primo calere incipiunt, deinde per gradus feruere, tandemque ebullire; atque ſic induitur frumentis gangraena et ſphacelus, et nigreſcunt, ac olidum ſpirant odorem. Hinc quoque Smalandi et Dalenſes noſtri mergetem, olidiſſimum animal, et hircum ſuillum, adpoſito ad prius illud uocabulo, *Oorne* uocant, Wermelandi uero mei, *Rone* dicunt.

Theſ. 34. Sed poteſt et fames ſola, (p) et an-

o) Sine cauſis, quas allegat auctor, frumenta ab aere corrumpi, eaque farinam panesque perquam noxios praebere, praeterito anno, funeſtis edocti exemplis aduertimus, ubi ex tali frumento, et panibus hinc paratis, homines in deliria, affectus ſoporoſos, paralyſin, et alia plura mala inciderunt.

p) Famis maximam uim, tum in morbis excitandis, tum praeſeruandis, et curandis, eſſe, probe agnouit, et ſequentibus probauit, HIPPOCRATES, *lib. de Vet. Med.* τὸ τȣ̃ λίμȣ μέρος δύναται ἰσχυ-

nonae caritas, ut ſaepe etiam fit, absque con-
cur-

ρῶς ἐν τῇ φύσει τȣ̃ ἀνθρώπȣ καὶ ὑγιῶσαι, καὶ ἀσθενέα ποιῆσαι, καὶ ἀποκτεῖναι, fames nempe plurimum poteſt in humana natura, tum ad ſanitatem et imbecillitatem, tum ad mortem inferendam; uid. Sponivs, *Aphor. nou Sect.* 2. §. 2. *p.* 56. *et* 57. imo, teſtatur Galenvs, *lib.* 8. *Method. med. cap.* 2. quod client biliosi ex fame in acerrimas acutiſſimasque febres incidant, uel cito perimentes, aut in hecticam degenerantes. Ex Borelli relatione, *Cent.* 3. *obſ.* 81. conſtat, fami ſucceſſiſſe delirium, quod, ſumto cibo, ceſſauit. Quid igitur, quam ſumma humorum corruptio, in annonae caritate, expectanda? cum homines, perpetuo rerum in deterius ruentium metu et deſperatione anguntur, et abſona partim, partim corrupta alimenta deuorare coguntur, ex quibus cacochylia, cacochyliamque ſequens cacochymia, et ſolidorum obſtructio, inflammatio, eroſio, et plura alia mala, tum chronica, tum acuta, oriuntur. Fames hoc modo, et laudabilis bonique defectus alimenti et potulenti, una cum aeris feruore, genuina eſt cauſa elephantiaſis, qua inopes, Aegypti, praeſertim Alexandriae, ciuitatis, ciues, tanquam malo endemio, affliguntur; iidem quippe, dum neceſſariis, et accommodatis uitae ſuſtentandae ſubſidiis deſtituuntur, eorum loco, teſte Prospero Alpino, *de Med. Aegypt. lib.* 14. aquas coenoſas et putredini proximas ex ſtagnantibus lacubus bibere, et

currentibus initio aliis ullis cauſis, grauiſſimam dare Peſtilentiam, ut per annum 1696. 1697. 1698. per noſtram Patriam miſerabili clade auditum eſt, praeſertim uero per Dalekarliam, Norlandias, et Finlandias. Ratio haec eſt: nonſolum, quod in res inſuetas, et eſui ineptas, gens miſera feratur, ſed meo quidem iudicio, inde quam maxime, quod in pertinaci et longiori fame, ex ſanguinis, nullo dulci ſucco ſubacti, attritu ad uaſa, fiat acredo quaedam omnium humorum, febrim inducens, quae, ſi continuatur, putrefactio fit exitialis. Febrim autem et iram ex longa oriri fame, omnibus in confeſſo eſt. Cum autem febris ex eadem cauſa, fame ſcilicet, per multos ſerpat, atque omnibus eadem ſit penuria blandorum, quibus ſanguis acris hebetetur, alimentorum, non arduum eſt inde concludere, quod et multi moriantur. Hinc Ao. 1708. per Medicos Vratislauienſes adnota-

 tum

carnem camelorum, ac piſces caſeosque ſemiputridos edere tenentur, donec tandem aucta atque exaſperata indies mala humorum uitalium qualitate, exitioſam, quam modo commemorauimus, luem, contrahunt, uti pluribus iam indicaui, *diſſert. de rite perquirenda morborum origine*, §. 17. *a p. 49. ad 53.* Recentiſſimum praeterea exemplum peſtis, a fame ortae, praeterito anno, Sileſia Poloniaque exhibuit, ubi, in Sileſia cumprimis, multa hominum millia, ex ſufficientis atque accommodati defectu alimenti, obierunt.

tum eſt, Peſtem Polonicam, eo tempore, et annis aliquot ſecutis, graſſatam, non tam pro cauſa agnouiſſe aerem infectum putredinoſis halitibus, quam quidem famem publicam, belli ſobolem genuinam. Dixit bene CARDANVS, *de Venen. lib. 1. cap. 9.* in fame humores aduri. Hinc Peſtis ſemper famem ſequitur; fames etiam Peſtem, quia agri iacent inculti, conſumtis hominibus, quamuis quoque ſaepe fames contingat ex acri quodam halitu, in uiſcera ſegetum penetrante, ipſisque gangraenas, rubiginem, ſphacelumque inurente, unde ſterilitas. Sed Peſtis illa, quae a GALENO deſcribitur, *de Cib. bon. et mal. ſucc.* et tempore M. Aurelii Commodi Caeſaris, contigit, ex fame fiebat, ruſticis in urbem omnem Cererem conferentibus, nec ſibi praeter radices, cymasque relinquentibus. Sic Hieroſolyma a Veſpaſiano arcte obſeſſa, per obortam tandem famem, peſtilentiam ſenſit cum hominum infinita in dies ſtrage, teſte IOSEPHO. (r)

Parili

q) Huius peſtis IOSEPHVS, *lib. 6. de bello Iudaico, cap. 14. et cap. 16.* facit mentionem; quemadmodum uero, ea, quae Ioſephus notata reliquit, reſpiciens, nullus dubito aſſerere, inter cauſas peſtis, tum in Hieroſolyma graſſantis, primariam fuiſſe, famem, ita reliqua, quae ſimul allegantur, ſatis probant, ac demonſtrant, alias ſimul adfuiſſe cauſas, quibus exitioſum illud malum, ſimul adſcribendum erat; nam, ita IOSEPHVS,

Parili modo Macedones, apud CVRTIVM, *lib. 9. cap. 10.* in Indiis primo inopiam, deinde ad ultimum famem ſentire coeperunt, radicibus palmarum quaeſitis, et equis quoque in alimoniam conſumtis. Famem mox Peſtilentia ſecuta eſt, quippe inſalubrium ciborum noui ſucci, adhoc itineris labor; et aegritudo animi uulgauerant morbos. Galli quoque, ſub Brenno Duce, ex inopia commeatuum, et aere per cadauerum multitudinem exitiali, intra urbis Romanae a ſe deſtructae muros, peſtilentiam paſſi ſunt, ut habet PLVTARCHVS, *in uita Camilli.*

Theſ. 35. Sed dubius haereo, quo ſit referenda Peſtis, quae, ſub Imperio Neronis, urbem Romanam uaſtauit. Eam enim, ut ſub hoc Principe complementum omnis haberet miſeriae, Peſtilentia quoque inuaſit, *omneque mortalium genus uis eius depopulabatur, nulla*

---

cit. libr. cap. 14. praeter famem, allegat domus cadaueribus foetoreque refertas, et capite 16. quod ultimum eſt libri ſexti, idem ingenue fatetur, *μηκέτι δὲ ἐυτονȣ́ντων τȣ̀ς πτωχȣ̀ς ἐκφέρειν, ἔλεγον συσσωρέυοντας ἐις τȣ̀ς μεγίςȣς ὀίκȣς τὰ πτώματα ἀποκλέιειν*, cum nempe pauperibus efferendis non amplius ſufficerent, congeſta in maximis aedibus cadauera eſſe incluſa. Quid uero aliud hinc, quam peſſima aeris putreſcentium effluuiis cadauerum inquinati indoles, hominum ſanitati quam maxime infeſta atque inſidioſa, expectari potuit?

la coeli temperie, quae occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. Non ſexus, non aetas periculo uacua. Seruitia perinde ac ingenua plebs raptim extingui, inter coniugum et liberorum lamenta, qui, dum adſident, dum deflent, ſaepe eodem rogo cremabantur, auctore TACITO, *Annal. lib. 16. cap. 13.* Nullam quidem anni praecedentis mentionem facit, neque nunc coeli ullam fuiſſe temperiem, memorat, peſtem tamen ingruiſſe diram. Ergo, ſi ſulphur aliquod arſenicale per aera fuiſſet diſperſum, odore facile et ſapore fuiſſet proditum; ſi putredo regnaſſet, itidem odoris ſagacitatem non latuiſſent; ſi fames publica, neque illa fuiſſet praeterita ab adcuratiſſimo ſui temporis Hiſtoriographo. Sequitur ergo, uel ſales quosdam metallicos inodoros, ſed acerrimos, aerem impleuiſſe, uel, quod magis credam, aerem ſolis aeſtu, aut continuis in urbe incendiis tam tenuefactum fuiſſe, ut hac ratione citiſſimam induxerit mortem; non aliter ac homines in altiſſimis montibus, prae leuitate aeris, niſi aceto naribus adplicato, illum temperauerint, breuiſſimo temporis interuallo exſpirare, docuit experientia. Sed coniectura haec eſt ulterius ruminanda. Hoc ſaltem abſit, ut dicam, cum nonnullis ueterum, ipſam aeris ſubſtantiam poſſe putreſcere. Videſis CARDANVN, *Contrad. Med. lib. 2. Tract. 1. contr. 12.*

Theſ. 36. Oriri certe in exercitibus morbos acutiſſimos et peſtilentes ex dictis cauſis, fame uidelicet, alimentis murcidis, aquarum penuria, locorumque anguſtia, nullum eſt dubium. Sed conſimili argumentorum fide tenendum, oriri eosdem ex putrefactis excrementis, ſterquiliniis, purgamentis, aliisque quisquiliis, naribus etiam eiusmodi olidum foetorem non leui criſpatura indignantibus. Et, quamuis Veſpaſianus Pater Romanorum Auguſtus, lucri bonum eſſe odorem e re qualibet profeſſus eſt, aliud tamen lucrum ex talibus Augiae ſtabulis, alterum expurgatorem Herculem depoſcentibus, feralibus urnis, et platearum percacationibus, ut alicubi fit, quam qui ex omni re foetida et putrefacta redundare ſolent, morbos periculoſos et epidemicos, expectare non poſſumus. Venenum tamen hoc, ut ad illud tandem perueniam, non in aere graui, aut tenui nimis, conſiſtit, nec in acri quodam acido metallico, ſed in ſale contrario huic alkalino, ex putrefactione talium rerum orto. Sic CRATO, trium Archiater Imperatorum, ob foetorem cloacae in grauem dyſenteriam ſe incidiſſe, ſcribit. Ipſe quoque ex foetore ſaliuantis, menſe Nouenbri, 1708. menſe Iunio, 1709. menſe Iulio, 1710. nauſeoſus quotidie, eodem tandem dyſenteriae morbo tentatus, in proemium curarum et indefeſſi laboris. Aliud autem non datum eſt, praeter ampullas et ſesquipedalia uerba.

Theſ. 37. Equidem in urbibus maioribus mos iam a multis retro ſeculis inualuit, per canicularium dierum feruorem extra urbem abigere canes, ſues, hircos capraſque, ne in illis forte occoepta humorum ex aeſtu putrilagine, rabiem contrahant, ſicque homines morſu petant, hydrophobiam ferente. Et canes quidem, praeſertim carniuori, aliis ſunt mordaciores, quia carnium eſus, ut ſupra inculcaui, iracundiam facit facile igneſcentem. Hinc Anglici canes, continuo carnium eſu uictitantes, feroces ſunt. Pariter lanionum canes Stokholmiae; hinc non ſine periculo tabernas iſtas praeterimus, praeſertim nocte. Atque haec quidem recte. Sed tempore Peſtis haec dicta animalia quam optime eiiciuntur, ne ex iſtis exorta putrefactione, aer inficiatur, magisque euadat peſtilens. Aliud tamen animal peſtilentiam promtius cane non circumfert, quia ille uerſatur ſemper cum hominibus, contagiumque in gyris narium diu cohibet. Adeoque, tempeſtate peſtilenti, omnia animalia talia recte occiduntur, canes uidelicet, feles et gallinae. Praeterea omnes opifices ſordidi et male foetentes, ut cerdones, coriarii, pelliones, opiliones, ſubulci, bubulci, atque id genus alii, extra urbes longe ſunt relegandi. Atque in magnis urbibus, praeſertim uero in uicis plateiſque anguſtioribus, quae hiemali tempore congeruntur quisquiliae excrementorum, animalium, aliarumque rerum, niuibusque ſu-

per-

periniectis, ut apud nos fit, ſtratum fiunt ſuper ſtratum, cum uernali calore ſolutae fuerint, non poſſunt non putreſcere, ac miaſmata morboſa aeri immiſcere, multorum poſtea morborum incitamenta. Recte itaque eiusmodi ſordes ſub incipiens mox uer e plateis tolluntur, ne ex putrefactis poſtmodum fiant morbi populares. *r*) *Theſ.*

r) Sordium quippe atque excrementorum accumulatorum illuuiem, peſti anſam dare, triſtis, quam Lutetia Pariſiorum, et Tholoſana in Galliis urbs, habuit, experientia, confirmat, uti ex DIEMERBROECKIO, *lib. de Peſte p.* 154. diſcimus. Proinde neceſſarium eſt, ſordium atque excrementorum, quibus plateae publicae interdum replentur, expurgationem, ad tale contagium praecauendum, ciuibus ſerio iniungere; non autem hinc aliorum ſordes, quas cumularunt, in alienas proiiciendae ſunt domus, uti apud nos moris eſt; nec ita, ſalicibus, aliisque arboribus, circa domos ſatis, urbs uallumque obſidendum, ut libera hominibus aeris lucisque uſura adimatur, uti, proh dolor! Patrum conſcriptorum, qui ciuitati ciuibusque ſuis melius proſpicere deberent, negligentia et indulgentia contigit; quibus pariter peſti morbisque contagioſis anſa datur. Nec ſtercoris uaccini colluuie et ſentina, contra Regium mandatum, fundamenta aedis ſacrae corrodenda, deſtruenda; nec hinc miaſmatibus foetidis loca uicina inficienda. Sed, ſurdis narratur fabula, quibus magis pocula conuiuiaque, quam ciuium ſalus, curae cordique ſunt.

Theſ. 38. Quo circa laudandi quam maxime in hoc articulo ſunt Turcae, apud quos, oculato teſte BVSBEQVIO, *Legat. Turcic. Epiſt. 3. p. m. 250. in caſtris ſumma mundities, nulla ſterquilinia, nulla purgamenta, nihil quod oculos aut nares offendat. Quid quid eſt huiusmodi, aut defodiunt, aut procul a conſpectu ſubmouent. Ipſi, quotiescunque alui neceſſitas urget, ſcrobem ſibi ligone cauant, in qua excrementa obruunt: ſic tota caſtra ſordibus uacant.* Et Agamemnon, Rex, Peſte ad Troiam graſſante, exercitum luſtrauit, aqua omnibus ablutis, caſtrorumque ſordibus in mare proiectis, ut canit HOMERVS, *Iliad. l. 1.* Id contra in Turcica gente non laudi ducendum erit, quod unius cuiuſque fronti mortis tempus et genus a Deo ſibi inſcripta perſuaſum habentes, ueſtes et lintea, in quibus Peſte aegri animam exhalarunt, etiamnum a mortifero ſudore madentia, contrectent, iisque perfricent faciem, unde facile contagioni latus pateſcit aditus, totaeque interdum familiae ad unum emoriuntur; imo, una die ad mille et ducentos, ut idem tradit BVSBEQVIVS, *Epiſt. 4. p. m. 306.* Et PROSPER ALPINVS, *de Med. Aegypt. lib. 1. cap. 15.* memoriae prodit, Cayri in Aegypto, Ao. 1580. ſex ſeptemue menſium ſpatio quingenta millia hominum peſte interiiſſe, per eandem erroneam credulitatem. *s*)

Theſ. 39.

s) Nec mirum uideatur, tot millia hominum, et

Theſ. 39. Sed nunc uenio ad communiſſimam, aliis-

peſte et aliis morbis Cayri obire, cum ibidem deſiderentur genuini, uereque docti et periti medici, uti ſequentibus Prosper Alpinvs, *de Med. Aegypt. lib. 1. cap. 1.* ob oculos ponit: extat Cayri inter ceteros medicos omnes quidam Aegyptius, quem Achimbaſſi illi appellant, qui medicorum princeps noſtra lingua interpretatur. Huius officium eſt, illos, qui medicinam exercere uelint, de illiuſce artis peritia ſedulo percunctari, et examinare, atque eis, qui in medendi examine recte reſponderint, ac recte ſe geſſerint, publica fide concedere, ut per eam regionem impune mederi poſſint. Iſtud autem in Doctorum numero aſciſcendi munus non datur multis, ut in multis Europae locis fieri ſolet, ſed uni ſoli tantum, illique praeſertim, qui plus auri argentiue Praefecto Cayri, quem Baſſa appellant, hac de cauſa ſoluerit. Parum etenim id curat hoc tempore Baſſa, an ille, qui Archimbaſſi procreandus eſt, ſit ad illud munus recte obeundum probe idoneus; adeo nunc apud illos omnia corrupit auaritia; non hoc, inquam, ille curat, ſed potius, an multos aureos ipſi offerat. Eodem exemplo et ipſe Archimbaſſi etiam, a Praefecto perdoctus, eodem auaritiae uitio ſublatus, pretium a cooptandis accipiens, omnes indiſtincte, cum indoctos tum doctos, mederi per urbem ſinit. Qua facilitate numerus tum uirorum tum mulierum

aliiſque multo crebrius contingentem Peſtilentiae cauſam, quando ex putrefactione animalium, ſtagnorum paludumque coenoſo et putrido limo, cadauerum in proelio occiſorum et inſepultorum, tum piſcium ab halitu noxio per maris fundum erumpente, aut ipſa aquarum ſtagnantium putrefactione, emortuorum, inque littora proiectorum, locuſtarumue per uim uenti in aquas gregatim protruſarum, ex putrefacto denique lino uel cannabe, aut oborto poſt magnum himale frigus, uel poſt magnam pluuiam, ingenti calore, aeſtu, uarias poſt ſe trahente externas internasque putreſcentias, partiumque fluidarum exſiccationem, ſeu cauſonem, prout hiſtoriarum monumenta abunde loquuntur, aut alia quacunque re putrefacta, egreſſa acria, uolatilia et alkalina miaſmata ſeu inquinamenta, aerique per pulmones noſtros hauriendo immixta, partes internas ſolidas pulmonis ſecant, diuidunt, exulcerant, ac plerumque gangraena adficiunt, mixturam uero ſanguinis reddunt primo tenuiorem, mox uero craſſiorem, globulorum ſanguineorum textura turbata, per eosdem fortaſſis ſe traiiciendo, atque ſic combinando, ſerum autem ſanguinis, ſeu alibilem ſubſtantiam, in concretionem polypoſam coagulant, ut teſtis eſt MALPIGHIVS,

---

medentium in ea maxima urbe Cayri eſt fere infinitus, cum quisque, exhibito auro, poſſit ab Archimbaſſi medendi auctoritatem obtinere.

PIGHIVS, Anatomicus dexterrimus, *Tr. de Polyp.* faceſſentibus qua data per laterales ramos et uenarnm cylindros liquidiſſimis et tenuiſſimis. Talis autem conſtitutio peſtilens ab HIPPOCRATE deſcribitur, *Epid. lib. 3. Sect. 3.* Annus auſtrinus, pluuius; uenti quieſcentes, ſqualidi; autumnus nubilus; hiems auſtrina: aeſtas autem inſequens ſerena, calida, aeſtuoſa.

Theſ. 40. Sanguine igitur et eius ſero coagulatis, neceſſario ſequitur, quod facilis fiat liquidorum languide adhuc meabilium haeſitatio, et depoſitio in partibus ubique glanduloſis. Hinc purpurae, et maculae per corporis ſuperficiem, bubones et carbunculi, ſiue anthraces, quos Wermlandi *Blod hurar* appellant, ſub axillis, uel in inguine, exſurgunt. Bene HIPPOCRATES, *Epidem. lib. 2. Sect. 3. in glandularum tumoribus, febres, malum, exceptis diariis. Et in febribus, glandularum tumores, deteriores.* Verum memini, mihi aliquando obiectum fuiſſe ab erudito Medico atque amico, perperam me pluribus in locis ſcripſiſſe, alkalina coagulare ſanguinem. (*t*)

S Lues

t) Alcalina quidem non primario coagulant ſanguinem, ſed primum reſoluunt, reſoluendoque, particulas, quae tenuiſſimae et fluidiſſimae, reliquarum uehiculum conſtituunt, diſſipant, quibus diſſipatis atque exhauſtis, neceſſario maſſa reſidua in magma uiſcidum coit, et demum obſtructiones, inflammationes, tumo-

Lues quidem Venerea ab alkali putrido oritur, optimorum Medicorum et experientiae ipſius conſenſu, et tamen ſanguis tum maxime eſt coagulatus, ut bubones et tubercula oſtendunt. Peſtis quoque ab eadem cauſa fit, ſed magis uolatili, et minus implicata: nam loquor de Peſte Putrefactiua. Vbi autem putredo, ibi alkali. Et tamen in Peſte, bubones, carbunculi ſeu anthraces, et purpurae conſpiciuntur, ex immeabili ſero et ſanguine per canaliculos glandularum. Sanguis etiam in Peſte per pulmones ex coagulo haeſitat. Hinc illa anxietas. Et, ut breuiter me explicem, omne acre cogit ſanguinem, ſiue ſit alcali, ſiue acidum, ſiue mechanicum, mechaniſmo ſupra dicto. Hinc, quo peior et truculentior Peſtis, eo magis per bubones ſe manifeſtat, adeoque Peſtis Bubonia ueteribus peſſima audit.

Theſ. 41. Saepe etiam mihi obiectum fuit, ex eo phaenomeno ſanguinem in Peſte uideri quam maxime reſolutum et tenuem, quod fiant tum haemorrhagiae uariae, praecipue narium. Sed, quando in Peſte tales fiunt, ſanguis uel maxime per pulmones eſt coagulatus; unde, dum per uenas obturatas ex capite redire nequit, et tamen quouis momento aliquid adhuc meabilis liquidi per carotides augeatur, uenae rumpun-

tur

res, bubones, ulcera, grauiſſimis ſtipata ſymptomatibus, excitando, malignam, quam obtinet, naturam, diſtincte prodit.

tur alicubi, idque ſaepe in naribus, ut in loco minus reſiſtente. Idem fit ſaepe in peripneumonia phtiſica, praeſagio peſſimo; idem in plethora ſanguinis, ex eadem cauſa. Spiritus uini potatores narium haemorrhagia fere quotidie laborant, et tamen eorum ſanguis nihil minus eſt quam tenuis et reſolutus. Sic aere exiſtente tenui, in me ipſo ſaepe, ac in aliis, obſeruaui, ſanguinis per nares ſtillicidia. Tranſpiratio enim tunc tollitur, augetur ſanguis, minusque premuntur pulmones ab aere tenui externo, a ſanguine uero interno magis quam ferre poſſint, uexantur, hinc uel ipſi rumpuntur lethali uulnere, uel in alio minus reſiſtente loco uaſa exſoluuntur. Aeterna autem ueritas eſt, tam ſaepe iam inculcata, omne acre uel ſtatim cogere ſanguinem, uel eundem primo reſoluere, hincque neceſſario cogere, abeuntibus in uenas uel in auras ſubtiliſſimis, remanente uero per arterias parte craſſiori; ut quoque mecum, putauit Cl. BAGLIVIVS, *Prax Med. lib. 1. cap. 8. p. m. 59.* Peſtilentiam uero, pulmonibus maxime grauem eſſe, teſtantur illa Artaxerxis Perſarum Regis, *in Epiſtola ad Paetum*: anxietas multa populum corripuit, quae ſpiritum magnum ac denſum habet. (*u*)

u) Notatu digniſſima ſunt, quae de his apud HIPPOCRATEM, *Oper. Tom. II. Sect. 8. epiſt. 1. p. 1271.* leguntur: *ἅλωκε γὰρ κατὰ τὸν ὄχλον, καὶ*

Theſ. 42. Non tamen ex eorum partibus ſum, qui negant et expungunt omnem nimiam liquidorum fluiditatem, indeque ſequentem conſumtionem, exhalationem, debilitatem, uaſorum rupturam, aut ſuppurationem, auctam diapnoen, perturbationemque ſecretionum. Sanitas enim perfecta non obtinet in ſolo traiectu liquidorum, ſed in eorundem mole debita. Sanguis namque, in omnibus animalibus ſanis, ex uiſcido debet fieri tenuior atque tenuior, idque pulmonum praecipue ui et actione contractili. Hinc fluidiſſima ſemper a nobis exhalant. Sed quaedam fluida adhuc maioris molis ſunt, quam ut poſſint ſic exhalare, ideoque redeunt ad cor. Hinc, quo magis longaeua ſunt animalia, eo ſanguis eorum eſt lentior, et magis coeuns in albam tenuem cruſtam, quando per uenam educitur. In Hecticis uero ſanguis eſt acer, tenuis et uix coagulabilis; (*x*) pariter in iracundis. In Peſte

---

πολὺς ἄλυς, πνεῦμα μέγα καὶ πυκνὸν ἔχων· οὐ πολεμοῦντες πολεμούμεθα, ἐχθρὸν ἔχοντες τὸν θῆρα, λυμαινόμενον τὰ ποίμνια· τέτρωκε πολλοὺς, δυσιάτους ἐποίησε. πικρὰ βέλη βελῶν, καταπέμπει. Ου φέρω γνώμην, οὐκ ἔτι ἔχω μετ' ἀνδρῶν γονίμων βουλεύσασθαι, Λύε ταῦτα πάντα, μὴ διαλείψας ἀγαθῇ συνειδήσει.

x) Confirmatur iisdem ſententia noſtra, antecedentibus iam, notis ſub lit. l. ad theſ. 14. p. 2[illegible]5. et ſq. propoſita, qua hecticae cauſam, a nimia ſanguinis tenuitate, et reſolutione, et huic ſuccedente ſuc-

Peſte autem, tenuari quidem in principio ſanguinem, ſi ab acri fuerit alkalino, ſed mox coagulari, tenendum eſt, ut docent ſymptomata bubonum macularumque, ex ſolo tum humorum petenda coagulo. Quin et experimenta cum alkalinis facta, eroſa oſtendunt ſolida, et coacta fluida. Sic Cicuta, apud WEPFFERVM, *Hiſt. 2. cap. 10. p. 136.* cani data, uentriculo cancros inuſſit, et ſanguinem per eos coagulauit, nigris grumis. Idem ex Napello factum eſt, *Hiſt. 2. cap. 11. p. 181.* Vtraque autem herba continet alkali uolatile, acidis mitigandum. Videſis BELLINVM, *de Febrib. Propoſ. 28.*

Theſ. 43. Illae autem res peſtilentiorem adſumunt putredinem, magisque contagioſam, quae ſunt pingues. Hinc ſues, et omnia animalia, foetidiſſime olent putrefacta, ſi fuerint pinguia. (y)

corum laudabilium per excretiones ſymptomaticas profuſione, ſine uiſcerum ulcere, ſcirrho, aut alia labe, deriuamus, uti etiam cadauerum hoc morbo defunctorum, integra uiſcera exhibentium, ſectiones probant.

(y) Suillam carnem, multis morbis materiam fomitemque praebere, exempla paſſim apud auctores notata, docent; SANCTORIVS, *Med. Stat. Sect. 3. §. 23.* carnem ſuillam nec tranſpirari ob lentorem, nec, permittere, ut cetera edulia tranſpirent, experimentis euictum dedit. Et, licet VOGLERVS, *Comment. Diaetet. cap. 17. p. 87.*

Et homo pinguis in ſaliuatione decies plus foetet,

carnem porcinam, et grati eſſe ſaporis, et plurimum nutrire, perhibeat, eandem tamen perpaucis, aſſuetis nempe, robuſtis, iunioribus, quique aſſiduis et duris perpetuo exercentur laboribus, ſaltem conuenire, praeter quotidiana exempla, rationes et obſeruationes, a SEBIZIO, *lib. 5. probl. 83.* et CASP. HOFFMANNO, *lib. 5. Inſtit. cap. 18. §. 1.* notatae, probant, confirmant. Nec credas, dicis cauſa, Iudaeis ſuillae eſum carnis interdictum fuiſſe, in ea potius cum VOSSIO, *Idololatriae lib. 3. cap. 66.* ſum perſuaſione, hoc exinde factum eſſe, quod in Palaeſtina, aliisque Orientis regionibus, ut et Aegypto, lepra ac uitiligines ex uſu carnis ſuillae frequentes fuerint; unde ab eiuſdem carnis, quae perpetuum citatis morbis fomitem praebuit, uſu, Iudaei omnino abarcendi fuerunt. Quo quoque, alludit AELIANVS, *Hiſtor. an. lib. 10. cap. 17.* Ita porro aegrotae hiſtoria, a RIEDLINO ſuppeditata, in *Act. Erud. Lipſ. Ao. 1709. pag. 317.* proſtat, quae carnem ſuillam fumo induratam, per duos menſes uentriculo detentam, uomitu reiecit. Febrem, ab eſu capitis porcini fumo indurati, feliciter iam, exhibita china, extirpatam, rediiſſe, *M. N. C. Dec. 2. Ao. 5. obſ. 52.* teſtantur. Carnem ſuillam peſti Nouiomagenſi materiam ſuppeditaſſe, cognoſcimus ex DIEMERBROECKIO, *l. 2. de Peſte, p. 182.* Leprae ac foedae ſcabiei, carnis ſuillae eſum, anſam dare, docent hiſtoriae

tet, quam macilentus. Piſces quoque multoties per hanc cauſam nocent. Ideoque ferunt, aetate Gregorii Pontificis, ſerpentem mortuum, in Tiberis latitantem ripa, Romae peſtem excitaſſe. Et Balaenae cadauer, ſeculo quinto decimo, in littus Tuſcum, prope Graniſcum, proiectum, totam Hetruriam peſtifero halitu infecit. Sic in Aegypto ex oſtreis, crocodilis, aliisque in ſicco Nilo relictis et putrefactis, paria fiunt. Et in Tibiſco, Pannoniae amne, tam locuples interdum, referente doctiſſimo THOMA IORDANO, *de Phaenom. Peſt. Tract. 3. cap.* 2. piſcium captura, ut uaenum expoſituris lege cautum ſit, non coemtos ſtatim reuehere, ne ex relictis in circo et putreſcentibus, Peſtis oriatur. Idem in Britannia et Hybernia ſaepius contingit ex Cetaceis ad littora proiectis. Et Ao. 1696. non procul a Gotheburgo, Weſtrogothorum non ignobili urbe, Balaena, in littore mortua, uiciniam noxio halitu infecit; et quod miraberis, circa Yſtadium, Scaniae oppi-

 dum,

et obſeruationes, quas LEMMIVS, *de Occult. nat. mirac. lib.* 2. *cap.* 7. RIEDLINVS, *Lin. med. Ao. primo p.* 242. FEHRIVS, *in Miſc. Germ. Dec.* 1. *Ao.* 6. *obſeru.* 191. habent. Plura de ſuilla carne, et diuerſis eius uiribus, uide apud ZACVTVM, *Med. Princip. hiſt. lib* 1. *hiſt.* 28. *pag.* 4. *et* 6. Quibus adde ea, quae de ſuis pudendis, ad urinae incontinentiam curandam proficuis, *A. N. C. Dec.* 1. *ao.* 2. *obſ.* 21. et *ao.* 10. *obſ.* 150. afferunt.

dum, Ao. 1709. intra Fretum, quod uulgo *Oreſund* dicitur.

Theſ. 44. Proinde mihi in memoriam uenit communis ille ſermo, in urbe Vpſalenſi, tempore ueris. Dum enim Apuae minores, noſtris *Nors* dicti, in urbem a ruſticis deferuntur, uulgari dicterio, *Peſtilentiam aduentare*, dicunt. Namque ex eiusdem piſcis facile putreſcentis, per amnis Salae littora putrefactione, morbus ſaepe in tota urbe factus eſt peſtilentialis. Piſces autem uernali tempore facilius putreſcunt, quam alia anni tempeſtate, quia ueneri tum operantur, quod Noſtri *Leeka* uocant, et conſequenter febricitant, leuiſſimeque putrent, ut odor teſtatur. Vnde PLINIVS, *lib. 9. cap. 50.* non inepte dicit, piſces in uenere ſua genitale uirus ſpargere. Atque hinc febres uernales, meo quidem iudicio, uidentur deduci poſſe, quia homines iſto tempore piſcibus frequenter ueſcuntur, qui ueneris ignibus in ipſis frigidiſſimis aquis occupati, et febricitantes, non poſſunt non eundem morbum ſuis comeſſatoribus adferre. (z) Porro

z) Inter piſces maxime noxius iudicatur barbus, praeſertim eiusdem ouula, quae non ſaltem menſe Maio, ſed quauis tempeſtate calidiore, acri alcalino ſcatent ſale, quod in uentriculum deductum, uehementius irritando, paſſionem cholericam producit, uti TIMAEVS a GVLDENKLEE, *Caſ. med. lib. 3. c. 7. p. 118. A. N. C. Dec. 2.*

ro omnia omnino animalia in uenere foetent ac putrent, ut homines quidem teſtantur, quibus.

- - *grauis hirſutus cubat hircus in alis*,

et hirci, caprae, ceruique. Vnde PLINIVS, *lib. 8. c. 50.* ex Archelao tradit, capras nunquam

S 5 febri

Ao. 8. obſ. 25. propoſitis demonſtrant hiſtoriis, de quibus plura inuenies, *diſſertatione noſtra Inaug. 1720. Vitembergae, de atrociſſima et acutiſſima paſſione cholerica rite indicanda et curanda, theſ. 9. p. 9.* Et, licet SENNERTVS, *lib. IV. Inſtit. med. P. I. c. 3. et* SPERLINGIVS, *Zoolog. c. 13. pag. 423.* hunc piſcem, huiuſque piſcis oua, grati gratia ſaporis commoti, miris extollant laudibus, eorum tamen ſententiae ſubſcribere dubius haereo, propria eaque funeſta edoctus experientia; meum potius facio conſilium, quod QVERCETANVS, *Diaetet. Polyhiſt. Sect. 3. c. 7.* HORSTIVS, *de tuend. Sanit. Studioſ. lib. 1. c. 6.* de uſu piſcis barbi fugiendo, ſuppeditant. Similis ferenda ſententia de tinca, quae, ob alcali, copioſo humori lento et uiſcido incluſum, facile putreſcit, et ictero anſam praebens, icteri magnes, teſte WEDELIO, *de mat. med. p. 147.* uocatur. Febribus quoque generandis tincam fauere, partim ex principiis, quibus conſtat, partim ex Italorum obſeruatione, euinci poteſt, qui hinc ſequens prouerbium in ſcenam produxerunt: *neſſuno mangia tenca che febre non ſente.*

febri carere: (*a*) *ideo*, inquit, *fortaſſis anima* [illegible] *bis*,

(*a*) Eandem ſententiam cum Plinio fouet VARRO, *de Re Ruſt. lib.* 2. *cap.* 3. pronuncians: capras ualde ſiccas eſſe, et perpetuo febricitare. An uero cicuta, huius, quae capris infeſta eſſe dicitur, febris, ſit antidotus, ualde adhuc dubito. LVCRETIVS quidem, *lib.* 5. hoc ſequentibus confirmat rhythmis: quippe uidere licet, pinguefcere ſaepe cicuta barbigeras pecudes, homini, quae eſt acre uenenum. Nondum quippe huius experimenti certitudo ſatis probata eſt, multo minus rationes, quas BODAEVS *a* STAPEL, Notis *ad Theophraſti Ereſii hiſtor. Plant. lib.* 9. *c.* 17. *p.* 175. afferunt, ſufficiunt, mihique ſatisfaciunt. Tribuit omnino cicutae uim refrigerantem, ac refrigerando enecantem, cicutae, DIOSCORIDES, *lib.* 4. *c.* 79. ἔςι δὲ, inquit, κώνειον καὶ αὐτὸ τῶν φθαρτικῶν, κατὰ ψύξιν ἀναιρῶν· βοηθεῖται δὲ ἀκράτῳ. Hoc Dioſcoridis teſtimonio et iudicio ſuffulti auctores, quos modo citaui, putant, quod cicuta, nimia ſua frigiditate, animalis admodum calidi et perpetuo febricitantis calorem feruoremque temperando, non febrem modo tollat, ſed ſucci quoque nutritii uberiorem praeparationem, conſeruationem, diſtributionem atque appoſitionem adiuuando, ſublata, qua prius caprae laborabant, tabe, obeſitatem procuret, cum tamen ex WEPFERI *tr. de cicuta*, demonſtrationibus, abunde liqueat: cicutam ſale uolati alcalino abundantem, non,

bis, quam ouibus ardentior, calidioreſque concubitus. Sed mea haec eſt coniectura de piſcibus, uero tamen non abſimilis. Illud interim conſtantis eſt ueritatis, Tarantulas, omniaque animalia uenenata, coitus tempore eſſe uenenoſiora.

Theſ. 45. Quod autem Peſtilentia putrida, alkalina, ex ſtrage hominum in bello occiſorum atque inſepultorum orta ſit, non opus eſt, ex antiqua probare hiſtoria. Communis fuit querela Polonorum, per Annum 1704. 1705. 1706. 1707. 1708. 1709. praecipue in tractu Craco-uienſi, et Dantiſci, quo delata fuit. Nec noſtra patria Ao. 1710. eiusdem mali libera manſit, poſtquam ex Liuonia, Eſthonia, et uicinis exules locis, a Ruſſis contractam, ſecum attuliſſent; itemque poſt cladem Danorum ad Heſiburgum, Scaniae urbem, atque importatam cum ipſis Hungaricam febrim, imunis fuit, etiam per Claſſem, cui ipſe medebar, cum militibus Chriſtianſtadio redeuntibus, diſperſa. Et auctor eſt PARAEVS, *Chirurg. lib. 10. cap. 13.* Ao. 1562. propter bella ciuilia, toti Galliae funeſta, cum Penae, quod caſtrum eſt Loto flumini impoſitum, multa cadauera in puteo centum ulnarum eſſent proiecta, tam foetidus uapor inde penetrauit per duos menſes, ut multa hominum millia in prouincia Agenenſi interirent. Quin

refrigerantibus, ſed reſoluentibus, atque erodentibus, eſſe annumerandam.

Quin et Gallia, Peſtilentiam grauem ex bobus tabifibo aere extinctis et inſepultis, ſenſiſſe legitur. Et piſcatores margaritarum in inſula Ceylon ex foetore concharum in aquis mortuarum intereunt, uel in littore putrefactarum.

Theſ. 46. Nec alias aut ab his diuerſas Peſtilentiarum cauſas deſcribit magnus Romanorum Hiſtoriographus, LIVIVS, *lib. 3. 5. 6. 25. et 41*; ubi uarias per urbem et uicinos ipſi agros graſſatas peſtes memoriae prodit. Et HOMERVS, *Iliad lib. 1.* Peſtilentiam Achiui exercitus a pecudibus primo eſſe inchoatam, canit, deinde uero in homines propagatam, contagione per aerem facta. Conf. RAMAZZINI, *de Morb. Artific. cap. 42.* Dum enim Peſtis oritur ab exhalationibus ipſius terrae acribus, uel et aeris tenuitate, aut grauitate, uel admixtis alkalinis, iumenta et pecora omnium primo corripiuntur, quae terram depreſſa ceruice ſequentia, et pabula uenantia, pulmone uenenum hauriunt. Et, dum ipſe corruptus eſt aer, citius etiam afficiuntur, quia magis ipſi ſunt expoſita in pratis campisque. Poſſunt quoque alii atque alii ex terra erumpere halitus, qui certum pecudum genus, nunc pecudes, nunc oues, corripiant. Egregia ſunt Tragoedi SENECAE carmina, de Peſte ad hunc modum orta, *Oedip. Act. 1.*

Prima uis tardas tetigit bidentes,
Laniger pingues male carpſit herbas;
Colla tacturus ſteterat Sacerdos,

Dum

Dum manus certum parat alta uulnus,
Aureo taurus rutilante cornu
Labitur ſegnis: Patuit ſub ictu
Ponderis uaſti reſoluta ceruix,
Nec cruor ferrum maculauit, atra
Turpis e plaga ſanies profuſa eſt.
Segnior curſu Sonipes in ipſo
Concidit gyro, dominumque prono
Prodidit armo.
Incubant pratis pecudes relictae,
Taurus armento pereunte marcet.
Deficit Paſtor grege diminuto,
Tabidos inter moriens iuuencos.
Non lupos cerui metuunt rapaces.
Ceſſat irati fremitus leonis.
Nulla uilloſis feritas in urſis.
Perbibit peſtem latebroſa ſerpens,
Aret, et ſicco moritur ueneno.

Et VIRGILIVS, *in Bucolicis, lib. 3.* per Alpes et Noricum bouinam ouinamque peſtem truculentiſſime graſſatam fuiſſe, ex coeli morbo exortam, ſcribit. Quorum cadauera tam putridum euaporabant foetorem, ut homines uaria inde damna contraxerint. Sic autem Vates habet:

Verum etiam inuiſos ſi quis tentarat amictus,
Ardentes papulae, atque immundus olentia ſudor

Mem-

Membra ſequebatur, nec longo deinde moranti
Tempore, contactos artus ſacer ignis edebat.

Theſ. 47. Sed quaeri poteſt a curioſis, num homines Peſte correpti putrida, plus uiui inficiant alios, quam quidem cadauera mortuorum. Quantum ego iudicio ualeo, ex utraque puto cauſa non leue nocumentum fieri, magis tamen a corpore uiuo. De mortuo namque ceſſat ex ui uitae redundans contagium, licet aeris calor faciat putreſcere cadauera. Docuere tamen obſeruationes, plus affici ex uiuis, quam demortuis. Referam ſolummodo unum exemplum ex THOMA IORDANO, *Tract. 1. Phaenom. Peſt. cap. 18. p. 217.* quod ſane horrendum eſt, dicam tamen per uerba auctoris; *Praetereundum ſorte ob flagitii immanitatem forte fuerat, quod nuper admodum Vratislauiae Sileſiorum, Peſte depopulante, illic accidit. Veſpillo uirgineum cadauer, a propinquis formidine perculſis, uix dum egreſſa anima, deſertum, formae nulla ui illata, rubens conſpicatus, occaſione a ſolitudine capta, noctu extinctam mane iniuit. Tanquam re probe geſta, facinore gloriatus, per indicem Magiſtratui defertur. Hic, quia uſus eius tum neceſſarius erat, conniuere ſimulans, lues quam primum deſeruit, publice uirgis caeſum, exilio*

exilio multauit perenni. Indemnis hic euaſit. b)

Theſ.

b) Certe, ſi argumentum, hiſtoria, quam allegat, auctor, nitens, ad demonſtrandam, quam propugnat, ſententiam, ſufficeret, ſufficientiora ſane argumenta haberemus, ad multitudinem exemplorum, contrarium ei, quod modo inſinuatum fuit, euincentium, prouocantes; nam, ita matres peſte infectae, lactantes infantes, nullo ſubſequente detrimento, mammis admouerunt. Talis eſt, quam SALMVTHVS ſuppeditat, obſeruatio, *Cent. 1. obſ. 98. p. 58.* referens: quod Roslauii ad Albim, infans unius et duorum annorum, matris peſte infectae lac, et in morbo, et poſt mortem, hauſerit, nullo hinc hauſto contagio, et, ipſo etiam patre pereunte, ſuperſtes. Ex Ioachimi Camerarii obſeruatione, apud SCHENCKIVM, *lib. 6. obſ. med. p. 793.* infans, duabus nutricibus peſte laborantibus, ac pereuntibus, lactatus, uiuus ſanusque remanſit. Similia exempla habent, FORESTVS, *lib. 6. obſ. med. 9. p. 163.* STALPART *van der* WIEL, *c. 1. obſ. rar. 99. p. 397.* Ac GARMANNVS, *de Mirac. mort. lib. 2. tit. 2. §. 38. p. 363.* teſtis *αὐτόπτης*, refert, quod in peſte Chemnicenſi, 1680. infantes aliquot, qui matrum peſte contaminatarum; et huius truculentia obeuntium, mammis lacteque absque noxa uſi fuerunt, deprehenderit. Leuiora uero haec adhuc et minoris uidentur eſſe

Theſ. 48. Peſtis una contagioſior ſaepe altera eſt,

momenti, ſi reſpiciamus ea, quae inſeruit Vincentivs Fabricivs, *Miſcellaneis Curioſis*, *Ao.* 2. *obſ.* 188. *p.* 286. coitum, ſine contagii labe, cum infecto ſubiecto celebratum, metrice deſcribens. Huius quoque loci eſt hiſtoria, quam recenſet Beverovicivs, *Theſaur. med. part.* 2. *c.* 11. *p.* 212. *ed. German.* ſiſtens, ſingulare ancillae Amſtelodamenſis exemplum, quae, tribus locis peſte affecta, et in hortum deportata, iuueni amatori, cui deſponſata erat, ſingulis noctibus condormiuit, et, illaeſo iuuene, conualuit, de qua lectu dignum iudico, quod addidit auctor, epigramma: incubuit tactam non una peſte puellam ſponſus, et aegrota uirgine prurit amans. Figit pallidulis rorantia baſia labris, et media partes morte precantis obit. Non iuueni fuit ancillae facere illa moleſtum, nec fuit ancillae res grauis iſta pati. Ite procul medici. Non ſunt medicamina peſti, ſanatur ſponſo ſuccuba ſponſa ſuo. Si praeterea conſideremus, quod contagium peſtis, per ueſtes, culcitram, chordas, quibus peſte mortuorum cadauera terrae credebantur, corium et ſuber, uti peſtis ſutorum, Valentiae in Hiſpania 1648. graſſans, docet, Fracastorio, *lib.* 3. *de Morb. contag. c.* 7. *p.* 482. Alexandro Benedicto, *lib. de Peſte cap.* 3. Trincavello, *lib.* 3. *conſ.* 17. Kirchero, *Scrut. Peſt. cap.* 9. *p.* 103. *et* 104 Nicolao Massa, *tr.* 2. *de Peſte cap.* 1. teſtibus, fuerit propagatum, eo minus de de-

eſt, pro ratione putredinis, uolatilis magis, uel
T [illegible] uiſcido

trimento peſte mortuorum in ſanos quoque redundante dubitandum erit, quo certius conſtat, cadauera etiam a longiſſimo aerem corrumpere, uti pluribus SIMON SIMONIVS, *lib. 1. Methodi cur. peſtem p. 36.* probauit. Ita plures ex contagio cadaueris peſte extincti infectos interfectosque fuiſſe, narrat ZACVTVS LVSITANVS, *Prax. Admir. lib. 3. obſ. 43. p. 105.* Obſeruauit pariter Nouiomagi DIEMERBROECKIVS, *lib. 2. de Peſte Nouiomag. c. 3. n. 12. p. 94. et n. 19. p. 97.* contagium peſtilentiale, foetore cadauerum peſte extinctorum, in maiori templo ſepultorum, et pauca terra negligentius obrutorum, propagatum, multis fuiſſe exitioſum. Haec uero omnia, quam maxime illuſtrantur exemplo notatu digniſſimo, quod habet CASP. *a* REIES, *Elyſ. iuc. quaeſt. campo, qu. 66. §. 11. p. 525.* de tribus adoleſcentibus, qui inter ſe colludentes ſarcophagum intrarunt, ubi, a triginta transactis iam annis, peſtis tempore, plurima cadauera coniecta fuerant, et ſuper oſſa ambulantes, plurima commouerunt; ſed, quanto periculo, ipſi poſtmodum experti ſunt? omnibus quippe maligniſſimo morbo correptis, unus tantum euaſit. Ergo concludit auctor noſter, cum tanta ſit iſtius ueneni uis, ut diu etiam in oſſibus illorum, qui peſte extincti ſunt, ſopita reſeruetur, quanto potius in illis, qui a paucis horis exſpirarunt, et in quibus putridi infectique hu-

uiſcido implicitae. Sic Ao. 1475. tam contagioſa graſſabatur Peſtis, ut equi, qui corpora et ueſtes mortuorum ex peſte deferrent, bubones contraxerint, memorante CARDANO, *de Venen. lib. 1. cap. 14.* Sic Aranei in Aquitania Galliae, referente SCALIGERO, *Exercit. 86.* calceo pertritae, uenenum per ſoleas immittunt. Putredinem autem ex quacunque re ſemel occoeptam, non prorſus credibile eſt, durare per tam longum temporis, ac ipſa durat Peſtis,

---

mores, et uirulentae aliae humiditates adhuc calentem et peſtiferum uaporem a ſe emittunt, promtius contagium exire, diſſeminari, ac propagari putandum eſt. Optimum hinc eorum iudico conſilium, qui, ut aegroti peſte defuncti, aeſtiuo praeſertim tempore, mox terrae, et quidem peculiaribus coemiteriis, longius a ciuitate remotis, quae *Peſt-Gottes-Aecker* dicuntur, mandentur, praecipiunt. uid. FORESTVS, *l. 6. obſ. 25. p. 182.* VNZERVS, *lib. 1. de Peſte, cap. 16. qu. 3. pag. 103.* PANSA, *Conſil. Antipeſt. 2. c. 3.* Ideo, tempore peſtis, ex monito et conſilio HENRICI RANTZOVII, *Lib. 4. Comment. bellic. c. 15. n. 8. pag. 229.* mortuorum cadauera, quorumcunque etiam fuerint, ex naui eiiciantur omnia: non ideo, quod per mare corpus exanime, ut quidam pro certo aſſerunt, duci nequeat, ſed, ne inficiantur ſuperſtites reliqui. conf. GARMANNVS, *de Mirac. mort. lib. 2. tit. 2. §. 40. p. 364. et ſequ.*

Peſtis, nec in tot deferri regiones; ſed homines, qui, putrido aere hauſto, peſtilenti malo corripiuntur, halitu rurſus ſuo et putreſcentia aerem uicinum inficiunt, atque ſic proceſſus in infinitum dari poteſt. Hinc uel unus peſte affectus, plurimis contagium afferre ualet, non ſecus ac una meretricula, lue uenerea ſcatens, plurimos mares inficit, hicque rurſus alias, uel alios, ſerpente uitio per uaria contagii genera. Vt taceam, mercibus concluſam ſaepe mortem adferri a mercatoribus.

Theſ. 49. Verum, ſicut ſupra fuit probatum, pro diuerſitate ſolidorum et fluidorum in hominibus, diuerſas non tantum exoriri inclinationes animorum, ſed et facilem in aliis contagionem uenenorum, in aliis rurſus difficilem; ita hoc quoque in Peſte ualet. Vnde legitur, ſolos interdum mares, interdum ſolos infantes, numeroſis mortibus ſublatos, interdum armenta ſola. Sed, quod Valentiae, quae urbs Hiſpaniae eſt, Ao. 1648. peſtis derepente exorta, ſolos ſuſtulerit ſutores, tandemque hos, qui crepidas calceosque ab his coemerant, alia ratio eſt; illatum ſcilicet paulo ante per Algieriam nauim uenenum fuit Peſtis Africanae in ſoleis coriaceis et ſuberibus, quibus onuſta nauis erat. Credo tamen, Peſte multos corripi ex ſolo terrore et imaginatione, ut quoque putat HELMONTIVS, *Tract. de Tumul. Peſt.* Et BAGLIVIVS, *Prax. Med. lib. 1. c. 14. n. 2.* Nec, procedente tempore, tot corripiuntur, ac

quidem initio, propter conſuetudinem aeris morboſi, et timorem abiectum. Hinc Noſtrates bene prouerbialiter dicunt: *Inbillningen aer were aen Peſtilentien.* Imaginationem, et morbi timorem, ipſa peſte nocentiorem eſſe, et homines plus corripere, quam ipſam Peſtem graſſantem. Et HELMONTIVS, *in Tumul. Peſt.* terrorem peſtis cauſam facit, ita ſanguinem adficientem, ut inde fiat *Tartarus Cruoris*, hoc eſt, ut deinceps concludit, mucago quaedam, ſeu ſerum coagulatum, quod facile per glandulas haereat. Quod ſane adſertum multum contribuit ad Peſtis uim, ſi conſideremus, omnes affectus uehementes, indignationis, triſtitiae, et reliquos, totam ſaepe machinam ita perturbare, ut tollatur inde appetitus alimentorum, fiant ſuſpiria, oriantur lacrymae, et cetera longo ordine mala. Atque certe terror plurimam ſane partem facit ad contagium Peſtis continuandum, praeſertim apud foeminas, ut uiſum eſt Ao. 1719. in peſte Stockholmenſi.

Theſ. 50. Regnat autem talis putrida et alkalina Peſtilentia, et quam maxime ſaeuit in locis calidioribus, per Aſiam nempe, Africam, Americam Meridionalem. Quin et Europam ingreditur ſaepe, et Italiae, Hiſpaniae, Galliae, Angliae, Hungariae, Germaniae ac Poloniae uaſtitatem inducit. Sed rarior eſt in noſtro Septentrione, obſeruante id quoque iam ſuo

tem-

tempore OLAO MAGNO, noſtrate, *lib. 16. de Gent. Septentr. cap. 3.* Quippe, uti noſtram plagam extollit PLINIVS, *lib. 4. cap. 12. Hyperboreorum regio aprica, felici temperie, omni afflatu noxio carens.* Et, ſicut Peſtis, poſt humidam tempeſtatem, ſub-orto ingenti calore, praecipue regnare ſolet, ita etiam non incommode adſimilatur a quibusdam ſerpenti illi, qui nunc aquas, mox terram inhabitat, Cherſydro dicto, de quo ita VIRGILIVS, *lib. 3. Georgicor.*

Eſt etiam ille malus Colubris in ſaltibus anguis,
Squamea conuoluens ſublato pectore terga,
Atque notis longam maculoſus grandibus aluum;
Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus, et dum
Vere madent udo terrae, ac pluuialibus auſtris,
Stagna colit, ripisque habitans, hic piſcibus atram
Improbus ingluuiem, ranisque loquacibus explet.
Poſtquam exhauſta palus, terraeque ardore dehiſcunt,
Exilit in ſiccum, et flammantia lumina torquens

 Saeuit

Saeuit agris aſperque ſiti atque exterritus aeſtu.

Theſ. 51. Sed Peſtes iam deſcriptae, naturales ſunt, et ab ipſâ huius Vniuerſi Natura elaboratae, capaces ſatis uel unico anno totum genus humanum e medio tollendi. Nam, quae, PARACELSO Auctore, per Nymphas, Lemures, Satyros, Gigantes, Faunos, et Phitoniſſas fit Peſtis, a me non intelligitur. *c*) At ſagacitas malorum hominum intra hos limites conſiſtere, ſibi non duxit utile. Peſtis igitur artificialis in medium prorepſit, qualem THEOPHRASTVS ERESIVS memorat,

c) Sine dubio ſub his ridiculis terminis PARACELSVS, daemones, uel potius cacodaemones, intelligit; nam, et ab iisdem peſtem produci, productamque fuiſſe, multis eſt perſuaſum. Peſtem apud Epheſios a daemone excitatam allegat PHILOSTRATVS, *lib. de uita Apollonii Thyanei*; quod ſine dubio ipſius Apollonii tempore contigit, de illo quippe MARSILIVS FICINVS, *l. 3. de uita coelitus compar.* refert, quod Epheſii deprehenderit ſenem, ſub cuius figura latuerit daemon, ſola ſua praeſentia uniuerſam ciuitatem peſte contaminans, deſtruens. Mirum pariter peſtis genus commemorat RHODIGINVS, *antiqu. lect. cap. 6.* Conſtantinopoli, cui peſtis malum endedemium eſt, a daemonibus, uti dicitur, inductum. Plura de his uide apud CASP. a REIES, *lib. cit. quaeſt. 96. §. 13. p. 712. et 713.*

rat, per unguentum ex putrefactis hominum cadaueribus, oſſiumque medullis, et bufonibus compoſitum. Sic Pharmaceutriae Romanae, LIVIO *lib. 8.* memoratae, medicamentum concoxerunt peſtilens. Quin et memorat IVLIVS ALEXANDRINVS, Peſtem artificialem factam fuiſſe Patauii per tonſorem et ſacrificulum coniuratos, qui cadauera Peſte defunctorum in ius coxerunt, quo oſtiorum peſſulos, repagula, manubria, poſtes, limina, clathros ferreos, inunxerunt, tandemque idem inter tormenta confeſſi ſunt. Sic tempore, ut narrat XIPHILINVS, Commodi Caeſaris, inducta fuit atrox peſtis in urbe, duo millia quotidie tollens hominum, idque per maleficos homines, qui mercede pellecti, res uenenis oblitas in alios coniecerunt. Pariter in Gallia 1320. Artificialis Epidemia per Iudaeos introducta eſt, qui, cum toto regno exire iuſſi eſſent, per leproſos mendicosque, puteos quoslibet, fontes et ciſternas, uenenis infecerunt, quae peſtis totam Franciam exhauſit, inque uaſtitatem deduxit. Talem quoque Mediolani 1630. excitatam referunt per ſceleſtos homines, eodemque fere tempore in Hiſpania, ut METERANVS auctor eſt; uenenum uero poſtibus illinebatur, unde quoque nebulones iſti, uulgo *Engraiſſeurs* dicebantur. Et Ao. 1656. in oppido Sileſiae, Guraw, ueſpillo quidam, lucri gratia, non ſolum omnes puteos ueneno permiſcuit, ſed per ipſas etiam plateas puluerem quendam di-

diſperſit, qui tamen laxis praecipue foeminarum tunicis adhaeſit. Ingens inde clades, et ſupra 2400. homines mortui, ut Cl. HAPPELIVS, *Europ. Modern. lib. 8. meminit.* (d)

Theſ.

(*d*) Acutiſſima uenena, in minima atque inſenſibili plane mole, maximam agendi uim obtinere, pluribus dudum iisque funeſtis exemplis patuit. Non afferam iam SCALIGERI hiſtoriam, referentis, quod ſpeculum in Vaſconia, ad aranei tranſcurſum, crepuerit, LIBAVII obſeruationem duntaxat allegabo, applicabo, qui *lib. 1. batrach. cap. 11.* de quodam equite narrat, quod araneum cum magno bufone dimicantem inueniens, araneum uirga deiicere tentauerit, quam ad regendum atque incitandum equum manu gerebat; ſed, quid fit? uirga, ea parte, qua araneum tetigit, adeo penetranti acuti ueneni uirulentia imbuta deprehenditur, ut coreas tangens, per ipſas ueneno ad equitis tibiam diffuſo, mox ingentem tumorem cum cruciatu excitarit. Reſpondent his, quae habet SCALIGERVS, *Exercitat. 186.* de Vicentino quodam, qui conculcans pedibus araneum, uim eiusdem exitioſam, per calceamenti ſoleas penetrantem, ex funeſtorum ſucceſſu ſymptomatum percepit. Nullum igitur eſt dubium, quod hac ratione per malitioſorum hominum nequitiam et ueneficia, dum ueſtes, fontes, alimenta, potulenta, libros, chartas, ſubſellia, ocreas, calceamina, ſtapedes, uenenis inficiunt, morbus peſtilens ex-

Theſ. 52. Num uero eiusmodi enumeratae iam acredines, acidae uel alcalinae, per aera, quem haurimus, diſperſae, praeter noxam, pulmonibus, et ſanguini per eosdem tranſituro factam, aliis etiam corporis partibus per poros inſinuentur, non adeo liquet. Vero ſimile tamen uidetur, praeſertim, cum multi alii morbi per contactum cutis externae, uel ueſtimentorum, propagentur, nemine contradicente. Nec eſt, ut dubitemus, de inſigni harum particularum minutie, quum nullis oculis, nullo microſcopio, illam adſequi poſſimus. Conditiones autem atomorum, quae ſic ingredientur, et nocebunt, Nob. BOYLE, *de inſigni efficacia effluuiorum, c. 1.* enumerat ſequentes: uidelicet 1) quod ſit magnus effluuiorum numerus, 2) quod ſint penetrantia, 3) quod celerrime moueantur, 4) quod mole ſua congruant poris corporis laedendi, 5) quod uarios ſic motus excitent in corpore, 6) quod aptitudinem habeant et uim, ad motum, quem aer ipſis communicat, continuandum.

Theſ. 53. Quomodo autem noxia iſta miaſmata et corpuſcula acria per poros corporis pe-

 netrare

citari et propagari queat, uti exemplis adductis ſimul probant ac demonſtrant ANDROINVS, *lib. 1. de Venen. cap. 8.* PONZETTVS, *lib. 7. c. 2.* NICOL. FLORENTINVS, *ſerm. 4. tract. 4. cap. 5.* GREVINVS, *de Venen. lib. 1. cap. 1.* GVAINERIVS, *de Venen. cap. 1. 2. et 22.*

netrare et ingredi queant, idem BOYLE multis experimentis et ratiociniis explicat, *Tentam. Porolog. c.3.4.et 6.* Quod uero cutis ipſa ſit tranſpirabilis, triginta annorum lucubrationibus ſedulus euicit SANCTORIVS, *Med. Stat.* HIPPOCRATES quoque, *Epidem. 6. Sect. 6.* ſic infit: indicio eſt ſenſus ipſe, quod exſpirabile et inſpirabile ſit totum corpus. Nec tantum cutis eiusmodi hiat meatibus, ſed et ipſa ſolidiſſima oſſa, unde Mercurius ſaepe in oſſium rimis poſt ſaliuationem inuentus eſt, ut uir ſuo tempore magnus, eruditus et candidus, IOANNES LANGIVS ſe uidiſſe ait, *Ep. 43.* et ex CASTELLO, Medico Romano, refert WEPFFERVS, *d. Apoplex. p. m. 303.* Maxime tamen propagatur peſtis contagium per ea, quae inſpirantur: et credibile eſt, magnam quoque acredinis partem per aera diſperſae, ſaliuae communicatam, ſic per oeſophagum deſcendere, deglutiri, ulteriusque deferri. Hinc procul dubio enormes iſti uomitus in principio febrium peſtilentium, uentriculo per deglutitum uenenum inflammato, ipſique eſchara nigra inuſta. Hinc HELMONTIVS, *Tumul. Peſt.* quendam peſte correptum, ac continuo uomiturientem, cum cephalalgia, ac intra horas ſeptem morientem, diſſecuiſſe ſe ſcribit, atque os ſtomachi eſchara nigra cauteriſatum reperiſſe. Hortor itaque Medicos, Peſti curandae inſeruituros, ut nunquam ſaliuam deglutiant, cum qua morboſus aer mixtus fuerit, quin potius ore iuniperum

detineant,

detineant, fruſtulum citri, offam panis aceto madefactam, aut alia id genus uegetabilium acida, quibus acres aeris ſales retundantur. (*e*)

Theſ. 55. Nam, quae Ao. 1696. et 1697. Peſtis hic ſaeuiebat, non ſolum famelica dicenda erit, ſed acredinem quoque aeris in ſui exordia adſumſerat. Praeceſſere enim anni humidi, ſequebantur calidiſſimi, et urentiſſimi aeſtus, ita ut miſeris corporibus intus fame, extus calore febrientibus, multa hominum millia obirent. Atque tum temporis non male in Scythiam noſtram referri poterant illa Poetae, *lib. 8. Metamorphoſ.*

Eſt locus extremus Scythiae glacialis in oris,
Triſte ſolum, ſterilis, ſine fruge, ſine arbore, tellus,

Frigus

(*e*) Hoc, non ſaltem tempore peſtis, et in cura aegrotorum, peſte infectorum, neceſſarium eſt, ſed hanc etiam cautelam ſummo ſtudio in medela aegrotorum, febribus acutis, ſcabie maligna, lue uenerea, et ſimilibus morbis contagioſis, decumbentium, medici, ſibi ipſis ſimul proſpicientes, obſeruare debent. Et, cumprimis in cura luis uenereae, ptyalimi miniſterio perficienda, maſtichen ore detinendam, maſticandam, et frequentem ſaliuae excretionem, commendauerim; imo, operae pretium, ut domum redeuntes, os aqua ſimplici probe colluamus, eluamus.

Frigus iners: illic habitant Pallorque Tremorque
Et ieiuna Fames.

Quocirca haec annonae caritas, aerisque hoc uitium homines olim ad loca ſalubriora, et uictu alimentisque magis inſtructa, incredibili migrationis numero deduxit. Sic Aeneas cum ſuis profugus ab excidio Troiae ex Creta ob eandem cauſam abiit. Poeta ſub nomine eius ſic canit, *lib. 3. Aeneid.*

Iura domosque dabam, ſubito cum tabida membris
Corrupto coeli tractu, miſerandaque uenit
Arboribusque, ſatisque lues, et lethifer annus.
Linquebant dulces animas, aut aegra trahebant
Corpora; tum ſteriles exurere Sirius agros
Arebant herbae, et uictum ſeges aegra negabat.

Atque haec ſunt, quae a me dicenda erant de Veneno Peſtilentiali, per omnes ſuas, mihi quidem cognitas, cauſas, conſiderato. Fateor, multa adhuc poſſe peſtem cauſari, quae nunquam forſan ab ullo Medico uel cogitatione ipſa penetrari poſſint, aut comprehendi.

CAPVT SEXTVM.

In ſpecie de Venenis Febrium Acutarum, Luis Venereae, Leprae, ac Humoris Melancholici, agit.

Theſ. 1. Sequuntur ſporades morbi, qui, cum per uniuerſum graſſantur populum, a uitio aeris tenui, craſſo, acri, humido, uel nimis frigido, orti, ipſiſſimam illam conſtituunt iam dictam Peſtilentiam, ſed, ſingulares cum occupent domos, inque uno uel altero priuato lare magis ludant, Peſtis nomine depoſito, ſingularem ſibi adſumunt denominationem, a ſymptomatis extantioribus atque magis mortiferis, uel ab ipſo modo contagionis, nuncupati. (*f*) Nec inter

(*f*) Morbi ſporades uel ſporadici, morbos uagos, omni tempore, omnique in loco euenientes, Latinis notant; *σποραδικὰ νοσήματά ἐςι*, inquit GALENVS, *in defin. med. τὰ ἐν παντὶ χρόνῳ καὶ τόπῳ γινόμενα.* Intelliguntur hinc per eosdem non ſaltem morbi, hoc illudue ſubiectum, ſine contagii ſuſpicione, affligentes, ſed omnis generis morbi, ſpecie diuerſi, qui, uno eodemque tempore, more epidemiorum, plures ſimul inuadunt et afficiunt, ita, ut alii intermittentibus, continuis alii laborent febribus; alii ita dictis catarrhis uexentur, diarrhoea corripiat alios.

inter epidemios et populares, ſporadesque ſeu ſingularium hominum morbos, aliud eſt diſcriminis admittendum. Endemii uero, et non niſi in eodem loco contagioſi morbi, agnoſcunt aliquod ſui principium minus uolatile, ſed ab aquarum uel alimentorum ipſiusque ſoli natura dependet, nec ultra fere niſi in ſuae regionis incolas propagabiles ſunt. Sporades tamen morbi, diligentius conſiderati, eundem ortum, progreſſum, affectus, ac ſymptomata, habent, ac Peſtis ipſa, mitiora autem haec omnia, et minus ſaeuientia, perpenſisque bene cauſis, unde fuerint orti, medicina pro re nata adhiberi poteſt. Sed, quaerenda ſaepe cauſa horum morborum eſt in ipſo homine, conſideratoque ſolidorum et fluidorum diuerſo in diuerſis ſtatu, ac mutationibus bene examinatis, facile in naturam ipſius peruenitur. Hinc infantum morbi plerumque ab acido, et ſolidis flaccidis; adultorum contra ab alkali plerumque, et ſolidis ſtrictis, ſed non ſemper.

Theſ. 2. Inter morbos ſporades, a ueneno aliquo externo, uel interno ortos, praecipue eminet *Dyſenteria*, (*g*) quae ſaepe fit ex deglutita

(*g*) Dyſenteria, morbus eſt acutus, ob acutam, quae illi ordinario ſociatur, febrem, ab inteſtinorum eroſione atque inflammatione ortum trahens; unde, praeter aeſtum, ſitimque uehementem, perpetuus adeſt teneſmus, grauiſſimorum comes torminum, cui iungitur, nunc parcior, nunc

tita per oeſophagum acredine aliqua, aeri im-
mixta,

copioſior materiae mucoſae, bilioſae, purulentae, ſanguinolentae, membranoſae, excretio. Quo ipſo perfacilis eſt dyſenteriae a fluxu alui cruento chronico, a fluxu hepatico, a fluxu haemorrhoidali critico et ſymptomatico, cum quibus a multis dyſenteria confunditur, diſtinctio. Ita ab AEGINETA, *l. 3. c. 42.* dyſenteria, *ἕλκωσις τῶν ἐντέρων*, uocatur, ſequente GALENVM, *in defin. med.* hac dyſenteriae definitione uſum: *δυσεντερία ἐςὶν ἕλκωσις ἐντέρων μετὰ Φλεγμονῆς καὶ ἀποκρίσεως αἱματωδῶν ἢ τρυγωδῶν, ἤγε καὶ ἀποκλυσμάτων, μετὰ τȣ̃ δάκνεσθαι καὶ ἀλγεῖν τὴν κοιλίαν καὶ τὰ ἔντερα* Diſtincte omnia, omniaque perſpicue, de dyſenteria dicenda, hiſce expoſuit CELSVS, *de Medic. l. 4. c. 15.* proxima his inter inteſtinorum mala, tormina eſſe conſueuerunt: *δυσεντερία* Graece uocatur. Intus inteſtina exulcerantur: ex his cruor manat: isque modo cum ſtercore aliquo ſemper liquido, modo cum quibusdam quaſi muſcoſis excernitur, interdum ſimul quaedam carnoſa deſcendunt. Frequens deiiciendi cupiditas, dolorque in ano eſt. Cum eodem dolore exiguum aliquid emittitur, atque eo quoque tormentum intenditur, idque poſt tempus aliquod leuatur, exiguaque requies eſt: ſomnus interpellatur: febricula oritur: longoque tempore id malum, quum inueterauerit, aut tollit hominem, aut etiamſi finitur, excruciat. Plura de genuino

mixta, cuiuscunque generis et illa ſit, ſiue ſumme acida metallica, ſiue ſumme alkalina ac putrefaciens. Interdum fit ab uuis, aliisque Pomonae donis, imprudentius et auidius comeſtis. Saepe quoque in diariis Bellicis Medicorum caſtrenſium legi, dyſenteriam ortam fuiſſe ex aquae potu ſolo. (*b*) Quod tamen cum grano

eiusdem morbi ſenſu, quo ueteres eundem acceperunt, inuenies GALENO, *in lib. Hippocratis, de artic. Comment. 4. et de loc. affect. lib. 6. cap.* 2. item, *de ſymptom. cauſis lib. 3. cap. 2.* TRALLIANO, *lib. 7. cap. 21.* apud interpretem uero *lib. 8. cap. 3.* et *lib. 10. c. 2.* apud interpretem, *lib. 8. cap.* 7. ACTVARIO, *lib. 1. de diagnoſ. pathem. cap. 41.* apud interpretem *cap. 21.*

(*b*) Dyſenteriae, potum lixiuioſum ſequentis, exemplum, affert RHODIVS, *Cent. 2. obſ. 86.* A potus quoque uſu, cui inhaeſerunt muſcae, cobalto enecatae, idem excitatum fuiſſe malum, teſtantur *A. N. C. Dec. 3. ao.* 7. *obſ. 174.* Nunquam autem ab aqua ſimplici, ſalium acrium experte, niſi improuide, poſt uehementem corporis commotionem, hauſta, dyſenteria producetur. Aqua potius ſimplex, optimum quandoque dyſenteriae remedium fuit, teſte HAGENDORNIO, *Obſeruat. med. Cent. 2. hiſt. 29. p. 194.* Circumſpectus uero ſis, in dyſenteriae cura aquam adhibens, recordando ea, quae de cura dyſenteriae per aquam frigidam admodum periculoſa, allegat, et monet FABRICIVS HILDANVS, *Cent. 4.*

grano ſalis accipiendum eſt: nam, ſi ante probatum ſit, eiusmodi aquas acre aliquod conti-
V nere,

obſ. 43. Diuerſiſſima omnino eſt origo dyſenteriae, multiplices ſunt, a quibus eadem oritur, cauſae; diſcrepant quam maxime inter ſe ſymptomata, iam grauiorem iam leuiorem inteſtinorum laeſionem innuentia. Dyſenteriae, ſuppreſſo fluxui menſtruo ſuccedentis, hiſtoriam affert ZACVTVS LVSITANVS, *Prax. Admir. lib.* 2. *obſ.* 191. Similem habui obſeruationem in uirgine aegrota, quae maxime plethorica, ſuppreſſo fluxu menſtruo, in dyſenteriam incidens, accepto repetitis uicibus remedio purgante, altero ex rhabarbaro compoſito, altero ex pilulis Becherianis ſpiritu uini ſolutis, conſtante, a binis medicis ad curam requiſitis, praeſcriptis, omisſa uenae ſectione, hic adeo neceſſaria, gangraena et ſphacelo correpta, obiit. Plura de diuerſa dyſenteriae origine, ſymptomatibus, ac medela, inuenies apud PLATERVM, *obſ. lib.* 3. *a p.* 806. *ad* 826. GABELHOVERVM, *Cent.* 1. *Cur.* 45. *et* 50. *Cent.* 2. *Cur.* 68. DIEMERBROECKIVM, *obſ.* 17. 18. 28. 29. BARTHOLINVM, *Act. Haffn. Vol.* 2. *p.* 138. ZACVTVM LVSITANVM, *Prax. Admir. l.* 2. *obſ.* 20. *et l.* 3. *obſ.* 91. *et Med. Princ. hiſt. lib.* 2. *hiſt.* 88. *p.* 335. SALMVTHVM, *Cent.* 3. *obſ.* 55. HAGENDORNIVM, *Cent.* 2. *hiſt.* 39. *pag.* 195. SMETIVM, *Miſc. l.* 5. *Ep.* 13. BORELLVM, *Cent.* 1. *obſ.* 57. *A. N. C. Dec.* 1. *ao.* 2. *obſ.* 44. *et obſ.* 212. *et ao.* 5. *obſ.* 237. *it. Dec.* 3. *ao.* 7. *obſ.* 174.

nere, uel guſtu, uel odore, artisue beneficio, explorabile, facile hoc largior; ſi uero in aquis potis nihil culpandum ueniat, crediderim, famem potius culpandam eſſe, inſolitos et ſemiputrefactos ſaepe cibos, foetoremque aeris ex tot hominum animaliumque emortuorum, aut uiuorum corporibus excitatum, uenenum praeterea atrae bilis intra uiſcera prognatum, humana, nunc uero longis itineribus, labore et calore inſolito tenuatum, atque excuſſum in canalem inteſtinorum. Incipit cum ſaeuis torminibus, ſequuntur deiectiones cruentae, febris, ſitis, dolor, ingens cruciatus, debilitas, lingua ſicca. Omnes autem deiectiones ſunt mucoſae, et fibroſae, non ſtercoroſae, ex acri, inteſtinorum uillos deglubente: cui muco ſanguis interſtinguitur purus; non tamen ſemper, eodem interim manente nomine dyſenteriae. Et, cum dyſenteriam praeceſſit rigor et horror, et calor, credibile eſt, humores calidos et acres ex ipſa ſanguinis maſſa per arterias meſeraicas in inteſtina deponi. Bene tamen diſtinguendus eſt morbus ab haemorrhoidibus apertis, uel coecis. Talis dyſenteria Ao. 1698. ex aeſtu nimio per patrium ſolum, Wermelandiam, graſſabatur, puerilem maxime aetatem, aprico gaudentem, et pecora infeſtans. Saepius hic morbus ab alkalino putrido eſt, quam ab acido.

Theſ. 2. Cui analogum eſt *Venenum Variolarum*, quae Noſtris *Koppor* dicuntur, notiſſimus ob puſtulas ſuas maiores morbus. Cum hor-

horrore et rigore inuadunt, ſicut omnes febres, quem excipit calor magnus, capitis ac dorſi dolor, uomituritio, dolor in ſcrobiculo cordis, ſtupor et ſomnolentia, interdum conuulſiones, diarrhoea in infantibus, in adultis ſaliuatio, febris, ſitis, angina, deglutitio laeſa, reſpiratio impedita, contagium, idque alkalinum uolatile ſaponaceum, aerem inficiens, infecturum mox illos, qui hoc morbo antea occupati non fuerunt. Sed, dum materia uarioloſa intro uertitur, ſubſidentibus puſtulis, phrenitides oboriuntur, anxietates, iactationes uehementes, coma ſomnolentum, haemorrhagia narium, aut mictus ſanguineus, et mors ex uiſcerum gangraena. Naturaliter autem undecimo die iudicari ſolent. Morbilli uero, Noſtris *Mesling*, ſunt puſtulae minores, tenellam infantulorum aetatem infeſtantes. Incipiunt et hi cum horrore corporis et rigore, oculis humidis, et pandiculatione: quem ſtatum nunc excipit calor, nunc frigus, idque primo die. Sed diem ſecundum febris occupat ſatis acuta, cum ſiti, lingua alba, quam χαλάζαν Graeci dixere, tuſſicula, capitis dolore, grauedine, et ſomnolentia. Oculi et nares lacrumant, aeger ſternutat, palpebrae ipſi paulo ante eruptionem intumeſcunt, et uomit. Saepe adiungitur diarrhoea uiridis. Plerumque quarto die erumpunt puſtulae inſtar lentium paruarum, rubrarum, quae numero et magnitudine auctae et coeuntes, racemos conſtituunt, inque ua-

V 2 rias

rias maculas rubras grandiuſculas coaleſcunt. Partes tamen, quae aeri magis obiiciuntur, maxime occupant. Poſt eruptionem uomitus plane ceſſat, ſed tuſſis et febris ingraueſcit cum aſthmate et oculorum lacrimis, ſomno et cibi faſtidio. Vix ultra octiduum protrahuntur. Et tunc oritur difficilis peripneumonia, quae in diarrhoeam ſymptomaticam ſaepius faceſſit, aegrum necantem.

Theſ. 4. Horum quaedam leuior ſpecies eſt, *Febris Scarlatina*, quando uniuerſa cutis maculis paruis, rubris, crebris, ſed latis, interſtinguitur, aegris tamen ſaepiſſime propter hoc malum lecto non affixis, ſed febriculam fortiter ferentibus, per diarrhoeam aliquando, interdum per ſudores, critice euaneſcentem, Sic Ao. 1706. ſaeuiente calidiſſimo aeſtu, ab aequinoctio uerno in Septembrem, per totam Stockholmiam, et Vplandiae Sudermanniaeque uiciniam, uagabatur haec morbillorum leuium ſpecies, omnes fere pueros et puellas corripiens, neminem uero iugulans. Variolas autem morbilloſque, tam notum orbi noſtro iam malum, ueteribus Medicis incognitos morbos fuiſſe, multi ſibi perſuadent, et tempore demum Medicorum Arabum incoepiſſe. Ego tamen, ſaluis aliorum de hac re ſententiis, morbi hoc genus ab ipſis mundi initiis primordia ſumſiſſe, puto, ueteribusque Medicis Graecis, ſub nomine τῶν ἐξανθημάτων non ignotum fuiſſe, licet ea tempeſtate per ſimplicitatem alimento-

mentorum, maxime uegetabilium, non tam ſaeuierint, ut hodie in luxu Parentum uario, morbus ſit multo grauior.

Theſ. 5. Conſtitutio autem annorum praecedentium humida, frigida, et poſtmodum aeſtuans, multum facit in hoc negotio, unde quoque huius mali uis toties uariat. Et, quo magis propter aeris frigus perſpiranda retinentur, eo crudeliores erunt hi morbi. Maximum tamen fundamentum illis ponitur in uictu peruerſo et ludicro ipſius matris, menſiumque retentione. Infantes quoque uariis eduliis ineſcantur, et carnium praematuro uictu. Hinc uidemus, uulgarium hominum et uili trahentium uitam uictu liberos, non tam crebris, nec tam acribus affici morbillis et uariolis, quam ditiorum, uentris luxuriem uario Ignium Indicorum adparatu irritantium. Namque, quod uſus Aromatum acrium, hos non ſolum, ſed et alios omnes in ditiori gente morbos, multo peiores faciat, et curatu difficiliores, quam in miſera plebecula, uno ſolummodo condimento, fame ſcilicet, et ſale, ſuas pulticulas condiente, nullus dubito. Et, quantum ad morbillos uariolasque, reuiuiſcit forte hoc ipſo, quae exploſa hactenus, ALEXANDRI TRAIANI PETRONII, ueteris Romani Medici, *in libro de Victu Romanorum*, ſententia, qui a putredine menſtrualis alimenti, ad iſtius ſeculi genium, uariolas deduxit. Vterque autem hic morbus, eſt conatus Naturae, inutilia, im-

meabilia, et torrentem ſanguinis interrumpentia, ſegregantis ac deſpumantis. *i*) *Th.* 6.

(*i*) Antiquos, et dudum iam notos morbos, auctis atque exaſperatis ſymptomatibus, malignam cauſarum magis corruptarum indolem ſequentibus, medicis nouorum ſpecie affectuum imponere, haud rarum, nec mirum eſt, cum plures ex eorum numero minus diſtinctam tum naturalis tum praeternaturalis ſtatus cognitionem habeant. Ita omnino certum eſt, quod Hippocrati Galenoque non ignotae fuerint uariolae, ſub titulo exanthematum, iam febris expertium, iam cum eadem iunctorum, tum ſiccorum, tum pus fundentium, deſcriptae, in quo conſentientem habeo ZACVTVM LVSITANVM, *Med. Princip. hiſt. pag.* 164. Rationi hinc et experientiae maxime conſentanea HVETII ſententia, *ex Gregor. Turon. lib.* 6. *cap.* 14. referentis, quod uariolae iam anno 520. in Gallia obſeruatae, et hinc ab Afris non in Europam traductae fuerint. Si uero ullus eſt morbus, qui quandoque ſine cauſa timetur, et temere ſaepe negligitur, ac parui habetur, idem ſane, eſt febris uariolacea. Et, quid demum peruerſa hominum dementia, de huius mali cauſa et origine, de methodo uariolas praeſeruandi, et feliciter curandi, non excogitauit. Quid dicam de uariolarum inſitione ac tranſplantatione? pus et corruptam materiam e corpore expurgare, minime uero eidem ingerere, multo minus per uulnus inflictum inſerere decet. Diſplicet mihi pariter methodus Gundelsheimeri, *Act. Berolinenſ. Dec.* 2. *Vol.* 2. *p.* 42. recitata, qui per emetica repe-

Theſ. 6. Res tamen eſt mira atque hactenus forte inaudita, quae ſequitur. Varioloſus hicce morbus, non tantum homines occupat, ſed etiam in Lapponia per animalia bruta, *Rangiferos* nempe, noſtris *Reenar* dictos, regnat, Lapponibus et uicinis Weſterbothnicenſibus *Kormſiecka* adpellatus. Eſtque haec ſola Peſtis, quam in animalibus ſuis ſupra modum reformidant Lappi, ingenti numero quotannis per hanc trucidato. Qui uero Rangiferi euaſerunt, ſtigmata quaedam et maculas per omnem pellem ferunt, ut conſpicere eſt in pellibus, a coriariis iam praeparatis, non aliter ac in hominibus uariolas paſſis ſcrobiculi eiusmodi conſpiciuntur. Quod phaenomenon mihi retulit uir fide dignus et per omnia candidus, ZACHA-

tita uice oblata, uariolarum curam temere ſuſcipiebat. Non medicus, ſed purgantius, erat Gundelsheimerus. Ita peraeque iudicandum de Variolarum origine; nam abſona eſt illorum ſententia, qui uariolarum cauſam materialem a ſanguine menſtruo ſuppreſſo, quem foetus nutritioni impendi aſſerunt, deducunt; cum tamen foetus in utero minime ſanguine, ſed limpha ſanguinis gelatinoſa, eaque defecatiſſima, nutriatur. Si plura de uariolis notatu digna deſideras, euolue *A. N. C. Dec. 1. ao. 4. obſ. 283.* FABRICIVM HILDANVM, *Cent. 3. obſ. 99. Cent. 4. obſ. 28. et Cent. 6. obſ. 77.* SALMVTHVM, *Cent. 1. obſ. 35.* BORELLVM, *Cent. 3. obſ. 10.* RHODIVM, *Cent. 1. obſ. 24. et 26.* BLEGNY, *Zodiac. Gallic. ao. 1682. Febr. obſ. 26.*

RIAS PLANTIN, Weſterbothnienſis, Philoſophiae Magiſter, ac in Gymnaſio Hernoſandenſi Hiſtoriarum lector. Num uero in aliis brutis praeter Rangiferos talis ſit obſeruatus morbus, mihi non adhuc innotuit. *k*) Si contigerit, Rangiferos hoc malo corripi tempore aeſtatis, uermiculis ulcera ſcatent, et brutum moritur.

Theſ. 7. Sed febres ardentes ab infinitis paene cauſis fiunt, quae pungere, ſecare, ſcindere, extenuare, aut coagulare ualent. Hinc origo interdum earundem in acido, interdum mechanico acri, interdum alkalico, quaerenda eſt. Magis tamen et quam ſaepiſſime fiunt ab alkalino ſale, per putredinem externam uel internam orto. Aliquando retentum Perſpirabile Sanctorianum, haerens in capillaribus reſiſtentiam facit, liquidis a corde recta propulſis, et ſanguinem auget; unde ex uario ſanguinis ad uaſa lateralia attritu calor incipit, et cor cogitur ad plurimas ſed inanes ſyſtolarum repetitiones: exonerare enim ſe nequit, reſiſtentibus in capillari uaſorum genere perſpirandis, quae materia ex mora

(*k*) Variolas in aliis quoque animantibus brutis, arietibus nempe, equis, etc. obſeruatas fuiſſe, confirmat ZACVTVS LVSITANVS, *Med. Princ. Hiſt. Lib.* 2. *hiſt.* 3. *p.* 168. Venatorum praeterea teſtimoniis ſatis conſtat, et capreas eidem morbo eſſe obnoxias, multasque eodem perire, multasque reſtitutas, diſtinctis in cute cicatricibus, et ſcrobiculis, atrocis morbi, quo laborarunt, ſigna exhibere.

ra ſtagnationis putreſcit et alkaleſcit, uariaque ſic uaſorum irritatione, febrim auget, ſanguinem reddit acriorem atque acriorem, eumque primo tenuem facit, mox coagulat.

Theſ. 8. Febres autem in uarias ſpecies diſtinguuntur, a loco, quem maxime occupant, ita dictas, uel ab alia qualitate, remanente ſemper idea et natura ipſius febris. Tales ſunt *Pleuritides*, quae oriuntur, poſtquam gelu grande fuit, et derepente calidior tempeſtas ſuperuenit. Adgrediuntur homines temperamento ſanguineo, ruſticos, et duro labori adſuetos. *l*) Plerumque inci-

(*l*) Non ſaltem huiusmodi homines magis, ob ſuccorum copiam, his morbis, prae aliis, obnoxii ſunt, ſed etiam citius iisdem pereunt, teſte HIPPOCRATE, *Coacis praenotionibus*: *τῶν σωμάτων τὰ γεγυμνασμένα καὶ πυκνὰ θᾶσσον ὑπὸ τῶν πλευριτικῶν καὶ περιπλευμονιακῶν ἀπόλλυντε τῶν ἀγυμνάςων*, denſa nempe et exercitationi aſſueta corpora, citius ex pleuritide et peripneumonia moriuntur, quam quae ſine exercitatione degunt. conf. SPONIVS, *nou. aphor. Sect. 3. §. 43. pag. 133. et 134.* Pleuritides uero ac peripneumoniae haud raro epidemice graſſantur, atque adeo malignae et peſtilentes ſunt, ut cum praecipiti omnium uirium proſtratione inuadentes, plurimos citiſſime, interdum ſecundo tertioue die, iugulent. Succedunt autem huiusmodi febres inflammatoriae, uti probe aduerterunt, DODONAEVS, *c. 27.* et LAELIVS *a*

incipiunt cum rigore, quem excipit calor, ſitis, inquies, et poſt paucas horas ingens lateris dolor punctorius, nunc uerſus omoplatam, nunc ſpinam, nunc uerſus anteriora pectoris. Adeſt tuſſis, dyſpnoea, tandemque, ſi uictum natura malum fuerit, oritur in initio diarrhoea critica, uel et obſtructum uertitur in pus bonum, coctum, atque exſpuitur. Sed, ſi contigerit, hoc pus in cauum delabi pectoris, fit empyema. Raro autem occupat pleuram, meo quidem iudicio, ſed magis pulmonem. m) *Anginae* porro *Epide-*

FONTE, *Conſult. med. 3.* repentinis et uehementibus aeris mutationibus, quando nempe magnos aeſtus ſubitum et penetrans excipit frigus, aut rigidum frigus calidior ſubito ſequitur tempeſtas, aut quando inaequalis inque dies pene ſingulos noctesque, aut quasuis fere horas aer mutatur. Talis pleuritidis epidemicae exempla, ZACVTO LVSITANO, *Med. Princ. hiſt. lib. 2. hiſt. 9. et ſequ.* VALLERIOLA, *lib. 6. obſ. 2.* CASP. *a* REIES, *lib. cit. qu. 90. A. N. C. Cent. 1. pag. 2. append.* occurrunt.

(*m*) Huic ſententiae HIPPOCRATES fauet, diuerſis in ſcriptis, imprimis autem, *libr. de locis in homine, text. 24.* aſſerens: peripneumoniam fieri ambobus pulmonum lobis offenſam ſubeuntibus, pleuritidem uero, uno duntaxat pulmonum latere, uel ſiniſtro, uel dextro, inflammatione affecto. Huius deinde ueſtigiis inhaeſit, HEROPHILVS, apud AVRELIANVM, *lib. 12. de paſ-*

Epidemicae eandem agnoſcunt, cum pleuritide, cauſam,

ſion. cap. 25. *et lib.* 2. *acutorum cap.* 4. 6. *et* 7. peripneumoniam per tumorem in toto pulmonis corpore exiſtentem, pleuritidem uero per tumorem certae duntaxat pulmonum parti inhaerentem, deſcribens. Ab his GALENVS, et plures eundem ſequentes diſſentiunt, qui pleuritidem, membranae pleurae, coſtas intus ſuccingentis, inflammationem, dicunt. Ita enim GALENVS, *lib.* 1. *de acutis affect. cap.* 10. ratiocinatur: *ὑπὸ τῇσι πλευρῇσι καὶ τῇ ῥάχει, καὶ τῷ ἔνθον θώρηκι ἀχρὶ κλειδῶν ὑμὴν λεπτὸς, κραταιὸς, ὑπέστρωται, τοῖσι ὀστέοισι προσπεφυκὼς, ὑπεζωκὼς τοὔνομα· ὧδε, ἐπὴν φλεγμονὴ γένηται, πῦρ ξὺν βηχὶ καὶ πτυάλοισι ποικίλοισι, πλευρῖτις τὸ πάθος καλέεται.* Huic aſſerto calculum ſuum addiderunt AEGINETA, AETIVS, TRALLIANVS, et centum alii; *ἡ κυρίως πλευρῖτις*, ſcribit AEGINETA, *lib.* 3. *cap.* 33. *φλεγμονὴ τοῦ τὰς πλευρὰς ὑπεζωκότος ὑμένος ἐστὶν, ᾗ συνεδρεύει δύσπνοιά τε καὶ βὴξ, καὶ συνεχὴς πυρετὸς, καὶ πόνος δικνῶν ἄχρι κλειδὸς καὶ ὑποχονδρίου.* Similiter ab AETIO, *lib.* 8. *cap.* 76. *ἡ ἀκριβὴς πλευρῖτις, φλεγμονὴ τοῦ ὑπεζωκότος ἔνδοθεν τὰς πλευρὰς ὑμένος*, uocatur. Eadem fere de pleuritide leguntur apud TRALLIANVM, *lib.* 6. *c.* 1. ſcribentem: *πλευρῖτις, ἡ κυρίως πλευρῖτις· οὐ γὰρ πᾶσα ὀδύνη πλευρῆς, πλευρῖτις ὀνομάζεται· ἡ γὰρ κυρίως πλευρῖτις, φλέγμονή ἐστι τοῦ τὰς πλευρὰς ὑπε-*

cauſam, ſanguineosque occupant, praecipue uero coloris ruffi. Rigent primo horrentque, mox calent, dolent fauces, et inflammantur; et niſi ſuccurratur, homo intra breue tempus ſtrangulatur, praecluſo ſpiritu. Nec eſt periculoſior alter morbus. Vterque morbus agnoſcit cauſam, ſanguinem in uaſis minimis ſtagnantem, qui mora ſua et actione cordis attenuatus fit acer et alkaleſcens.

Theſ. 9. Rheumatiſmus autem, ſeu *Arthritis*

ζωκότος ὑμένος. Obſcurata hoc modo, et tenebris abdita ſententia Hippocratis, dogma Galenicum diu ab eiusdem aſſeclis propugnabatur, donec tandem ZECHIVS, magis anatomicis demonſtrationibus, quam Galeni fidens auctoritati, contrarium euicerit, *lib. 2. de corporis humani ſtructura, atque in Append. Conſult. med.* 26. referens, et attreſtans, quod in ſectione eorum, qui pleuritide obierunt, non pleuram inflammatum, ſed pulmones cum ſua membrana et laceratos et corroſos deprehenderit. Sed hodie iam crambe decies cocta et reiecta, denuo ſub nouis et pluribus terminis, (quaſi eorum defectu laboraremus,) nempe ſub titulo pleuritidis, peripleuritidis, pneumoniae, et peripneumoniae, affertur, commendatur, cum haec omnia per diſtinctionem pleuritidis et peripneumoniae in ueram et ſpuriam, iam expedita atque exhauſta ſint.

tis uaga, et *Lumbago Rheumatica*, *n*) Nephriti-

(*n*) En abuſum terminorum technicorum! nonne rheumatiſmus idem cum catarrho notat, ſi proprietatem et originem uocum reſpicimus. Quid ſibi uult lumbago, qua, et in deſcribenda tabe dorſali, abutuntur medici? Quid arthritis uaga, febrem tum continuam, tum intermittentem, artuum dolore ſociatam uago, aut eundem febris omnis expertem, ut aliorum fert opinio, notans? Paucis: rheumatiſmus et catarrhus, ſi uim uocum attendas, unum idemque Graecis ſignificant, cum tamen eosdem affectus multi medici, terminorum et rerum ipſarum minus gnari, abſona diſtinguant ratione. Perinde igitur erit, quemcunque de his adhibeas terminum, hoc autem tibi curae cordique ſit, ut id, ſaluis aliorum iudiciis facias, ac, quae tua ſit mens, diſtincte claris exprimas uerbis, hoc eſt: *ſo verſtehe ich es, und das iſt meine Meynung.* Ita ῥεῦμα ὀφθαλμȣ̃ allegat GALENVS, *defin. medic.* Ab AEGINETA, *lib. 3. cap. 63.* ῥευματισμὸς ὑϛέρας, ὁ γυναικεῖος ῥοῦς, ὅλου τȣ̃ σώματος ἐκκαθαιρομένȣ, uocatur. Ab aliis alio iterum ſenſu, et catarrhus, et rheumatiſmus, et lumbago, intelligitur. Auctor uero noſter de catarrho uel rheumatiſmo, ſeu arthritide uaga, uti aliis placet, epidemica, praeſenti agit loco, qualem deſcribunt *A. N. C. Cent. 1. p. 3. app.* Plura de Rheumatiſmo, uide apud VIGNERIVM, *tr. de Catarrho, Geneuae, in 8uo, 1623. ed.* BAL-

phritidem ſaepe mentiens, dolore quidem omnium partium uago, noſcuntur, conſiſtitque eorum Venenum in ſale alkalino, ſeu ſanguine acri facto per iram, per quodcunque uehemens exercitium, aut potus acres inebriantes. Incipit cum horrore et torpore, quem ſequitur calor, febris, inquies, ſitis, urina rubra, ardens, pauca; hinc dolor penetrans per uarias corporis oberrans partes, finiens uero cum tumore et rubore leui iſtius partis, quam poſtremo inuaſit. Iſte autem dolor ſummus peruadit aliquando lumbarem regionem, hinc quoque Lumbago Rheumatica dicitur. Omnes autem hi morbi, hiſque ſimiles alii agnoſcunt acrem ſanguinem et putridum ac alkaleſcentem, in ipſo crebriore itu redituque ſic extenuatum, uel et ab admiſtis, aut ulcere aliquo interno forte rupto, ſuumque uirus toti ſanguinis maſſae infundente.

Theſ. 10. At in *Febribus Intermittentibus putridis, Chronicisque morbis quibusdam*, quos tum ex praegreſſa liquidi alicuius ſtagnatione [illegible] et

---

LONIVM, *lib. de Rheumatiſmo et Pleuritide Dorſali, Pariſ. in 4to 1643. ed.* CATTIERVM, *diſſert. de Rheumatiſmo, Pariſ. in 8uo. 1653. ed.* CHICOTIVM, *de eadem materia, Pariſ. in 4to, 1656.* BLASIVM, *med. Vniuerſ. therapeut. ſpecial. l. 4. ſ. 2. c. 22.* HOFFERVM, *Hercul. medic. lib. 1. de cap. affect. cap. 5.* MENIOTTIVM, *diſſert. ed. Pariſ. in 4to, 1662.*

et putrefactione ortos eſſe, ſupponendum eſt, uirulentia iſta non tam eſt ſpirituoſa et uolatilis, maiori utpote pituitae copia inuiſcata, acris tamen ualde, pro genio etiam ſingulari morbi ſui, parteſque corrumpens ſolidas, quia firmius eis in uiſcido, tanquam per dropacem, adplicatur. Hinc *Scabies* tam contagioſa eſt, quia acre in uiſcido haerens, firmius adhaeret, ubicunque adplicatur. Sed acredo haec multo liberior, et torrentem ſanguinis ſine ullo negotio adſequens in morbis conuulſiuis, *Epilepſia*, aut *Paſſione Hyſterica*, quatenus illi a fluidis dependent, et quando uel uenena corroſiua et acria, externe aduenientia, neruos ſpasmodice contrahunt, uel abſceſſus ſui ulcus putridum internum, ex bono demum pure per actiones uitae, alkaleſcens, forte recluſum, acerba ſui purulentia ſanguini, ut iam modo dictum, reaffuſa, uaſorum ſyſtema nerueum grauiter adficit, aut quando acidum aliquod in primis uiis et abdominis glandulis collectum, eosdem effectus producit, praecipue in infantibus. Id autem de infantum conuulſionibus obſeruatum eſt ab HIPPOCRATE, *de Morb. Sacr. n. 10.* quod, ſi fuerint ulceroſi, ſcabioſi, ſaliuoſi, mox poſt natiuitatem, liberentur a morbo comitiali, ceteri ſecus. *o*)

Theſ.

o) Huc quoque reſpexit HIPPOCRATES, *Sect. 5. aphor. 7.* hiſce uſus: τὰ ἐπιληπτικὰ, ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίγνεται, μετάστασιν ἴσχει. ὁκό-

Theſ. 11. Lues uero *Venerea*, Scortatorum et uagae Veneris flagellum, Venenum gerit pariter

σοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίγνεται, τοῖσι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει, quibus nempe epilepſiae ante pubertatem contingunt, mutationem habent; quibus uero accidunt uiginti quinque annos natis, his plerumque commoriuntur. Vnde idem, iam alio loco, epilepſiae auxilium, infantes affligentis, ab aetatis mutatione, mutantis, cum creſcente ſolidorum robore, malam humorum qualitatem, illudque, quod corporis bonae infeſtum eſt diſpoſitioni, eliminantis, deducit, *ſect. 2. aphor. 45.* ſcribens: τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν, αἱ μεταβολαὶ, μάλιστα τῆς ἡλικίης, καὶ τῶν βίων, ποιέουσιν. Si uero in ullo alio morbo, multa, nondum ſatis perſpecta, mirandaque, et rimanda accuratius, occurrunt, idem ſane, eſt epilepſia. Epilepſiae epidemicae hiſtoriam relatam legimus, *A. N. C. Cent. 1. pag. 7. append.* Exemplis epilepſiae, a diuerſiſſimis cauſis ortae, ac uariam originem ſedemque agnoſcentis, libri medicorum ſunt referti, et nihilo ſecius, ſpecifica antepileptica non ſtatuuntur modo, ſed laudantur etiam, ac promiſcue adhibentur. Et certe, ſi ulla alia, epilepſiae, curatu difficilis, ne dicam, impoſſibilis, eſt cauſa, eadem optimo iure a neglecto rationali, quod radicalis huius morbi cura poſtulat, examine, et temerario ita dictorum antepilepticorum abuſu, deriuanda eſt.

riter alkalinum, acre putrefactiuum, uiſcido implicitum, ſerum ſanguinis in pituitam tenacem coagulans. Quam uariis ingrediatur uiis, quamque diuerſis ſtipetur ſymptomatis, pleni ſunt auctorum libri, atque ipſe ſingula fere congeſſi in tractatulum, Gothico idiomate exhibitum. Primum autem ſe ſcripſiſſe fatetur PETRVS PINCTOR, *de Morb. Gall. foed. et occult. cap.* 22. Hac tempeſtate, cum morbus quam maxime per impuros concubitus propagetur, hoc fere modo incedit: facto coitu, uerpus primo prurit, dein calet, hinc inflammatur, mox dolet uehementer, ac ſi uinculo conſtringeretur. Exit dein pus ex urethra luteum, uiride, coeruleum, cum dolore acerbo, quando urina mitti debet. Atque dum intra hos continetur cancellos, gonorrhoea audit uirulenta. Quae, ſi non curetur probe, excreſcunt cancri, uerrucae, phimoſes, paraphimoſes. Fiunt et cancri, nulla ante facta gonorrhoea, in calidioribus. Hinc bubones, Gallis *Poullains*, fiunt. Teſtes quoque ſaepe tument, dolent, inque ulcera faceſſunt. Tum carunculae in urinario meatu quibusdam, eroſio urethrae, incontinentia urinae, aliaque uicinis partibus incommoda.

Theſ. 12. Hinc morbus in membra defertur, cum dolore artuum mediorum, utpote ſolidiſſimorum, et flexurarum rigiditate. Hinc cartilagines glandulis refertas naſi palatique infeſtat. Mox in oſſibus mediis cariem producit,

X maxime

maxime cranii. Puſtulae ubique diſperſae, maxime in fronte, et apoſtemata peſſimi moris in oſſibus. Fiunt quandoque in morbo conſummato inueteratoque nodi tophique obſcure dolentes primo, magis deinde et acutius, ſupremaque corrumpentes. Facies foede pallet, liuetque, os foetet, raucedo uocis, et alui oritur conſtipatio. Id tamen iuxta tenendum eſt, ipſum contagium non fieri, quam diu uirile membrum inflammatione erecta laborat, ſed, quando flacceſcere incoepit. Hinc illi, qui inſtar paſſerum, uel canis e Nilo bibentis, breuiſſime ſeſe abſoluunt, rariſſime inficiuntur: hi uero, qui inebriaminibus turgidi, uenerem diutius flaccido membro protrahunt, creberrime poenas incurrunt. *p*) *Theſ.*

(*d*) Facilius quidem contagium uenereum membro uirili, iam flacceſcenti, ſi agitatio illius attritusque, (quod tamen uix tum poſſibile,) diutius protrahatur, inſinuari, credibile eſt. Quo rigidior uero mentula, quo feruidior et diuturnior coitus, eo facilior mentulae uaginaeque uterinae inflammatio, inflammatae exulceratio, exulcerationemque ſequens puris male colorati, maleque olentis, excretio, uti hoc modo, ſine contagio, ex nimio ueneris uſu, gonorrhoeam uirulentam, et luem veneream generari, generatamque fuiſſe, neonuptorum exemplo, PLATERVS, *obſ. lib. 3. p. 672.* et multis aliis hiſtoriis, CASP. a REIES, *lib. cit. qu. 59.* VALESIVS, *in Epidem. Comm. 22. et 4. eiuſd. text. 131.* ZACV-

Theſ. 13. Poteſt etiam aliquando contingere, maſculinum membrum non leuem recipere inflammationem, ex ſucco quodam acerrimo, ab ipſis uaginae muliebris glandulis exſtillante, cum mulierculae *Furore Vterino* laborare dicuntur. Eſt hic ſuccus, qui Venerem concitat immodicam in foeminis, obſeruauitque nobiliſſ. atque experientiſſimus D. D. IOANNES *van* HOORN, Phyſicus Stockholmenſis, et in arte obſtetricia peritiſſimus, fuiſſe hanc lympham adeo interdum acrem, ut inſtar ueſicatorii femora delabens excoriarit, ſalſalmentorumque

X 2 ueterum

TVS LVSITANVS, *Med. Princ. Hiſt. lib.* 1. *hiſt.* 36. confirmant. Vnde, quo calidius eſt, quo homines uitam degunt, clima, quo acriora ſunt, quibus utuntur, alimenta et potulenta, eo facilius hic morbus, ſine contagio antegreſſo, contrahitur. Hinc lues uenerea, endemium Indiae incolis eſt malum, teſtibus HERNAND *de* OVIEDO, *Hiſt. Gener. Indiae, lib.* 17. et FERDINANDO CORTESIO, *Relat. tert.* Hinc Galli, Itali, etc. adeo frequenter hoc morbo afficiuntur, certo, quod in eosdem optime quadrat, FRACASTORII effato, ita *de Syphilide* canentis: illinc namque ferunt aeterna labe per omnes id morbi regnare urbes, paſſimque uagari perpetuo coeli uitio, atque ignoſcere paucis. Prae reliquis uero notanda ſunt, quae de lue uenerea pennatorum ac piſcium epidemica, *A. N. C. Dec.* 3. *ao.* 5. 6. *obſ.* 170. habent.

ueterum retulerit odorem, ut aſſerit, *Mirabil. Omnipot. circa Generat. Hum. p. m. 11.*

Theſ. 14. Vnum autem ſignum praeſentis luis antefero reliquis, icteritium ſcilicet faciei et manuum colorem, ſeu ex luteo pallentem, oculosque cauos cum circulo liuido, et phtiſin. Quo pertinet etiam raucedo et catarrhus, ad quamcunque lunae quadram, et tempeſtates paulo frigidiores, orta. Diutinum momentaneo bono ſuccedens malum! Vnde liquet, hoc uenenum eſſe alkalinum, cum idem ſignum ex omnium animalium uenenis habeatur. Atque iſto luteſcente faciei colore plures detexi lues perfectas et gonorrhoeas, aegris licet multa in initio praetendenibus. Et, ſicut mihi nullus e recentioribus negauerit Medicus, acre huius morbi eſſe alkalinum, uiſcidis implicitum, ita in hoc morbo omnia ſymptomata teſtantur, humores inde coagulari. Quid enim bubones inguinales, quid axillares, et aurini, aliud notant? quid color faciei pallido-luteus, quam ſerum in glandulis ex coagulo ſtagnare? Sic refert NICOLAVS MASSA, *Epiſt. 30. Tom. I.* in cadaueribus lue uenerea demortuorum ſe reperiſſe pituitam per uenas albam, ſanguinis rubri portionem longe ſuperantem. Et MARCELLVS DONATVS, *Med. Hiſtor. Mirab. lib. 1. c. 4. p. m. 46.* ſcribit, ſe pluries obſeruaſſe, ſanguinem leproſorum et cachecticorum per uenam emiſſum, pyxideque collectum,

ctum, ita in albam concreuiſſe pituitam, ut uix ſexta parte ſanguis ruber remanſerit, eamque tam duram, et glutinis inſtar uiſcidam, ut uix cultro ſcindi poſſet, nullumque, cui talis fuerit ſanguis, morbo liberatum fuiſſe.

Theſ. 15. Virus hoc uenereum per multos annos latitat, ſaepe per aliquot menſes, nec niſi compotatione forti interdum erumpit ac protruditur. Sic noui duos Ao. 1709. qui menſe Decembri praeterlapſi anni, ut affirmabant fideliter, exercita impura uenere, adſperſi contagio fuerunt; ſed non prius erupit, quam menſe Martio ſequenti, cum alter conuiuio funebrali largius exceptus fuiſſet, alter largiore uini Rhenani ſacharati potu incaluiſſet, reiecta quamuis fruſtra initio cauſa in calcem uiuam, ſacharo inexiſtentem, cuius lapilli urethram laceraſſent. *q*) Aucta enim per inebri-

 ans

q) Vnde patet, quod uini ac ueneris coniunctio hic peſſima ſit, maximeque dirae huic lui excitandae faueat. Patet hinc pariter, quod, cum ordinario, mox altero tertioue die a coitu impuro, gonorrhoea uirulenta ſuis ſe manifeſtet ſignis, in aliis contra, phlegmaticis praeſertim, miaſma uenereum uiſcido proſtatarum humori inuolutum, diu, omni quaſi agendi potentia deſtitutum, deliteſcat, donec tandem, accedente fortiore motu atque attritu, e uiſcido euolutum, in actum deducitur; nam, licet et urethra, et ueſciculae ſeminales, in gonorrhoea ſimul afficiantur, ſe

ans ui cordis et arteriarum, uaſa omnia, licet lon-

dem tamen huius mali frequentiſſime conſtituunt glandulae proſtatae, quae exinde haud raro eroduntur, eroſae occalliſantur, occalliſatae cauſam ſterilitatis immedicabilis conſtituunt. Hoc modo in aegrotis uirulenta extinctis gonorrhoea, ulcera et cicatrices proſtatarum deprehendit VIRSVNGIVS, quorum deſcriptio *A. C. N. Dec. 2. Ao. 4. obſ. 20.* inſerta reperitur. Praeterea ex adductis demonſtratur, quod contagium uenereum, in aliis lenti, acuti in aliis naturam ueneni obtinens, non uno eodemque omnes aegros affligat modo. Vnde auctoris mei ſententiae, *theſi 14. antecedenti huius capitis*, propoſitae, non ſubſcribere poſſum, qui icteritium faciei ac manuum colorem, ſeu ex luteo pallentem, oculosque cauos cum circulo liuido, et phtiſin in dignoſcenda et ab aliis morbis diſtinguenda lue uenerea, ceteris ſignis praefert; cum eadem omnia in uirginibus, plane inſontibus, menſium obſtructione, aut parciore menſtrui excretione ſanguinis laborantibus, inueniamus, ita ut eaedem deinceps, contracto matrimonio, ac reſeratis per coitum poris cryptisque uterinis, optimum habitum floridumque faciei colorem adipiſcantur. Contrarium aduerti in uiris foeminisque hac dira ſordidaque lue infectis, in quibus perſaepe nullum pallorem, nullam maciem, ſed pleniorem corporis conſtitutionem, cum facie rubicunda, obſeruaui, et nihilo ſeci-

longius diſſita, id roboris acquirunt, ut quascunque acredines alicubi haerentes, laceſſant, faciantque agere, ante immobiles. Atque ſic iuxta Poetam, *lib. 7. Metamorph.*

Gaudia principium noſtri ſunt ſaepe doloris

Perinde autem eſt, ſiue orta ſit lues primum in obſidione Neapolitana, ſiue ueteribus cognita, *r*) uel et, ut alibi demonſtraui, primordia

 ſua

us partes genitales bubonibus, ulceribus ſordidis et ſebaceis ſcatebant; nimium igitur ne crede colori, auerſans ſacrificuli illius iudicium, famoſam meretricem, dira hac lue extinctam, pulchrae puerperae laudibus per uniuerſam urbem celebrantis.

r) De origine huius mali tantus eſt diſſenſus, ut alii recentibus idem annumerando, iam a Neapolitanis, iam a Gallis, primordia eiusdem deducant, alii obſoletum et antiquis cognitum morbum eſſe dicant, alii cum LEONICENO, *lib. 2. de morb. contagioſ. cap. 12.* et FRACASTORIO, *de morbo gallico, c. 7.* aſſerant: luem hanc in ſui exortu epidemicam fuiſſe, et cauſam habuiſſe communem, cum illius initio, ſenes, uiri, foeminae, pueri, puellae, ſine diſcrimine, hoc morbo afficerentur; et, uti ſentit FRCASTORIVS, impoſſibile uidetur, tam paruo tempore contagionem, quae alioquin ſegnis eſt, tot terras et diſtantes regiones peragrare potuiſſe, cum in Hiſpania, Gallia, Italia, Germania, et in tota Scythia ferme, uno eodemque tempore apparuiſſet. Quemadmo-

ſua debeat nefandae Sodomiae, homines inter et cercopithecos exercitae, id tamen uerum ex

dum uero ambabus largior manibus, malum hoc, cum aucta hominum libidine atque intemperantia, auctum fuiſſe, imo, uti certum, morbum hunc, alias particularem et ſporadicum, epidemium, ex contagio latius ſerpente, factum fuiſſe, ita nullus dubito cum CAMPEGIO, *l. 2. Prax. c. 12.* LANGIO, *l. 1. epiſt. 42.* VALESIO, *4. epidem text. 1. et 6. eiusdem Sect. et text. 4.* ZACVTO LVSITANO, *Med. Princip. Hiſt. l. 1. hiſt. 70. p. 122 et hiſt. 73. pag. 124.* aſſerere, Hippocrati, Galeno, aliisque antiquis auctoribus, iam notum perſpectumque fuiſſe hunc morbum. Nec leuior unquam mihi uiſa fuit obiectio, a SENNERTO, *c. 1. de lue uenerea*, contra Valeſii aegrotum, *ex 4to Epidem.* allegatum, formata, nitens febris, qua idem ſimul laborauit, praeſentia; cum omnis generis febres, putridae praeſertim ab antiquis dictae, luem uenéream, comitentur. Vt alia taceam exempla, PLATERVM, ſaltem allegabo, *Obſeruat. lib. 3. p. 676.* referentem, quod aegrotus, gallico affectus morbo, ſimul quartana laborauerit. Irridet et perſtringit quam maxime IVVENALIS, *lib. 1. Satyr. 2. uerſ. 11. ad 13.* huiusmodi aegrotos, qui ex impuro coitu mariſcas contraxerunt, ita canens: hiſpida membra quidem et durae per brachia ſetae, promittunt atrocem animum: ſed podice laeui, caeduntur tumidae, ridente medico, mariſcae.

ex phaenomenis elicitur, eſſentiam morbi conſiſtere in putrido miaſmate, hoc eſt, in alkali uiſcidis implicato. Prorſus ut et hoc ipſo ſententiae priori meae ualedicam, qua demonſtrare uolebam ex aliorum ſententiis, in acido praeternaturali fundari, quod tamen adhuc non intelligo. Sed putant quidam, ex uenere promiſcua, uehementius exercita, retentoque in ebriis ſemine, adeo uirile membrum a tot ictibus retundi, ut inde oriatur inflammatio, in ſuppuratum tendens, albamque euomens pituitam: quod quidem non nego fieri aliquando, licet reliqua ſymptomatum caterua non facile hinc repeti queat.

Theſ. 16. Venenum etiam leprae ac elephantiaſis, quam optime cum hoc ueneno congruit, ut facile diſtingui non poſſit, morborum quidem in noſtra Patria rarius occurrentium, ſed Aegyptiis et Graecis frequentiſſimorum. Atque, ut apud illos ex piſcium praecipue uictu oriebatur malum, ſic apud noſtrates iſto cibi genere plus ineſcatos ſaepe occurrit, quamuis in noſtro climate ob frigus rariores ſint iſti morbi. Ex inſulis tamen Inienſibus Paroeciae in Finlandia Tafffalenſis, quotannis octo uel decem in noſocomium Neguenſe mittuntur lepra affecti. Idem fit ex inſulis iuxta littus Nylandiae poſitis, unde mittuntur Helſingforſa, ubi magno ſatis numero uiſuntur. Adficiuntur autem hoc nefando malo propter uictum piſcoſum. Halecum enim minorum, Noſtris *Stroem-*

ling, comeſtis iam carnibus, oſſa in certa colligunt uaſa, quibus ſerum lactis et aquam ſuperfundunt. Putreſcit haec miſcela, et tamen bibunt, ſuisque dant animantibus. Nec abludit potionis genus, quod Eſthlandi, Liuoni, Curlandi, et Lithuani ruſtici *Tara* dicunt. At non tantum per haec alimenta in tam periculoſos incidunt morbos, ſed lardum quoque phocarum, Noſtris *Sioelſpeck*, comedunt, unde mera fit lepra et elephantiaſis, acris et uiſcidus ſanguis, atque diſpoſitio totius corporis in putrilaginem.

Theſ. 57. Dabo exemplum unum alterumue mihi oblatum. PETRVS HOEK, nauta, ex oppidulo Vplandiae Enekopia oriundus, uiginti annorum, ſtaturae breuis, anno 1709. menſe Auguſto, in noſocomium Sarinpeenſe, ex naui, *Rewal* dicta, defertur, puſillanimis, pipiens inſtar pulli, oculis cauis, humidis, fronte rugoſa, labiis tumidis, lingua nigra, macie corporis, ſquamis et rugis per totum corpus inſignibus, gutta roſacea in fine naſi, foetore maximo, uix perferendo, caſu capillorum, uultu horrendo et terribili, uoce rauca, procliuitate in ſomnum, appetitu fere canino. Solum quidem in hoc morbo remedium in ſaliuatione poſitum noui, ſed prae debilitare non ſuſtinere uiſus eſt. Hinc antalkalinis ſummis pugnabam, ſpiritu nempe ſulphuris, uitriolique, et aceto mellito. In ſanguine ſignum habere nequibam, puto tamen

acidis

acidis efferueſcere debuiſſe. Nam de balneo ex ſanguine humano, Aegyptiacis Regibus in Elephantiaſi conſueto, nihil dico, cuius meminit PLINIVS, *lib. 26. cap. 5.* Omnia tamen in uanum: namque d. 4. Septembr. decidere ſquamae aliquot magnae, partemque carnis ſecum aufferre coeperunt, praeſertim in femoribus. Digiti omnes pedum exulcerati; ungues retorridi et recurui, debilitas ſumma, d. 5. eiecit per anum ſex albos longosque uermiculos, ob putredinem ſummam forte erumpentes, ſicuti pediculi aliaque animalcula, quae putridas carnes non rodunt, a cadaueribus omnium animalium moribundorum abeunt. Die uero 10 ſub ueſperam miſerabili mortis genere conſumtus periit. Pariter Ao. 1710. menſe Auguſto, ex naue bellica, *Liefland*, in Noſocomium Sarinpeenſe defertur, miles pedeſtris, Köhlerianae Legionis, Martinus Hane, Dalius, torua facie, oculis humidis, labiis craſſis, cruſtis placentiformibus per brachia, dorſum, femora, et tibias diſperſis, ac macie inſigni corporis, et re bene penſitata ſaliuali committitur curationi, et ſanatur, licet difficulter. Et, uel notiſſima uulgi Wermelandici fabula eſt, canes ex eſu ſanguinis humani, forte eiecti, incidere in ſcabiei quoddam peſſimi genus, quod *Sielſaten* nominant, cum tanto pruritu, ut magna fruſta ex lateribus ipſi dentibus dilanient, ſcabioſi in ceteris. Aegyptiis certe morbus eſt frequens, ex uiſcidis alimentis lentium, carnium aſininarum,

cochlea-

cochlearum, ſalſamentorum, piſciumque, accedente coeli aeſtu feruido, ſanguinem exaſſante. *s*)

Theſ.

s) Elephantiaſis frequenter luis uenereae uel neglectae, uel peruerſa ratione alcalinis exaſperatae, ſoboles, uix alia extirpari poteſt ratione, quam mercurii dulcis rite parati uſu, adiunctis ſimul diluentibus, frequenter et uberiori copia calide hauriendis; alcali quippe acerrimum putrefactiuum, pituitae uitreae inhaerens, et hinc difficulter ex partibus affectis remouendum, peccat. An uero tantum ſit diſcrimen inter elephantiaſin, quae alias lepra Arabum audit, atque inter lepram Iudaeorum, cuius *Leuitic*, 13. *et* 14. fit mentio, mihi omnino dubium uidetur; nam, peraeque contagium leprae Arabum, per ueſtes, aliasque res propagatur, uti alias de lepra Iudaeorum relatum legimus. Quod autem lepra Iudaeorum per Sacerdotes curata fuerit, hinc factum eſſe iudico, quia Sacerdotes Iudaei ſimul medicorum fungebantur munere, quod contra RANCHINI opinionem, *libro de lepra, dialecto gallica edito*, propoſitam, tenendum. Quicquid uero ſit, hoc omnino certum eſt, quod abuſus remediorum acrium in ſubiectis ſiccioribus, putrido ſucco iam infectis, anſam et materiam huic morbo praebeat, uti idem ex peruerſo ligni quaiaci uſu fieri, PALMARIVS, Medicus antiquus Pariſienſis, *libro de ſeptem morbis contagioſis*, *pag.* 211. teſtatur. conf. *diſſertatio noſtra, de rite perqui-*

Theſ. 18. Praeclare HIPPOCRATES, *de Nat. Hom. n. 2.* infit: ſi unum eſſet homo, nunquam ſane doleret. *t*) Atque hoc ueriſſime: nam, ſi conſideremus, uaſorum multitudinem, combinationem mirificam, teneritudinem, ſitum, motum; fluidorum uero figuram, molem, naturam, et diuerſitatem motus in ſingulis fere particulis, non poteſt non homo ex tot diuerſis coagmentatus principiis, uariis quoque morbis obnoxius eſſe. Et, quod attinet ſolida; adeo illa ſaepe adficiuntur, ut morbos

renda morborum origine, cap. 17. a. pag. 49. ad 53. A. N. C. Dec. 2. Ao. 2. obſ. PLATERVS, *obſ. lib. 3. p. 665.* ZACVTVS LVSITANVS, *Medic. Princip. Hiſt. lib. 6. hiſt. 1. p. 907. et hiſt. 2. p. 912.*

t) Hanc ſuam ſententiam ulterius HIPPOCRATES illuſtrat, *lib. de ueter. medic.* ſequentem in modum de cauſis morborum materialibus, ab humorum mala qualitate ac quantitate arceſſendis, diſſerens: Ἔνι ἀνθρώπῳ καὶ πικρὸν, καὶ ἁλμυρὸν, καὶ γλυκὺ, καὶ ὀξὺ, καὶ στρυφνὸν, καὶ πλαδαρόν. ὅταν δέ τι τουτέων ἀποκριθῇ, καὶ αὐτὸ ἐφ᾽ ἑαυτοῦ γένηται, τότε καὶ φανερόν ἐστι, καὶ λυπέει, homini nempe ineſt amarum, et ſalſum, et dulce, et acidum, et acerbum, et inſipidum; ubi uero horum quippiam ſeparatum fuerit, hoc eſt, prae altero, uel quantitate, uel qualitate excedat, et dominium obtinuerit, tunc conſpicuum fit, et moleſtiam creat. conf. SPONIVS, *lib. c. Sect. 2. §. 10. p. 59. et 60.*

morbos relinquant haereditarios, nullo pharmaco auerruncandos, podagram nempe, calculum, epilepſiam, phtiſin pulmonarem, aliosue. Fluida uero tantam aliquando ſubeunt mutationem, ut naturam induant ipſiſſimi ueneni. Namque non eſt dictu abſonum, antiquam recoquendo crambem, humores intra uiſcera ſtagnantes humana, in id ſaepe acredinis exaltari, ut mitiora non efficiant ſymptomata, quam ipſa adſumta naturaliter acria et uenena. Sic de acri quodam halitu ex ore Cardinalis Caeleſtini Stondrati exeunte, qui cochlear argenteum nigro ac uiolaceo colore infecit, uix delebili, adnotat BAGLIVIVS, *Diſſert. ad Cl. Hotton. cap. 1.* Neque hoc intactum PLINIO fuit, *lib. 11. cap. 37.* exinde argumentum deſumenti, nullum mirari debere, fel nigrum, eſſe ſerpentinum uenenum.

Theſ. 19. Non enim uideo, quin antiquorum Medicorum dogma, de atra bile et humore melancholico, ipſiſſimum ſit illiud uenenum, in homine generatum. Conf. HIPPOCRATES, *de Vict. Rat. in Morb. Acut. n. 37.* u) Viſcidum

u) Hinc idem, *libr. de Nat. human.* rationem redditurus, ob quam, febres quartanae tam diu durent, diuturnoque aegrotos aeſtu affligant, omnem culpam in atram bilem, tanquam frequentem harum febrium cauſam materialem, coniiciens, hiſce concludit: *μέλαινα χολὴ τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων χυμῶν γλισχρότατον,*

dum ſcilicet, uel quodcunque liquidum, haerens uel in tortuoſis uteri ductibus, uel in glandulis abdominalibus, mora diuturna, calore loci, et partium allabentium attritu, alliſione ac impulſu inſigniter exacerbaſcit et nigreſcit, iſtius pro genio materiae ex qua conſtabat, uarie ludens: negante quamuis hanc humorum ſtagnationem WILLIS, *de Febr. cap. 3. p. m. 28. 34. et 36.* Tale autem uenenum hominibus innaſcitur carniuoris, iracundis, triſtibus, inuidis, melancholicis ſeu ſolitariis, ingenioſis, uigilantibus, calidaeque regionis incolis, ut Hiſpanis, Afris, Italis, aliisque. Atque hoc primum explicuit in praelectionibus publicis de medicamentorum uiribus, demumque *in Praxi de Melancholia* uberius tractauit, uir ad Publici

καὶ τὰς ἕδρας χρονιωτάτας πεποίηται. Rationem etiam inde hauriemus, cum SPONIO, *l. c. Sect. 3. aphor. 24. p. 117.* dico, quare morbi hypochondriaci ſint ita diuturni; certum enim eſt, hoſce affectus oriri ex uiſcidis, tartareis et atrabiliariis humoribus, obſtructiones in uiſceribus, indeque inflationes et ſuffocationes parientibus. Atra autem bilis, ſiue ex bile amara deuſta, ſiue ex quocunque alio humore torrefacto oriatur, glutinoſiſſimam eſſe, neceſſe eſt, conſumta nempe rorida benignaque eius parte. At glutinoſos humores difficilius reſolui atque attenuari, et ex corpore eliminari, quis neget?

blici commoda factus, HERRMANNVS BOERHAVE.

Theſ. 20. Quid uero, propriiſſime loquendo, uenenum illud ſit, *Malum Hypochondriacum*, Noſtris non ſemper bene *Mieltſiuka* dictum, quaſi lien aegrotaret, adpellamus, non bene inter auctores conuenit. Laborare interdum Lienem, interdum Hepar, uel pancreas, interdum abdominis glandulas eſſe infarctas, non ignoro; credo tamen, hic maxime laborare Inteſtinum Colon, quod in ſiniſtrum latus eundo curuatur, atque in illa curuatura neceſſario anguſtatur, praecipue in parte conuexa. Atque hinc illae in ſedentariis hominibus, praecipue foeminis nuptis, lacrimae, obſtructa aluo, compreſſoque abdomine. Sed, ſi contigerit obſtructum per glandulas abdominis in ſtabulo ſuo ultimam ſentire exaltationis manum, uaſa ſtatim uicina erodit gangraenatque; aut, ſi ex latibulis excutitur, per exercitium corporis ualidius, uel aeſtiuam coeli temperiem, caniculariumque dierum feruorem, uel adfectus animi, uel ſanguinis euacuationes nimias ſubitasque, faciliorem uaſis oſcillationem conciliantes, et uentilationem materiae, unde ſic expellitur, et anguſto ac depleto canali magis adplicatur, uel denique per medicamenta ſtimulantia motum fuerit, carceremque ſuum deſtruxerit, neruis adpellens, hyſtericam paſſionem, aut epilepſiam, maiorem illum conuulſionis gradum, excitat, alioſque morbos ſpaſmodicos.

Theſ.

Theſ. 21. HIPPOCRATES, qui diuina natura praeditus, ex paruis et uulgaribus ad magna et artificioſa Medicinam euexit, ut de illo teſtatur PAETVS, *Epiſt. ad Artaxerxem*, multus ſemper fuit in obſeruatione horum morborum. Hinc, *Epidem. lib. 6. part. 8. n. 54.* ex melancholia fieri epilepſiam uidit, ut quoque etiamnum contingit. Sic phrenitis a bile atra, quum mota uiſceribus ſepto transuerſo inſederit, *de Affect. n. 9.* Mania a bile mota *de Intern. Aff. n. 34.* Mania ex ſplene, *n. 35. 44. 53.* Nec aliud apud nos celebrius eſt, quam diu melancholicos fieri phreneticos, maniacos, conuulſos, magna ſaepe cum uulgi admiratione, daemonio obſeſſos firmiſſime ſibi perſuadentis. Et poſſunt hi morbi exinde quoque oriri, quod uaſorum fibrae uehementius a quacunque cauſa motae, fortius in haerentem acredinem impingant, ab acribus uero ſtagnantis alicubi materiae ſpiculis compunctae, grauius reſiliant, et ſaltu conuulſiuo reſultent, non ſecus ac digitus aculeis rubi fortiter adplicatus cum corporis quadam ſucceſſione retrahitur.

Theſ. 22. Qualitas autem uitiata fluidorum conſiſtit, uel in quauis parte ſolida fluidum componente cum aliis, uel in tota fluidi mole. Ratione ergo totius maſſae fluidae, uel uiſcoſitas nimia, uel tenuitas nimia, uel motus et quies, culpanda ueniunt, ſaluis interim uaſis. Quod, ſi uaſa rumpantur, et fluida ſic extrauaſentur,

ex ſanguine rubro ſugillationes fient et inflammationes; a lympha et ſero, aſcites, hydropisque aliae ſpecies. Et, ſi contigerit haec fluida extrauaſata non reſorberi in circulum, calore agitata et uaſorum impulſibus, euadent acria, rodentia, purulenta. Hinc corrumpuntur ſolida, fiuntque fiſtulae, ulcera, gangraenae, ſphaceli, conuulſiones, febres, cum tota ſymptomatum febrilium caterua. Atque hoc eſt uitium et uenenum fluidorum, ratione totius maſſae conſideratorum. Conf. ampliſſimus D. D. BOERHAVE, *Inſtit. Med.* ſſ. 507. 508. 509. 510. 511.

Theſ. 23. Fluida uero, ratione partium ſingularium examinata, peccant mole, ſoliditate, figura, rigiditate, flexibilitate, elaſticitate, cohaeſione, diuiſibilitate, pluribusque attributis. Si maior particularum fuerit moles, fit facilis obſtructio in uaſis minimis. Contra, ſi moles fuerit minuta, oritur nimia tranſpiratio in uaſis minimis, et ſudor colliquatiuus. Ex ſoliditate fluidorum, fit uel ſolidorum ruptio teneriorum, fluidorum uero attenuatio, attritus, putredo, alkaleſcentia, coagulum, ſicut fit a mercurii illitione. Sanguis uero leuitate peccans particularum ſingularium, facit, ut minor ſit impetus fluidorum in ſolida; hinc motus inertia. In figura, omnium optima eſt ſphaerica, nulli uaſi, nec aliis particulis nocens; ſed, dum haec mutatur in angulos, acrimonia fit uaria pro ratione angulorum, in quos ſphaera mutata eſt, uaſa

uaſa laedens. Et, ſi tum acutiei angulorum iungatur rigiditas, inſanabili uulnere uaſa petuntur. Flexibilitas autem minimarum particularum, facit eas concreſcere in moles uix meabiles et cohaerentes, aucta ſcilicet ſuperficie contactuum, et quieſcentibus ad contactum particulis. De particularum elaſticitate intra uaſa, auctores non conueniunt, quibusdam ſolo ex aere ibi hoſpitante elaſticitatem ſibi pollicentibus, quem tamen ibi dari non adeo euictum adhuc eſt, licet unaquaeque particula ſolida, fluidum cum aliis componens particulis, ab actione ſolidorum, quibus continetur, compreſſa, et extra locum ſuae quietis deflexa, renitatur et ſe reſtituere conetur, omnesque ſic ſimul ſumtae et uno eodemque momento renitentes faciant uaſa contracta expandi rurſus ac diduci. Machina uero maxime inſtabilis et cito peritura erit ex partium nimia diuiſibilitate et tenuitate, faceſſentibus in auras omnibus.

Theſ. 23. Et, cum ex Hydroſtaticis liquet, fluida uiſcidiora, craſſiora, irregularia, grauia, flexibilia, poſtquam ex corde una cum reliquo ſanguine acta ſunt per motus legem, non ſolum inferiores petere corporis partes, ſed motum recta linea motorum perſequi non ualentia, ad laterales arteriarum ramos demandari. Hinc, cum totum abdominale liquidum refluxurum ad cor, uenis meſeraicis, lienoſis, et omenti, contentum, ex trunco meſenterico per unam portarum uenam deferatur ad hepar, facile eſt

 in-

intellectu, omne obſtructum ibi, inque acre conuerſum, acidum aut alkali, et foco ſuo excuſſum, uel lege circuli ad cerebrum adſcendere, ac capitis morbos creare: uel in ſanguine hinc inde oberrando, ſi uiſcida et minus acris ſit materia, et capillaria per uices obthurando, quartanas inducere, quae nunquam fuere curabiles, niſi prius abdominis regio circa lienem indoluerit, materiaque acris ex angulo ſuo ſit expulſa, ut Cl. SYDENHAM obſeruauit, *Method. Cur. Febr. Sect. 3. et Obſ. Med. circa Acut. Sect. 1. cap. 5. x)*

Theſ.

(*x*) Abſonum igitur iudicandum iudicium GALENI, *Comm. ult. ad lib. Hippocratis de naturā*, abſonum arbitrantis, a frigidi elementi, quale, bilem eſſe, exiſtimat, calidum affectum, nempe febrem, excitari; *ὐκ ἔυλογον*, ſcribit, *ὑπὸ τῦ ψυχρῦ ςοιχείῦ πλεονάσαντος ἐν τῷ σώματι, τὸ θερμότατον πάθος γίνεσθαι.* Maxime uero exinde culpandus eſt GALENVS, cum hic bilem, tanquam humorem pinguem, et uiſcidum, minus febribus generandis fauere, contra Hippocratem perhibeat, qui nullus ueretur affirmare, *ὅτι ὁι πλεῖςοι τῶν πυρετῶν γίγνονται ἀπὸ τῆς χολῆς·* cum, ex LVDOVICI *le* VASSEVR, explicatione, nulla ſit febrium ſpecies, in qua humor non incandeſcat, ac putredine acrior feruidiorque non in modum bilis exaeſtuet. Vnde apud ARETAEVM, *lib. 1. c. 15. πυρὸς ἔργα πικρὰ καὶ χολοβαφὰ* dicuntur. Perappoſite de his LVCRETIVS, *de Nat. rer.*

Theſ. 24. Sed fit ſaepe, ut ſtagnantia maiori ſint acredine, quam ut diu ſic poſſint ipſum oberrare cruorem absque notabili aliquo uiſcerum damno, hinc interdum, eroſis uaſis hepaticis, per inteſtina delabuntur, ibique et inflammationes, et febres ardentiſſimas, et dyſenterias et choleras uirulentiſſimas, ſolemnes illas aeſtiui ſolis in hominibus melancholicis aegritudines, procurant. Sic apud HIPPOCRATEM, *Epid. lib.* 2. *Sect.* 1. febres ardentes in aeſtiuis magis fiunt. Dyſenteria poſt magnum aeſtum, *Epid. lib.* 1. *Sect.* 2. Quartana ab abſceſſu, *Praenot. n.* 24. et *in Coacis.* Et dyſenteria ab atra bile, praeſertim, ſi carnes ſubierint, lethalis, *Sect.* 4. *Aphor.* 24. 26. *y*) Per quas

 tamen

lib. 4. ita cecinit: quippe ubi cui febris, bile ſuperante coorta eſt, aut alia ratione aliqua eſt uis excita morbi, perturbatur ibi totum iam corpus.

(*y*) Primo loco, nempe *aphor.* 24. *Sect* 4. dyſenteria ab atra bile excitata, lethalis pronunciatur, *δυσεντερίη*, ait, *ἣν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον.* Altero contra loco, ſcilicet *aphoriſmo* 26. *eiusdem Sect.* dyſenteriae quidem lethalis, ſed nullam plane atrae bilis, Hippocrates facit mentionem, *ἢν ὑπὸ δυσεντερίης ἐχομένῳ*, ſunt eiusdem uerba, *οἷον σάρκες ὑποχωρήσωσι, θανάσιμον*, hoc eſt, ſi a dyſenteria detento, uelut carunculae ſeceſſerint, lethale eſt.

tamen catharrhſes nigras naturales, interdum, obſtructo ſic ſoluto, et acri exeunte, magni morbi curantur, ut etiam teſtatur Diuinus Senex, *Praedict. lib. 2. n. 30.* Atraque bile uexatos ſeu melancholicos, et phrenitide detentos, ſi ſanguis per haemorrhoides efffluxerit, ſanari, adſerit idem, *lib. de Iudicat. n. 10.*

Theſ. 25. Praeterea dyſenteriam lienoſis reſtituere ualetudinem, docet idem uerae Medicinae Dictator, *aphoriſm. Sect. 6. n. 11. et 48.* et *in Coacis p. m. 670.* praeſertim ſi longa ſit. z) Neque illum ſolummodo morbum, ſed alios quo-

(z) Hic dyſenteria proprie ita dicta non intelligitur, ſed fluxus haemorrhoidalis partim, partim fluxus hepaticus, aut alius aluui cruentus, febris acutae aliorumque grauiorum ſymptomatum expers. Vnde quoque Cous noſter, *Aphor. 11. Sect. 6.* non dyſenteriae, ſed haemorrhoidum termino utitur, Τοῖσι μελαγχολικοῖσι, ſcribens, καὶ νεφριτικοῖσιν αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν. Dum uero idem, *aphoriſmo 48. Sect. 6.* dyſenteriam in lienoſis ſuperuenientem ſalutarem appellat, τοῖσι σπληνώδεσι, dicens, δυσεντερίη ἐπιγενομένη, ἀγαθὸν, non dyſenteria proprie ita dicta, ſed alius ſimilis fluxus, dyſenteriam mentiens, innuitur. Ea quoque de cauſa ab Hippocrate, *aphor. 43. Sect. 6.* dyſenteria longa in hydropem aut inteſtinorum leuitatem deſinens, quod frequenter in ita dicto fluxu hepatico contingit, allegatur, eiusque modus et euen-

quoque ſanare, qui antea adfuerunt, *Praedict. lib. 2. n. 29.* inculcat. Et ipſe obſeruaui, uterum geſtantes, atque ob omiſſam in principio ingrauitationis uenae ſectionem, ſumme plethoricas, poſt ſummas nauſeas, uomituritiones, et cardialgias, naturae beneficio per longam dyſenteriam iudicatas eſſe. Quod uero lienoſos attinet, curari quam optime hoc modo poſſe, nullus dubito, cum forte iam abſit et computruit portentoſus Pyrrhi Regis dextri pedis pollex, cuius tactu lienoſis medebatur, ut habet PLINIVS, *lib. 7. c. 2.* Natura quoque per diarrhoeam magnos morbos critice ſoluere ſolet, ſicut talis fere ſemper infantes corripit, uariolis confluentibus, quod bene notandum, uexatos, pariter ac ex aduerſo adultis pro critico niſu inſeruit ſaliuatio, nullis tum ſiſtenda medicamentis; cum *male locata interim imprudentium aliquot mulierculaꝛum opera in ſiſtenda huiusmodi diarrhoea, multa infantium millia letho dedit*, dicente *Anglorum Hippocrate*, SYDENHAMO, *Obſ. Med. circ. Acut. Sect. 3. cap. 2.* Symptomatica enim diarrhoea in hiſce aliisque morbis abſolute eſt lethalis. *a*) Negat quidem HIP-

tus ſequentibus deſcribitur: *ὁκόσοι σπληνώδεες, ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τουτέοισιν ἐπιγενομένης μακρῆς τῆς δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λειεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται.*

(*a*) Cum igitur diarrhoeam criticam, nonniſi eſſe-

POCRATES, *lib. de aer. loc. et aqu.* ſub aeſtu caniculae melancholicum ſuccum bene curari; at meo conſilio diuturniorum eiusmodi morborum eo tempore optima curatio habetur, prout apud nos ad acidulas eadem anni tempeſtate fieri conſueuit, in plaga utpote mundi borealiore; ſi forte mihi ad optimi Praeceptoris eloquia ceu Perſeo ad Gorgoneae Meduſae caput

ctu, a ſymptomatica diſtinguere queamus, probe attendas quaeuis ſymptomata morbique progreſſum, neceſſe eſt, ne temere temerario adſtringentium abuſu, ſalutarem ſufflamines materiae peccantis excretionem, nec funeſtam laudabilium humorum profuſionem, uires exhaurientem, et interitum accelerantem, reſoluentibus et euacuantibus contra ſanam rationem praeſcriptis, promoueas; nam, non quoduis in iunioribus, pueris nempe, puellisque, uariolacea febre decumbentibus, alui profluuium, nec, ſemper in adultis uberior ſaliuae profuſio, ſalutaria exoptati in uariolis euentus ſunt ſigna, ſed multoties eaedem excretiones, a nimia humorum, gelatinoſorum imprimis, reſolutione, acris alcalini ſalis abundantiae, et acrimoniae, adſcribenda, dependentes, fatalem lethalemque plane morbi exitum denunciant, quod quam maxime creſcens, cum ſymptomatum incremento, uirium proſtratio, demonſtrat. In quo caſu, ſi non medela, prognoſi tamen exacta, prudens ſibi proſpiciat medicus.

caput, non obmuteſcere, contingat, ſed per illius manes, et aequi Lectoris beneuolentiam, quid in hac parte ſenſero, paucis eloqui liceat.

Theſ. 26. Acidum acre in primis ſaepe uiis, iſtoque glanduloſo anfractu hoſpitatur; ſed ſanguinem ipſum, iam noſtrum, aut partes ſolidas noſtras, in acidum conuertere, quantum ego noui, res non ſperati unquam ſucceſſus fuit. Quamque facile alkalici ſales, copioſe in ſanguine fluentes, modicum acidum peſſumdare poterint, praeſertim, ſi motus acceſſerit atque attritus, nob. BOYLE docet, *Appar. ad Hiſt. Sangu. human. part. 4. tit. 3.* Et ARCHIBALDVS PITTCARNIVS, in reſtauranda Medicina Geometrica poſt BORELLVM et BELLINVM uir indefeſſus, atque Academiae olim Lugduno-Batauae non ignobile decus, *Diſſ. 8. §. 8. et 10.* ſalem marinum et ſalia omnia acida mutari dicit in ſalia cornu cerui ſalem aemula, idemque ui circuitus humorum in corpore animali. *Vinum enim, cereuiſia, hydromel, et reliqua potulenta, panis, herbae, fructus omnes, ſacharum, ſal, acetum, aromata, et reliqua fere, quae deglutimus, pabula, praeter animalium carnes, copioſo ſale acido luxuriant. Hic autem ſal acidus ita diſtringitur, et ita mutatur ipſius figura, ut totus fere in ſal alkali conuertatur in ſtomacho et in ſanguine; ita ut ſi centies laudabilis ſani hominis ſanguis deſtilletur, ne guttulam qui-*

 dem

dem ſalis acidi, copioſum tamen ſalem alkali-num largietur; etiamſi ex omnibus alimentis ſolae fere carnes ſale alkalino fuerint impraegnatae, et in reliquis cibis ſal acidus praedominium exerceat, uerba ſunt doctiſſ. BERNHARDI CONNOR, *Euang. Med. Art. 7. p. 56.* Quod quidem de uegetabilium et animalium ſalibus uerum eſt, ſed de ſale marino, et mineralibus experientia contradicit, cum illa nunquam a nobis poſſint mutari, nec fieri noſtra. Hanc tamen metamorphoſin ſalium fixorum mutabilium in ſalia uolatilia ammoniacalia, praecipue debemus pulmonibus, conquaſſantibus, atterentibus, permolentibus, et permiſcentibus adeo ingeſta omnia, ut una particula ſalis fixi aduenientis multis ſeſe interponat particulis ſalis uolatilis, copioſe cum ſanguine alluentibus. *b*) *Theſ.*

(*b*) Acidi in ſanguine ſalis abſentiam, perpetuam contra alcalini, aut neutrius, ſeu ammoniacalis generationem, et praeſentiam, auctor noſter probare nititur, ſed, prouti Parentum, quibus ſati, nutriti, ac nati ſumus, ſemina, prouti uictus, uitae, et climatis ratio inter ſe differunt, talis neceſſario humorum, tum in canale alimentorum, tum in uniuerſo corpore reperiundorum differentia agnoſcenda eſt. Quis, ceteris paribus, de acidi uiſcidique praedominio ſucci, in morbis plurimis infantum, lacte adhuc et pulte nutritorum, dubitabit? Quis in adultis, qui ſolo lacte, aqua, pane, fructibus horaeis, ui-

Theſ. 27. Sal tamen commune neceſſarium
eſt

tam ſuſtentant, ſalis acidi, tanquam frequentis multorum morborum cauſae, praeſentiam, negabit? Reſpice ſalutarem remediorum terreorum et alcalinorum, eumque praeſentiſſimum, in morbis ab allegata cauſa metuendis, ortisque, tum praecauendis, tum curandis, effectum. Perpende, quod omnia excrementa, per aluum, poros cutis, glandulas ſaliuales, aliasque uias, ſecedentia, de acido participent, idque uaria ratione, odore ſaporeque imprimis, manifeſtent. Nonne lac in mammis e ſanguine ſecretum, acidum et ſpirat, et acidum praebet, chymica examinatum analyſi? Nonne multi homines acidis delectantes et fruentes alimentis ac potulentis, acidam, acido, quem exhalant, ſudore, atmoſphaeram exhibent? ne addam recentiorum quorundam praeiudicium, qui in ipſa bile acidum quaerunt. Quid dicam de acido ſucci pancreatici, Syluiano commento? Ac, ne haec pro meris habeas figmentis, ad Vievssenii prouoco experimentum, quo, in *epiſtola ad Facultatem Medicam Lipſienſem data*, *atque Actis Lipſienſibus eruditorum inſerta*, acidi in ſanguine humano ſalis praeſentiam, abunde demonſtrauit, uti auctor ipſe, *theſib. ſequentib. 28. et 32.* quoad partem concedit. conf. *Anthropol. noſtr. ad Pathol. applic. cap. 25. §. 31. 32. 35. 54. 55.* et *diſſertat. de glandularum in plurimis uiſceribus abſentia, §. 24. p. 33.* Adde his ea, quae de acidi

eſt ad productionem ſalis ammoniaci. Hinc eſt, quod idem commune ſal uſtum, et calce uiua mixtum, urinaque irroratum, trium menſium ſpatio in ſal ammoniacum certo experimento faceſſat. Sal uero ammoniacus animalium multo eſt uolatilior et ſubtilior. Sicut pariter ex ſale communi et calce, addito humido, fieri ſolet nitrum, ſal iſtud ammoniacale, ac mediae naturae. Hinc quoque Gothlandia nitro abundat. Atque calx ob eandem rationem cum ſalibus putredinoſis fimi in ammoniacum conuerſa, ad fertilitatem agrorum plurimum contribuit, experimento agricolarum. Quin et ipſam maturitatem calx accelerat, radicibus arborum inſperſa: quod hortulani obſeruare ſolent, quaeſtum ex praecocibus ſumentes fructibus et floribus. Et in hoc argumentum erudite olim commentatus eſt, Vir Cl. IOH. GOTHSCHALCK TRANAEVS, Noſtras, M. D. et Regiae Ammiralitatis Medicus. Conſtant inſuper noſtri corporis ſales ex ſalibus praecipue uegetabilium, quae in cineres uſtulata et elixiuiata, dant ſalem alkali fixum; putrefacta uero eadem, eundem exhibent uolatilem. Praeſertim, ſi cogitemus, humanum corpus nihil aliud eſſe, quam complexum quendam motuum chymico-mechanicorum, a principiis pure

ſucci in ſerum ſanguinis actione, *A. N. C. Cent. 5. p. 178.* ac de nimio acidorum uſu, foetui noxio, *eadem Naturae Curioſorum Acta, Dec. 1. Ao. 2. obſ. 149.* afferunt.

pure mathematicis dependentem. Videſis BAGLIVIVM, *de Prax. Med. l. 1. c. 9.* et MAYOW, *Tr. 4. c. 5. p. m. 351.*

Theſ. 28. Ergo omnia, quae non ſolum ex ſanguine, ſed et ex partibus ſolidis ope ignis haberi queunt, alkalina ſunt putrida, cum acidis efferueſcentia. Nec obſtat ueritati huic et axiomati mathematico, quod Cl. VIEVSSENS, Medicus Monſpelienſis, in *epiſtola, de humano Sanguine ad Facultatem Medicam Lipſienſem perſcripta*, iſtos Chymicos et Medicos prorſus erraſſe dicat, qui ſal acidum e ſanguine elici poſſe, negauerunt; cum ſcilicet ipſe ex libris quinguaginta ſanguinis exſiccati et calcinati in cinerem unciarum trium et drachmarum ſeptem, elixiuiatione elicuiſſet unciam unam ſalis fixi niuei, maxime alkalici, huiusque ſalis drachmas ſeptem et grana quadraginta duo unciis tribus boli ſicciſſimae admiſcuiſſet, et igne Reuerberii ex Retorta lutata extraxiſſet, dimidiam unciam granaque octodecim ſpiritus acidi, cum ſale tartari et uolatili ſanguinis, eiusque ſpiritu efferueſcentis, ſyrupoque uiolarum rubrum colorem, pro more acidorum, inducentis. Sed, praeterquam quod ſanguis, in aeneo uaſe torrefactus, multas particulas uitriolicas acidas ſecum auulſerit, ut ipſe etiam non diſſimulat VIEVSSENS, quamquam, ut huic incommodo obuiam iret, ſanguine in figulino uaſe exſiccato, et modo praedicto ſale elicito, ex uncia huius cum bolo tribus unciis denuo ſe

rece-

recepiſſe adfirmet, ſpiritus acidi drachmas tres, omnis tamen haec eliciti ſpiritus aciditas, bolo, et ſali marino unice debetur, qui non mutatur in corpore noſtro, ut fidis experimentis conſtat.

Theſ. 29. Liceat enim quotidie fere acida, in putredinis impedimentum, uel et aceſcentia alimenta, ut lacticinia et leguminoſa, adſumantur, eaque maneant diu acida in primis uiis, per quas non duntaxat uentriculum et inteſtina, ſed ipſas lacteas uenas, chyli receptaculum, ductumque Pecqueti, usque ad uenam ſubclauiam ſiniſtram, intelligo, licet, inquam, haec ita perpetuo obtineant, in ſanguineum tamen alueum perlata, continuis itibus reditibusque, et percolationibus, pulmonum praecipue beneficio, in machina chymica naturali, ſeu corpore humano, aciditatis naturam deponunt ac dediſcunt, inque ſal abeunt mediae naturae, ſeu acre ſalſum uolatile ammoniacum, corpori gratum et ſalubre. Salia tamen omnia mineralia et metallica acida, mechanicaeque cuſpides, nunquam in nobis alkaleſcunt, nec poſſunt propter rigiditatem unquam mutari aut fieri noſtra.

Theſ. 30. Itaque hinc eſt, quod uenena omnia animalium omnium morſu uel punctu illata, uel quocunque nocendi modo in noſtrum corpus transmiſſa, ſine dubio ſint alkalina, quum eorum humores ex itu continuo redituque per corporis meatus, praecipue uero per pulmones, muſculorumque actionibus et aere aeſtuante, ita exacuantur ac diuidantur, ut ex miti

miti miſcela ſalium oleorumque ſanguinem conſtituentium, oriatur acredo ſaponacea, ſumme alkalina et uolatilis. Praecipue cum haec animalia aliis uictitent animalibus, itaque ſemper excandefacta, morſum faciant. Atque hinc uerum dixiſſe ueteres omnes clare eluceſcit, cum animalium ſeu ἰοβόλων uenena uocarint putrefacientia, ut ex ipſorum patet ſcriptis, curandique methodo in alkali reflexa. Recentiores uero plurimos, non ſolum in eo male feciſſe, quod ab Antiquis receſſerint, ſola quadam nouaturiendi libidine, ſed et quod acidum quoddam in putrefactionibus uenenum ſuppoſititia libertate ſuppoſuerint, quod effectus curationis ad normam eorundem infeliciter inſtitutus abunde docet.

Theſ. 31. Sal autem marinus ſeu muriaticus, ut ut fere ſemper exeat per quotidianas urinas intactus atque immutatus, cum uiſcidis tamen combinatus cibis in nauigantibus, aliisque frigido ſalſo aeri obnoxiis, aut deſidi uitae emancipatis, *Scorbutum* excitat, cum ſapore oris ſalſo, et reliquis ſcorbuti ſymptomatibus; (*c*) ſed deinceps

(*c*) Nullius termini adeo frequens abuſus, quam ſcorbuti; ſi morbus ab imperito medico, quem nondum perſpexit ac cognouit, determinandus, ſcorbutus uocatur; ſi cauſa morbi indicanda, explicanda, ſcorbutus denuo accuſatur; ſi ratio tardae difficilisque medelae reddenda, culpa in malignam ſcorbuti indolem coniicitur; ſi macu-

ceps diuturniori per corpus circulatione, cum alkalinis ſanguinis ſalibus, et inteſtina quaſi correpta digeſtione ac putrefactione, in alkali propterea non abit, quamuis in ſcorbuto iam putrido urina flammea foetida, gingiuarum ulceroſus tumor, foetorque, et ſitis, cum ſubſequente interdum calidiſſima febri, hoc manifeſtare uideantur, alkalinis putridisque certo indicio diſpergentibus ſe uaporibus; uerum idem ille ſal marinus, a noſtro corpore indeſtructibilis, ex urinis licet foetidiſſimis et putridiſſimis haberi poteſt, atque arte chymica impetrari.

Theſ.

---

lae, puſtulae, ulcera, aut exanthemata in corporis ſuperficie prodeunt, ſcorbutica eadem dicuntur. Quid dicam de morbo conuulſiuo ſcorbutico, cuius HAGEDORNIVS, *Cent. 1. hiſt. 22. p. 39.* facit mentionem? Quid innuit ſcorbuticus pruritus, *A. N. C. Cent. 1. p. 144.* et ſcorbuticus affectus epidemice graſſans, *iisdem actis, eademque Cent. p. 324.* allegatus? Paucis: ſcorbutus, anima, plethora, et motus tonicus, communia atque uniuerſalia ſunt ignorantiae, qua plures medici hodie laborant, aſyla, uti iam aliis indicaui et demonſtraui locis, nempe, *diſſertat. de rite perquirenda morborum origine, cap. 15. a p. 43. ad 46.* et *tractatu de aſylis ignorantiae in Chirurgia et Medicina uſitatis, cap. 25. a pag. 27. ad 29.*

Theſ.32. Illud interim ueritatis ſuae fundamento innixum ſtabit, humores acidos, uel aceſcentes, in primis ſtagnantes regionibus, prout in infantibus lacticiniis utentibus contingit, maiorem cum tempore adſumere acrimoniae gradum, caſuque quodam fortuito ex foco ſuo excuſſos, uarie ſtimulare et irritare corpus in conuulſiones, aliosque morbos, ab acido acri orituros, ut in infantibus uidere eſt. Primo autem tormina excitat et eiulatus, dein ipſa deglubit inteſtina, et ſanguineum tandem procurat fluxum, quemadmodum magno cum animi dolore, ego et coniux, conſpeximus in quinque ſeptimanarum filiola chariſſima, Ioanna Maria, quae hinc obiit, menſe Decembri, Ao. 1708. adhibitis licet antacidis potentiſſimis.

Theſ.33. Sed uidemus ſaepe, per pulueres terreos, (*d*) aut alkalinos, acidum abſorpturos,

Z non

(*d*) Infelix terreorum in infantibus uſus, et operatio, non ſemper uermium in inteſtinis praeſentiae, quam potius adſtringentibus et obſtruentibus citatorum remediorum uiribus, tribuenda; nam, remedia mere terrea, acidum quidem abſorbent, ſed idem non eliminant, potius per acidum, quod imbiberunt, in calcem irreſolubilem mutata, adſtringendo atque obſtruendo, plura accerſunt incommoda. Nunquam igitur remedia mere terrea, in morbis infantum curandis, ſcopo abſorbendi acidum, ſunt adhibenda, ſed eccoprotica alcalina, qualia, magneſia nitri, puluis ireos Florentinae, qui-

non ſemper infantibus ſalutem impetrari, accuſato uentriculi et inteſtinorum ex lacticiniis acido, cum *Vermes* uarii generis, longi, lati, uerſicolores, aſcaridesque, funeſtam aegritudinis aleam infantibus ſaepe numero excitent, lancinationes nempe, diarrhoeas, atrophias, liuores, conuulſiones, eiulatumque his combinatum, generando. Recurrendum namque tum eſt ad medicamenta, dicta anthelmintica, eaque uel mercurialia, uel ſalina, uel mechanica, quae uermes dilacerant, uel oleoſa et pinguia, quae tracheas eorum obthurando, ſic occidunt, uel amara et adſtringentia, ex abſintio, tanaceto, chinae cortice, aliisque, quae fibras roborando inteſtinorum, aut eosdem necant, per fibrarum contractionem, aut

bus, tum acidum uiſciſdumque corrigitur, tum huiusmodi cruditatum expurgatio promouetur; et eadem ſubſidia, ſi iungas oleoſa, oleum nempe amygdalarum dulcium recens, ſine ignis tortura ſola expreſſione paratum, ſimiliaque olea ſimplicia, ad uermes enecandos, expellendos, ſufficient; quod enim tanacetum, et reliquas herbas, anthelminticas dictas, mercurium praeterea nigrum, et ſpiritum cornu cerui, aliaque penetrantia remedia, ab auctore noſtro commendata, attinet, eadem apud nos, quantum mihi per experientiam, ſana ſociatam ratione, cognoſcere licuit, in morbis infantum, minus congrua atque utilia, ob acris et uolatilis copiam ſalis, iudicanda ſunt, niſi uberiori uehiculo ſeroſo diluta, exhibeantur, ubi tamen iuſta remedii lenioris doſis idem praeſtabit.

aut uiuos expellunt. Anthelminticum quoque inſigne eſt, mercurius niger, et ſpiritus cornu cerui, ut ſaepius probaui. Et guttae D. D. GODDARD, in Anglia tam celebres, inſtarque Opiati in compeſcendis conuulſionibus, uel ab acido, uel uermiculis oriundis, nihil aliud erant, quam ſpiritus quidam alkalinus, ſumme uolatilis oleoſus, ex mortuis bombycibus eorumque exuuiis deſtillatus.

Theſ. 34. Verum ex ſupra dictis concluditur, in ſanguine noſtro, dum ſani ſumus, non dari aliquod ſal reuera acidum, nec reuera alkalinum, ſed quoddam ex his duobus compoſitum, ammoniacum: ita tamen, ut partes ſolidae, uel fluidae noſtrae, omniumque prorſus animalium, chymico igne tractatae, uel poſt mortem putrefactae, illaque fluida, quae in nobis intra aut extra ipſos ſanguinis alueolos ſtagnant, et mora ſua atque impulſu uaſorum fluidorumque uicinorum acredinem arripiunt, non in acidum aliquot uertantur, ut multi hactenus crediderunt, et ipſe etiam ex doctrina Cl. BONTEKOE, aliorumque, hactenus fui perſuaſus, ſed, quod ſemper in acre mutentur alkalinum, acido maxime contrarium. Ergo ad monitum HIPPOCRATIS, *lib. de Diaet. n.5. oculis magis credendum, quam opinionibus.* Morbos utpote in uniuerſum omnes ex uno atque ſolo acido produci, et omnes pariter per alkalia curari, facillimum intellectu eſt, et breui

 dierum

dierum ſpatio a quauis rudi muliercula perdiſcendum.

Theſ. 35. Mirum ſane eſt, Medicos quosdam adeo mordicus tenere, quod omnis putrefactio det ex ſe ſalem acidum, quem tamen nulla adhuc putrilago unquam reddidit, nec in poſterum ullo modo dabit. Et difficile dictu, quantum, in hoc uno themate peccantes Practici, in rem medicam mali introduxerunt, quamque multorum millium mortes hunc unicum errorem perſoluerunt, ac etiamnum quotidie perſoluunt. *Mirumque et indignum protinus ſubit*, exclamante in medicinam PLINIO, *lib. 29. cap. 1. nullam artium inconſtantiorem fuiſſe, et etiamnum ſaepius mutari, cum ſit fructuoſior nulla.* Prorſus, ut ſic quibusdam de induſtria peruerſam tendentibus ſemitam, aliosque uel auctoritatis, uel pietatis, aut ueritatis et eloquentiae ſpecie in partes ſuas trahentibus, medicina tota peſſum eat ac annihiletur. Adeo bene FLACCVS, *Carmin. lib. 3. Od. 6.*

Aetas Parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem uitioſiorem.

Praeſertim, cum omnem Medici Praxin, non ad Experientiae et Indicationum leges, ſed ad Poſtulata ſuarum hypotheſeum expendere, communi fere et haereditario uitio, conſtanter uelint.

Theſ.

Theſ. 36. Equidem naturae opera, et certa lege produci ſolita, attentionem merentur, ut ueteres errores corrigantur. Neque Recentiores Medici, qui in Belgium aliasque celebres Regiones, non aetheris cuiusdam ſubtilis captandi, aut fermentorum hauriendorum gratia, profecti fuerunt, ideo per contemtum *Transmarini Eruditi*, ut aliquis dixit, nec nouas opiniones ingeniis ſuis, quaſi uento agitaſſe, ſed potius ueras naturae leges, ſtabiliſſimis Geometriae fulcris fundatas, ac ſic priſcam illam Medicinae ſimplicitatem reintroduxiſſe, dicendi ſunt, quantum in ipſis fuit, quantumque ingenia ſua ueteri tenebricoſo fermento penetrata ad Geometricae doctrinae iubar emendare potuerunt, ſed cum CICERONE, *in Orat. pro Leg. Manil. neminem nomino, quare iraſci mihi nemo poterit, niſi qui ante de ſe uoluerit confiteri.*

Theſ. 37. Satis tamen mirari non poſſum, rudi non ſolum plebeculae, ſed etiam uiris eruditis, et qui ſupra communem ſortem ſibi ſapere uidentur, errorem hunc pertinacius eſſe infixum, omnes res in putrilaginem uergentes aceſcere, omniaque putrida acidum ſpirare, cum nulla res ſit magis diuerſa, et odore, et ſapore, et cauſis, et effectibus. Itaque de carnibus animalium, piſciumque, nunquam acidum uere praedicatur, ſed putredo alkalina, poſtquam corruptae fuerunt; contra uero de

lacte et ſeminum quibusdam emulſionibus, acidum recte pronunciatur, quamuis et illa certo artificio putreſcere queant. Nec meum eſt, aliorum facta carpere, quin potius hoc ipſo priſtini errati mei ipſius funus ſcribere, et firma in poſterum fide concipere: putrefactionem omnem rerum omnium non in acidum ſed in alkali ſaponaceum acre terminari.

Theſ. 38. Et omnino paratus ero, quoscunque errores in hoc uel alio ſcripto commiſſos, ingenue conteſtari, melioraque docenti auſcultare, iuxtá Poetam, *Epiſt. 1. lib. 1.*

nullius addictus iurare in uerba Magiſtri.

Prorſus, ut mihi quoque conueniat illud CORNELII CELSI, *lib. 8. cap. 4. Leuia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, conuenit etiam ſimplex ueri erroris confeſſio, praecipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſa poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt.* Omni enim ingenio, omnia tenere impoſſibile. Et ita eſt, ac Epeus, pugil Graecus, de mula Achillis indomita certaturus, dixit apud HOMERVM, *Iliad. lib. 23.*

\- - - ὀυδ᾽ ἄρα πῶς ἦν

Ευ πάντεσσ᾽ ἔργοισι δαήμονα Φῶτα γενέσθαι.

Sunt tamen quidam, publicis declamantes theatris, qui, ſi quid nouere utile, ac ſapientiae reconditae, conticent, cuiusdam ſolummodo lu-

celli

celli gratia, uel inuidiae, ut illis bene compe-tant illa PLINII, *lib. 25. cap. 1. Ita certe recondunt, qui pauca aliqua nouere, inuidentes aliis: et neminem docere in auctoritatem ſcientiae eſt.* Atque, ut VERVLAMII uerba adferam, *Hiſt. Vit. et Mort. Artic. 2. Obſ. 1. nae illi homines, more noctuarum, in tenebris notionum ſuarum acute uident, ad experientiam, tanquam lucem diurnam, nictant et concutiunt;* diſſimiles plane hoc ipſo L. Mallio, optimo apud Romanos pictori, qui Seruilio Geminio, apud ſe coenanti, et deformitatem filiorum ioco hoc increpanti, quod melius pingeret, quam fingeret, reſpondit, in tenebris ſe fingere, in luce pingere, referente MACROBIO, *Saturnal. lib. 2. cap. 1.* Neque, licet iam annis grauior eſſem, informari a peritis nunquam erubeſcerem, ſiue iſti ſenes fuerint, ſiue iuuenes, ſiue uiri, ſiue foeminae, uiui, uel mortui, ad exemplum SOCRATIS, *in Euthydemo Platonis*, ſub grandiori aetate diſcipli-nae ſe tradentis, et fidium artem, a Conno, Metrobii filio, perdiſcentis. Quamuis, ut fatear, difficile mihi fuit, ueterum errorem, et pleno hauſtum auidoque ore, rurſus eiicere, ſecundum illud ANDROMACHES SENECAE, *Troad. Act. 3.*

Dediſcit animus ſero, quod didicit diu.

Theſ. 39. Quin et uidemus, muliercularum edocti experientia culinari, ſanguinem anſeri-

num, aliumue, aceto infuſo, a coagulo et putredine optime conſeruari. Hinc dicit HIPPOCRATES, *de Humid. Vſu. n.9.* Acetum plus, quam aquam ſalſam, et potentius reſoluere grumos ſanguinis, gangraenis partium conuenire, ulceribus recentibus, auribus purulentis, et ori foetenti, ſed calidum. *e*) Quod porro attinet

(*e*) Oua aceto liqueſcere, liquefacta tuſſi equorum curandae ſeruire, aduertit THEOMNESTVS, *l. n. medicin. ueterinariae.* Nec haec acidorum uirtus Cleopatrae ignota erat, quae, PLINIO, *lib. 9. cap. 35.* et MACROBIO, *lib. 3. Saturn.* teſtibus, factis cum Antonio conſule ſponſionibus, ſe ſolam, una coena, centies ſeſtertium abſumturam, alterum de duobus unionibus ex aure pendulis, quibus pondere, magnitudine, et candore pares non habuit Oriens, aure detractum, dum ſecundae menſae bellaria apponerentur, aceto immerſit, eoque liquefactum abſorpſit, alterum quoque ſolutura, et abſumtura, niſi L. Plancus, ſponſionis iudex, obſtitiſſet. Hanc uim ſoluentem atque attenuantem, quam acida poſſident, hiſce ob oculos poſuit HIPPOCRATES, *lib. de affect.* τὰ ὀξέα λεπτύνει δῆξιν ἐμποιέοντα, acida nempe, attenuant, irritando. Vtiliter ita, ſcribit SPONIVS, *l. c. Sect. 4. aphor. 15.* acetum iis, quos nimia obeſitas ac copioſioris copia carnis affligit, praeſcribi ſolet. Memorabile huius rei exemplum extat apud FAMIANVM STRADAM, *lib. 8. de bello Belgico,* referentem, quod quidam Philippi

tinet liquida noſtra circulantia, poſſunt ea mo-

II. Hiſpaniarum Regis, Praefectus, adeo ſub mediam fere aetatem mole corporis increuerit, ut faſcia e collo demiſſa ſuſtinendus eſſet uenter; is igitur, iſtud propulſurus incommodum, uino ualedicens, aceto uſus, meliorem conſtitutionem, inutili detracto onere, obtinuit. Eo igitur ipſo, dum HIPPOCRATES, *lib. de Vet. med.* omnium humorum acidum maxime incommodum, ſequentibus pronunciat: *ἆρα ὀξὺς χυμὸς ἀνεπιτήδειος τῶν λοιπῶν μάλιστά ἐστιν· εἴπερ ὁ γλυκὺς γε πάντων ἐπιτηδειότατος*, idem nonniſi ad nutritionis negotium, cui minus fauet acidus ſuccus, applicari poteſt, et debet. Nam, ut abſtraham a uiribus, quas acido antecedentibus tribuit HIPPOCRATES, hoc praeſertim, hic monendum, hic urgendum eſt, quod acidis magnam uirtutem Cous noſter in curandis morbis, a bile enatis, tribuat, *libro de diaeta in acutis*, hunc in modum diſſerens: *αἱ ἀπὸ ὀξέος ὀξύτητες πικροχόλοισι μᾶλλον ἢ μελαγχολικοῖσι ξυμφέρουσι· τὰ μὲν γὰρ πικρὰ διαλύεται καὶ ἐκφλεγματοῦται μετεωριζόμενα ὑπ' αὐτέου, τά τε μέλανα ζυμοῦται, καὶ μετεωρίζεται, καὶ πολλαπλασιοῦται.* uid. SPONIVS, *l. c. Sect. 2. aphor. 13. p. 62. et 63.* Hoc, nec aliud fundamentum, ſine dubio agnouit ARISTOTELES, qui, *Sect. 33. Problem. 5.* acida ad ſingultus curam commendat. Quanta ſit acidorum uirtus, in ſedando aeſtu, reſtinguenda ſiti, abſtergendo ulcere, temperanda

tu corporis uehementiori ſumme diuidi, ac alcaleſcere, uel et uſu alcaleſcentium ingeſtorum frequenti. Stagnantia uero eadem, febrili calore, hoc eſt attritu uaſorum et ſanguinis ad ſe inuicem, nimam ſubeunt diuiſionem; acidumque tum omne ſubuertitur, alkali uero euehitur, ut experimenta cum urina hominis, acutiſſima febre laborantis, per ſpiritus acidos efferueſcente, docent: non ſecus ac conſpicimus, id obtineri in urina hominis ſani, uero nomine ammoniaca, in ſanguine, ſaliua, bileque, ubi acido ex admiſtione alkali ſubiugato, urinoſus odor ſe ſtatim prodit, uel ubi eadem, longa et occulta digeſtione, ſiue putrefactione, tempore aeſtiuali, uel ſub calore foci, in eundem finem ſepoſita, alkaleſcunt.

Theſ.

bile, ſi non quotidie innumera idem demonſtrarent exempla, hiſce PLVTARCHI uerbis, ſympoſ. *lib. 3. cap. 5.* propoſitis, illuſtrari poſſet: *οὐδὲν δὲ τῶν σβεστηρίων ὄξους πυρὶ μαχιμώτερον, ἀλλὰ μάλιστα πάντων ἐπικρατεῖ καὶ συμπιέζει τὴν φλόγα διὰ ὑπερβολὴν ψυχρότητος.* Hic uero probe conſideres, frigiditatem, in acido, non ut cauſam, ſed ut effectum, reſpiciendam eſſe, cum ex Coi noſtri effato, *lib. de Vet. med.* certum, ſit: *ψυχρότητα, καὶ θερμότητα πασέων ἥκιστα τῶν δυναμέων δυναστεύειν ἐν τῷ σώματι.* conf. SPONIVS, *lib. cit. Sect. 3. Pathologica, aphor. 9. p. 58. et 59.*

Theſ. 40. Corporum autem *Putrefactio* exinde oriri mihi uidetur, quod omne concretum, in paruis quibusdam bullulis, aerem contineat, maxima ſui motus parte et elaſticitate nunc orbatum ac elumbem. Cumque calor acceſſerit uehementior, et preſſio quaedam, ſimulque externus aer nimis rarefit, ſicque elaſticam uim amittit, et reſiſtentiae modum, internus ſeſe explicat, extendit, et bullam, ſeu carcerem ſuum, parietesque ſubiecti, in quo latitabat, diffringit. Atque hac ratione, addente ſui aliquod non leue ſymbolum humido, et praeſertim influente igne coeleſti, corpora mutantur et deſtruuntur in cadaueroſum foetorem, ueram ſuarum partium gangraenam, oleaque et ſalia uarie alterantur, et reſoluuntur in alkali acerrimum, ex corpore quidem mortuo per totum ſpirantem, in uiuo uero, ex locis, ubi liquida ſtagnarunt, incipientem.

Theſ. 41. Omnes namque res ſucculentae, animalium, uegetabiliumque, ſi in aceruum coniiciantur, et bene comprimantur, ſique loco calido in aere aperto committantur aliquandiu, hiſce phaenomenis in perfectam putrefactionem tendere incipiunt, primo ſcilicet intus calere, per gradus deinde feruere, atque ultimo ebullire. Quo peracto, omnes omnibus communi foetore ſaporeque putridiſſimo ſcatent, inque pultaceum liquorem conuertuntur, hoc eſt, gangraenam. Qui liquor pultiformis, ex quacunque re putreſcibili his modis productus,

ctus, et deſtillatione examinatus, dat plurimam primo aquam, dein mutato recipiente, et aucto igne, ſpiritum urinoſum; iterum mutato uitro, et igne parum aucto, ſalem uolatilem alkalinum oleoſum, et oleum foetidiſſimum. Vere igitur dictum eſt a CARDANO, *de Venen. lib. 1. cap. 7. putredo eſt cauſa caloris in eo, in quo eſt, calor autem externus, eſt cauſa putredinis.*

Theſ. 42. Computreſcentia autem partium haerentium interna, eas uarie acuit atque exaſperat, accedente attritu uaſorum uicinorum, ac diſponit in ſales omnino uolatiles, ſola, inquam, putrefactione, nunquam uero, ut quidam male uoluerunt, fermentatione aliqua, quae nusquam gentium intra ſanguinem eſt, obtinendos. Videſis WILLIS, *de Ferment. cap. 8.* Vbicunque enim praegreſſa eſt aliqua fermentatio, ex illo corpore ſemper et perpetua neceſſitate ſpiritum uinoſum inflammabilem, uel et acetum impetrare poſſum; talem uero ex ſanguine humano, uel aliorum animalium nullus adhuc elicuit, ut nob. BOYLE, *Hiſt. Sangu. Hum. Part. 1. Tit. 1.* mecum putauit.

Theſ. 43. Putrefactio uero et Fermentatio multum inter ſe differunt. Et quidem Putrefactio modis praedictis in animalium uegetabiliumque interitum ac gangraenam tendit. Sed Fermentatio non habet locum, niſi in rebus uegetabilibus, eſtque mutatio uegetabilibus

motu

motu inteſtino producta, cuius effectu pars deſtillatione prolecta duplici nomine inſignienda eſt; Vel 1) liquor eſt tenuis, non pinguis, acer, uolatilis quam maxime, inflammabilis, et aquae miſcibilis; Vel 2) liquor tenuis, non pinguis, acer, ſed acidus, minus uolatilis, non inflammabilis ad ignem, aquae permiſcibilis. Fermentanda autem ſunt, uel ſucci fructuum recens expreſſi, mox ſine ullo adminiculo fermenteſcentes, aut ipſi fructus ſucculenti, ſemina frumentacea, leguminoſa, mucoſa, quae torrentur, moluntur, aqua ſubiguntur, fermento permiſcentur, in uas immittuntur fermento olim penetratum, loco calido ponuntur, cado per pannum obtecto. Quando haec in putrefaciendis obſeruantur? Mox adſunt haec phaenomena: 1) tumor, rarefactio, bullae, ſpuma, motus inteſtinus, liquidi opacitas, 2) uis elaſtica ingens et incredibilis partium, 3) formatio pelliculae craſſae, operientis liquidum fermentans, flos dicta, Noſtris *Ieſt.* 4) Conſumtio eiusdem ſucceſſiua et demerſio in faecem. Tum pelluciditas liquoris, odor ſpirituoſus, acido-dulcis, penetrans, mordicans, et ſubito occidens, ſapor ſimilis. Tuncque eſt abſoluta fermentatio. Liquidum in quietem repoſitum faceſſit in uinum pro uarietate materiae. Si deſtillatur, dat ſpiritum mox memoratum. Si uero fermentatio diutius protrahitur in loco calidiore, aceſcit totum, fitque, ſolutis et remixtis liquido floribus, ſeu tartaro, acetum dictum. Et, ſi iam com-

comparentur phaenomena, putrefactioni propria, cum his fermentationis, erit res toto coelo diuerſa. Quis autem eiusmodi fermentationem ſanguinis in homine intra uaſa factam, unquam obſeruauit? Aut quis ſanguinem animalium in talem fermentationem unquam deduxit, ſpiritumque ardentem, uel et acetum elicuit? Quin potius per ſe in loco calido repoſtus, putredinem arripit. Nec ualet argumentum ex ſaliua petitum, quam fermenteſcere cum alimentis certum eſt. Hinc foeminae Braſilienſes, radices Aipi et Maniot, tum milium, mandunt, et ſpuunt in uaſa, unde potus quoddam genus elicitur, teſte LERIO, *Nauigat. Braſil. cap. 9.* Sed hoc intelligendum eſt, de ſaliua hominum paſtorum, non uero ieiunantium. Differunt ergo, ratione ſubiecti, cauſae, et effectus. Putrefactio omne ſpecificum deſtruit, commune uertit in alkali, olea atterit, et ſalibus permiſcet.

Theſ. 44. Et eſſe in homine leuiſſimam quandam omnium alimentorum computreſcentiam, facilis crediderim, cum uideamus, ſalia alkalina uolatilia per ſolam putrefactionem obtineri poſſe, uel ex rebus, ubi antea talis fuit putredo, quae tamen in homine abunde fluitant. Atque hinc concludimus, corpora alimentoſa per putrefactionem ſubire ultimam ſui deſtructionem, cum, quando iam noſtra facta ſunt, inque ſolida et ſanguinem conuerſa, ulterius aceſcere penitus nequeant. Cibos autem ſic in uentriculo

culo putreſcere, ac comminui, nouum minime dogma eſt, ſed antiquiſſimum auctorem agnoſcit, PLISTONICVM nempe, PRAXAGORAE diſcipulum, ut meminit CELSVS, *Praefat. l. 1.* (*f*) Hinc etiam uidemus, carnibus in menſas [illegible]

magna-

(*f*) Nulla, in naturali chylificationis negotio, putrefactio, admitti poteſt; nam, et ſemiputrida alimenta, motu canalis alimentorum, ac uirtute ſaliuae, limphae gaſtricae, bilis, et ſucci pancreatici, attenuata, ac ſoluta, maxime emendantur, ac parte corrupta, per aluum excluſa, pars laudabilis a poris uenarum ac uaſorum lacteorum recipitur. Putreſcunt autem alimenta putrida, putrefactione continuata, in canale alimentorum, motus inertia ac mala liquorum digerentium et ſoluentium qualitate; imo putreſcunt etiam alimenta bonae indolis, praeſente in uentriculo uel inteſtinis ulcere, quo contaminantur. Haec autem minus applicanda ſunt ad naturalis ſtatus explicationem. Eo uero ipſo maxime improbanda eorum conſuetudo, ac temeraria uoluptas, qui eſu carnium, ferarum imprimis putridarum, delectantes, praeſentem, quae in fluidis ſolidisque iam adeſt, corruptionem, promouendo, promouent morborum multitudinem, et uehementiam. Multo minus Alpinorum inſtitutum, a THVANO, *ultima hac theſi citato*, citatum, approbare poſſum, qui gallinas aliasque uolucrium ſpecies, cultris napelli ſucco infectis, ſub aliis infixis, enecando, carnes, putredine hinc

magnatum apponendis, leuiſſimam prius procurari putredinem, quo fragiliores magis, et uentriculo digeſtibiliores euadant, quod *ferinaſcere* uulgo dicebatur antiquitus. Memini tamen, magni nominis medicum, et cui contradicere neque audebam, neque propter aetatis reuerentiam, uolebam, mihi in conuentu plurium oppoſuiſſe, odorem carnis ferinaſcentis acidum ipſis naribus percipi, quod equidem miror, cum reuera ſit putridus. Neque hac ſolummodo ratione ferinaſcentiam et friabilitatem putredinoſam conciliare curioſa adinuenit hominum ſollertia; ſed et aliam plane methodum Sabaudis et Valdenſibus ſuo tempore in uſu fuiſſe, IACOBVS AVGVSTVS THVANVS, Hiſtoricus elegantiſſimus, memorat, per tela uiru Napellino contaminata. Ita autem habet *Hiſtor. lib. 27. Eius et longe alium,* (de Pthorae ſeu Napelli ſucco loquitur,) *in*

re

procurata, teneriores reddunt; non opus eſt arte, ad procurandam corpori humano putredinem; eidem et uiui adhuc obnoxii ſummus; omnes ſaepe partes eadem inficiuntur, abſumuntur; nullum reperitur uiſcus, quod ab eodem malo liberum manſerit; quis neſcit autem, cum PRVDENTIO, *Periſteph. in Martyrol. S. Roman. p. 716.* dico, quanta corruptela ſit contaminatae carnis ac ſolubilis? ſordet, tumeſcit, liquitur foetet, dolet. Inflatur ira, ſoluitur libidine, meroſque felle tincta liuores trahit.

re diſpari uſum, inter Alpinos, quem minime reticendum putaui, mirabitur Lector. Gallinas, et pullos, et huiusmodi uolucres, quarum carnes edules in diuerſoriis apponuntur, cultris eo ſucco illitis ſub alis figunt, quo ictu, mox emiſſo ſanguine, exanimantur, nullo uitio inde contracto, tantum carnes inde teneriores redduntur, et ſtatim hoſpitibus comedendae apponuntur, quod rerum naturalium ueſtigatoribus amplius diſcutiendum relinquo. Ergo et hoc modo per uenenum acre et putrefaciens napellinum, carnes, naturam arte imitante, intenerantur. Vnde quoque PLVTARCHVS, *Sympoſ. lib. 2. Qu. 9.* iſta animalia, quae pluribus conficiunt ictibus, uel a feris mordentur, prius ferinaſcere et intenerari, obſeruauit.

CAPVT SEPTIMVM.

Venena Vegetabilium acria, horumque conſtitutionem, et uarium operandi modum, pertractat.

Theſ. 1. Plantarum arborumque multiplex eſt differentia et diuerſitas: *uera autem cuiusque natura, nonniſi medio effectu pernoſci poteſt; opus ingens occultumque diuinitatis, et quo nullum reperiri poſſit maius*, ut Plinianis uerbis utar, *lib. 19. cap. 12.* Hinc herbae,

quarum uirtus noxia deprehenſa fuit, Venena Δηλητήρια, et Φάρμακα, appellabantur. Ingens earundem numerus eſt, imprimis, poſtquam Flora Indica coepit Europaeis gentibus ſuos hortos aperire. Sed perinde ſe res habet cum noxa plantarum ac uenenorum metallicorum; namque in certa et acciſa doſi, uel plantae ipſae, radices, aut ſucci, remedii ſaepius uicem gerunt, in eadem liberaliori atque imprudentiori, pro medicamento ſalutari, nocumentum corpori adferunt, ueneno ſemper uolatili alkalino oleoſo, atque aetatem non diu ferente.

Theſ. 2. In Regno itaque Vegetabili, acribus uenenis adſcribi poſſunt ſapones omnes uegetabiles, ſeu ſucci plantarum acres et noxii, oleo cuilibet herbae ſpecifico, ſale et aqua conſtantes. Quarum in numero ſunt *Anacardi*, g) principio

g) Anacardium, et anacardia, eſt fructus arboris Malabaricae, Oepata dictae, cuius deſcriptionem exhibet *Hortus Malabaricus*, *Part.* 4. *Tab.* 45. *p.* 95. Duplicem ſubſtantiam, quam in hoc fructu inuenimus, probe diſtinguere decet; fructus enim, ex HERMANNI, *Cynoſ. Mat. med. Part.* 1. *cap.* 5. deſcriptione, compreſſus auiculae cordis figura, nigricans, includens ſub duplici inuolucro, exteriore, tenui, rufeſcente, nucleum ſolidum albicantem, ſaporis ſubdulcis, et intra illud duplex inuolucrum, quaſi in poris, fauis apum ſimilibus, liquorem melleum, glutinoſum, rufum, ſaporis acris et exurentis, qui

pio quidem non ita acres, ſed pariter ac amygdalae, iuglandes, et auellanae, per aetatem ac

ab Indis habetur uenenatus, a chirurgis, duriſſimis etiam ſcirrhis impoſitus, eos miraculi inſtar diſſipat. In promtu igitur eſt ratio, cur tam male audiant hi fructus, multisque ueneni acris corroſiui ſuſpicione ſuſpecti ſint; nam, uti nuclei ſubſtantia farinacea oleoſa praediti optimum praebent nutrimentum, et piſtaciorum loco adhiberi poſſunt, ita econtrario mucus acerrimo ſale uolatili, eoque corroſiuo ſaturatus, qui intra corticis haeret duplicaturam, uenenorum catalogo accenſendus eſt. Segreges hinc, hos fructus in uſum uocans, ab inutili utile; idemque neceſſarium erit, eosdem ad aliorum compoſitionem remediorum adhibens. Commendatur hoc remedium ad confortandum caput, capitisque actiones, quales, memoria, iudicium, promouendas; imprimis confectio ex his fructibus parata, anacardina dicta, quam quidam confectionis ſapientum et Salomonis titulo celebrant, in capitis affectibus, qualis, apoplexia, a multis, KOENIGIO in ſpecie, *mat. med. regno uegetabil. p. 735. et 736.* maximi aeſtimatur, ſed raro aegrotorum et medicorum expectationi ſatisfaciens, contrarium plane effectum praeſtat; unde, ex mente HOFFMANNI, *lib. de medicam. officinal. p. 162.* confectio ſtultorum appellatur, quia promiſcuo illius uſu ſtupiditas et deliria producta fuerunt.

ſitum contrahentes acredinem .Tum *Spicae Celticae* cornua, *b*) *Carpaſi, i*) *Oleandri, k*) et

(*b*) Per cornua ſpicae, hic intelliguntur ariſtae ſpicarum, Spicae Celticae herbam, ſeu folia, conſtituentium; nam radicem et caliculosSpicae ſeu Nardi Celticae antiquis ſaltem fuiſſe in uſu, reiectis foliis, ex ſequentibus DIOSCORIDIS uerbis, *lib. 1. cap. 7.* conſtat: *ἀποκρίνας οὖν τὰ καυλία καὶ τὰς ῥίζας, τὰ δὲ φύλλα ῥίψας· εἰ βούλει δ' ἀποτίθεσθαι, ἀναλαμβάνων λεῖα οἴνῳ καινῷ, πωμάζων ἐπιμελῶς.* Certum igitur omnino eſt, quod, citatae Spicae Celticae partes, in medicina, ſcopo reſoluendi, aperiendi, confortandi, adhibitae fuerint, excluſis Nardi Celticae ſpicis, ſeu foliculis; ariſtas autem Spicae Celticae, ſeu cornua Spicae, ueneni illis inhaerentis metu reiecta fuiſſe, nullo antiquorum ſcriptorum loco legi; potius idem odoris ſuauitati, praeſtantiores uires indicanti, qua radices prae foliis excellunt, tribuendum eſt, teſte, citato DIOSCORIDE, *lib. et cap. cit.* ſcribente: *μόνων δὲ τῶν καυλῶν ἐστι καὶ τῶν ῥιζῶν ἡ χρῆσις καὶ ἡ εὐωδία. ὅθεν δεῖ πρὸ μιᾶς ἡμέρας καταῤῥάναντας ὕδατι τὰς δέσμας, καὶ χωρίζοντας τὸ γεῶδες, τιθέναι ἐπ' ἐδάφους νοτεροῦ, προυποκειμένου χαρτίου, τῇ δὲ ὑστεραίᾳ καθαίρειν· οὐ γὰρ συναποκαθαίρεται τῷ ἀχυρώδει καὶ ἀλλοτρίῳ τὸ εὔχρηστον, διὰ τὴν ἐκ τῆς ἰκμάδος εὐτονίαν.* Plura de hac radice, huiusque uiribus, habent THEOPHRASTVS, *Hiſtor. Plant. lib. 9. cap. 7.*

et *Cyclaminis l*) ſuccus, itemque *Iuccae Americanae*,

p. 1010. *et ſequ.* KOENIGIVS, *Regn. Vegetab. Sect.* 4. *p.* 128. CHARRAS, *de Theriaca p.* 185. POMET. *deſcript. mat. med. Part.* 1. *lib.* 6. *cap.* 10. *p.* 238. LEMERY, *Lexico mat. med. pag.* 773. HERMANNVS, *Cynoſ. mat. med. ed. Boecleri, part.* 1. *cap.* 1. *p.* 42. *et* 43.

(*i*) Carpaſum, idem cum Carpeſio GALENI mihi uidetur eſſe, de quo, *lib.* 7. ſimplic. ὅμοιον μὲν ὑπάρχει τῷ καλουμένῳ φοῦ κατά τε γεῦσιν καὶ δύναμιν; et paucis abhinc de uſu adiectis, pergit: ἔστι γὰρ αὐτὸ παραπλήσιον μὲν τῷ φοῦ, ἰσχυρότερον δὲ, καὶ ὡς ἔφην, ἔχον τι πιότητος ἀρωματιζούσης ἔν ὀσμῇ τε καὶ γεύσει.

(*k*) Oleander, Nerium quoque, et Rhododaphne uocatur, frutex, brutis peraeque animantibus ac hominibus, ex mente GALENI, *lib.* 7. *de ſimplic.* pernicioſus, γνώριμος ἅπασιν θάμνος, ἔξωθεν μὲν τοῦ σώματος, εἰ καταπλασθείη, διαφορητικῆς ἐστὶ δυνάμεως, εἴσω δὲ λαμβανομένη, ὀλέθριός τε οὐκ ἀνθρώποις μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς πλείστοις τῶν βοσκημάτων. Aliter de nerii uiribus ſentit DIOSCORIDES, *lib.* 4. *cap.* 72. *pag.* 277. aſſerens: nerii flores ac folia, canibus, aſinis, mulis, et pleriſque quadrupedibus uenena eſſe, hominibus uero contra uenenatarum beſtiarum morſus praeſidia; δύναμιν δὲ, ſunt eiusdem uerba, ἔχει τὸ ἄνθος καὶ τὰ φύλλα, κυνῶν μὲν, καὶ ὄνων, καὶ ἡμιόνων, καὶ τῶν πλείστων τετραπόδων δὲ ζώων φθαρτικὴν, ἀνθρώπων δὲ σω-

ricanae, quam Barbari *Mandiocam* appellant. Ita tamen cum Iucca comparatum, ſcribunt, quod in ipſo Americae continente non ſit exitialis, ſed in Cubam, aut Hiſpaniolam, inſulas, delata. Succus uero idem mediocriter calefactus,

στικὴν σὺν οἴνῳ πινόμενα, πρὸς δήγματα θηρίων· καὶ μᾶλλον, εἰ πηγάνῳ παραμίξας· τὰ δὲ ἀσθενέστερα τῶν ζώων, ὡς αἶγες καὶ πρόβατα, ἐπὰν τὸ ἀπόβρεγμα αὐτῶν πίῃ, ἀποθνήσκει.

(*l*) Duarum ſpecierum cyclaminis mentionem facit DIOSCORIDES, *lib.* 2. *cap.* 194. *et* 195. Plures adhuc allegant, BAVHINI, et DODONAEVS. In uſu uero eſt radix, ſale acri cauſtico abundans; unde adeo pernicioſa iudicatur foeminis grauidis, ut et ſola effluuia tranſeundo communicata abortum dicantur excitare; *Φασὶ δὲ*, ſcribit DIOSCORIDES, *l. c.* *ὅτι ἂν ὑπερβῇ τὴν ῥίζαν ἐγκύμων γυνὴ, ἐξαμβλώττει αὐτήν· ἔστι δὲ καὶ ὀξυτόκιον περιαπτομένη.* Propterea cyclamen uino inditum accelerandae ebrietati ſeruire, idem teſtatur, ac porro refert, cyclaminis radicem, uariis ſociatam uehiculis, tam interne quam externe, ad pituitae ſerique expurgationem, obſtructi fluxus menſtrui reſerationem, ad medelam icteri, purgandum caput, aluum aperiendam, oculos acuendos, aduerſus uenena, ut plura taceam, conuenire, quae omnia, ex DIOSCORIDE deſumta, apud KOENIGIVM, *Regno Vegetab. p.* 816. *et* 817. deprehendimus; conf. HERMANNVS, *Cynoſ. mat. med. ed.* BOECLERI, *Part.* 1. *cap.* 1. *p.* 111. 112. 113.

ctus, tranſit in acetum rubellum, ſed uehementiori igne excoctus, in mel abit, radice arida, in panificia ſatis grata, perutili. Oleander autem, odore ipſo ſtrangulante ſatis ſe prodit, et animalia ex eiusdem eſu facile poſt uertigines moriuntur. Porro *Staphis Agria m)* male

(*m*) Staphis agria, etiam pedicularis, teſte SCRIBONIO, *cap. 8.* dicitur. Diſtinguitur uero ſtaphis a GALENO in *ἥμερον καὶ ἀγρίαν*, diſtinctas que illis tribuit uires, *ἡ μὲν ἥμερος*, ſunt illius uerba, *lib. 6. ſimplic.* *πεπτικῆς τε δυνάμεως, ἡ δ' ἀγρία δριμείας ἰσχυρῶς, ὡς ἀποφλεγματίζειν καὶ ῥύπτειν σφοδρῶς, ὥστε καὶ πρὸς ψώραν ἁρμόττει.* Hinc idem *lib. 1. κατὰ τόπους cap. 17.* inter *βοηθήματα φθειριάσεως*, refert *σταφίδα ἀγρίαν*. Eundem in finem hanc herbam commendat DIOSCORIDES, *lib. 4. cap. 156. p. 301. et 302.* huius ſemina ſimul in aqua mulſa trita ad craſſos humores per uomitum expurgandos ſequenti cautela praeſcribens: *τούτου κόκκους ί ἢ ἑ. ἐάν τις λεάνας ἐν μελικράτῳ δῷ, καθαίρει δι' ἐμέτων πάχη· περιπατείτωσαν δὲ οἱ πεπωκότες. Δεῖ μέν τοι προσέχειν συνετῶς μελίκρατον διδόντας διὰ τὸ ἐπιφέρειν τοὺς κατὰ πνιγμὸν κινδύνους, καὶ καίειν τὸν φάρυγγα.* Manifeſte hoc Dioſcoridis experimento, non ſaltem ſalis alcalini, quod huic herbae ineſt, uirulentia, demonſtratur, ſed ſimul quoque, quod acida ſeroſis iuncta, optimam incommodorum, hic metuendorum, antidotum conſtituant, probatur.

audit, quam CELSVS, *lib. 3. cap. 21.* Vuam Taminiam appellat. Nec ſalubrior eſt herba, quae Staphidi in officinis ſubſtitui ſolet, *Pedicularis Pratenſis* rubra elatior Raii dicta, Noſtris *Liiewarg*, quod falces hebetet. *Colchicum*, ſeu *Ephemeron*, quod eodem die uitam tolleret, *n*) ad

n) Aliam adhuc, cur colchicum, ephemeron dicatur, Scholiaſtes Nicandri, allegatae iam rationi addit, his uſus: *ἕτεροι ἐφήμερον διὰ τὸ ἔωθεν ἀναδίδοσθαι κατὰ τὸν Ταναίον ποταμὸν, ἢ τὴν Κολχίδα· τῇ γὰρ μεσημβρίᾳ τελειοῦσθαι, πρὸς ἑσπέραν δὲ αὐαίνεσθαι· ἢ διὰ τὸ ἡμέραν ὅλην μὴ δύνασθαι ἐξαρκεῖν τοὺς πίοντας αὐτὸ τὸ ἐφήμερον*, quidam ephemeron, hoc eſt, unius diei herbam, dicunt, quod, quo die naſcatur, eodem intereat, mane enim prodit circa fluuium Tanain, uel Colchida regionem, meridie perficitur, ueſperi areſcit; ſeu, quod, qui biberint ephemerum, eum diem ſuperare nequeant. Diſtingunt alii inter Ephemerum et Colchicum, aliique duplicem Ephemeri ſpeciem, uenenati, et non uenenati, allegant. Ita, haec confirmant, quae leguntur apud AEGINETAM, *lib. 7. ἐφήμερον οὐ δηλητήριον, ἀλλ᾽ ὅπερ ἶρις ἀγρία καλεῖται.* His illuſtrandis maxime ſeruiunt ea, quae affert GALENVS, *lib. 6. ſimplic. ἐφήμερον οὐ τὸ δηλητήριον, ὃ καὶ κολχικὸν ὀνομάζουσιν, ἀλλὰ τὸ ἕτερον, ὃ δὴ καὶ ἡ ἶρις ἀγρία καλεῖται, φύλλα μὲν, καὶ καυλὸν ἔχει ὅμοιον κρίνῳ, ῥίζαν δὲ μακρὰν, οὐ στρογγύλην, ὥσπερ τὸ κολχικὸν, ἔστι δὲ δακτύλου μὲν*

ad exemplum Inſecti Ephemerae, Belgis *Hafft* dicti, una tantum die uiuentis, amnibusque et lacubus inuolutantis, ex uermiculo uero aquatico oriundi, ut BLANCARDVS, *de Inſect. cap. 32.* habet, his accenſentur, putantque, nonnulli eſſe hermodactylum officinarum, in podagra et arthritide ob purgatiuam uim tam multum celebratum. Apud noſtrum praeterea uulgus male audit *Plantago Aquatica, o)*

μάλιστα τὸ πάχος, στόφουσα δὲ καὶ εὐώδης, ἐξ ὧν δῆλον, ὡς μικτῆς ἐστι δυνάμεώς τε καὶ κράσεως ἀποκρουστικῆς· μαρτυρεῖ δὲ καὶ κατὰ μέρος ἔργα. Differt quam maxime ab hoc ephemero, ephemeron, colchicum dictum, cuius uirulentiam et funeſtam in humano corpore operationem hiſce uerſibus NICANDER, *in theriacal.* deſcribit: *ἣν δὲ τὸ Μηδείης, κόλχηιδος ἐχθήμενον, πῦρ κεῖνο ποτὸν δέξηται ἐφήμερον, οὗ παρὰ χείλη δευομένου δυσάλυκτος ἰάπτεται ἔνδοθι κνηθμός.*

o) Succi acris, plantagini inhaerentis, uis corroſiua hinc patet, dum folia illius trita, et cuti applicata, dolorem, inflammationem, et ueſicas excitant. Refertur nihilo ſecius a SCHWENCKFELDIO in claſſem remediorum refrigerantium, ſiccantium et abſtergentium, et ad procidentiam ani, podagram, capitis dolorem, haemoptyſin, mictum cruentum, hydropem, icterum, uiſcerum obſtructiones, uulnera et ulcera ſordida, commendatur; ſed, uti in quibusdam affectibus

Noſtris *Steckre* dicta, quae, ſi ab equis, tauris, uitulisque, pedibus calcetur, neruis tibialibus ſtuporem quendam imprimit et immobilitatem, quod Noſtri *Haſa* uocant; comeſta uero, aut mortem, aut poſteriorum corporis partium atrophiam et marcorem introducit. Ideoque bruta quam maxime ab illa cauentur.

Theſ. 3. Sed multo acrius eſt *Apium Riſus*, Ranunculi quaedam ſpecies, *Herba Sardonica*, *p)* a natali ſolo, ubi frequenter naſcitur, alias dictum,

chronicis, uiribus aegrotorum adhuc integris, peccante, cum uiſcido, ſeri tenuis copia, et ſolidorum flacciditate, huius prudentem uſum admiſerim, ita in contraria cauſa, ſtatuque, idem prorſus exulare debet.

p) Ad ranunculi ſpecies, apium riſus, refert Dioscorides *lib. 2. cap. 206. p. 164.* ἔςι δὲ, ſcribens, καὶ ἕτερον εἶδος χνοωδέςερον καὶ μακροκαυλότερον, ἐντομὰς ἔχον πλείȣς τῶν Φύλλων, πλεῖςον ἐν Σαρδονίᾳ γεννώμενον, δριμύτατον, ὃ δὴ καὶ σέλινον ἄγριον καλȣσιν. Hoc apium, δριμύτατον, hoc eſt, acerrimum, uocatur; idem, ſceleratam herbam, dicit Apvleivs; Apium riſus a pernicioſo, quem producit, effectu, nominatur, quia aſſumtum mentis alienationem, cum labrorum contractione, ridentis imaginem ſiſtente, quam ſpaſmum cynicum, riſum Sardonicum, etc. appellamus, excitat; de quo Cicero, *in epiſtolis*, ſed heus tu, τὸν γέλωτα Σαρδώνιον rideamus.

ctum. *Mezereon*, ſeu *Laureola*, q) Noſtris *Kellerhals*, praeſertim uero eius baccae acres ſunt, et linguam, ac os, fauces, uentriculum ſtrenue perurentes, Wermelandi *Tiur-Baſt* nominant. Pariter *Aſarum*, radice ſua ignea noxium eſt, ſed tam uolatili ſale, ut non niſi recens noceat. Noxa tamen linguae facta per aliquot dies ſentitur. Hinc *Arum*, ſemine, folio, et praeſertim radice, recens nocet, linguam

q) Mezerei ſeu laureolae, *Seidelbaſt*, *Zeidelbaſt*, *Scheiſſloorbeeren* ſemina, in claſſem fortiſſimorum purgantium referuntur, teſte HERMANNO, *Cynoſ. mat. med. ed cit. Part. 1. cap. 5. p. 327.* Sed egomet horum ſeminum maxime corroſiuorum uſum plane repudio, ac, ſi forſitan potentius euacuans, pertinax hydrops, aegrotum robuſtum, integris praeditum uiſceribus, afficiens, deſideraret, cum citato Hermanno, extractum ex his ſeminibus aceto paratum, adiectis ſimul caryophillis aromaticis, admiſerim. Simile iudicium de floribus, cortice ac radice mezerei ferendum, quae nonnulli aduerſus quartanam, hydropem et uenena praeſcribunt.

r) Licet radicem aſari ad curandas febres quartanas, ETTMVLLERVS, *Prax. lib. II. cap. 15.* doſi drachmae dimidiae, uel totius, ante paroxyſmum, in decocto centaurei minoris exhibendae, ualdopere commendet; licet RVLANDVS, per omnes, *Centur. curat. empir.* plura exempla aegrotorum a febribus quartanis, tertianis, aſthmate

guam inſtar ignis adficiendo, osque et fauces inflammando atque exurendo. Sed areſacta radix minoris eſt multo uirtutis, poteſtque bene ſubſtitui Zingiberi Indico: hinc quoque Noſtris *Suenſk-Ingefer* adpellatur. In Lydia tamen prope Cyrenen dulcis et grata guſtu, perhibetur, ut raparum inſtar ea ueſcantur homines, ſi CROLLIO credimus, *de Signatur. Inter. Rer. pag. 24.* ex aliis referenti. Quanquam putauerim ego, hoc non adeo loci et plagae naturae attribui debere, quam quidem coctioni. Omnia enim ſalia uolatilia plantarum coctione et acidis miteſcunt, ut ipſa quoque cicuta cocta, et aceto condita, impune ſumatur, ſicut idem Aron ſiccatum, nihil fere acredinis reliquum habet, euentilato ſcilicet acri ſale, quod recens ueſiculas etiam excitabat in manibus delicatioribus.

Theſ. 4. Volatilem autem alkalinum ſalem Aro ineſſe, multi uoluerunt, ut ETMVLLERVS, *Not. in Schroederum*, aliique, quod et ipſa experimenta per ignem facta demonſtrant. Alii autem contra adſerere uolunt, acidum ipſi uola-

diarrhoea, uſu huius radicis, liberatorum, afferat, nemini tamen auctor ſuaſorque extiterim, hoc remedium promiſcue in citatis morbis adhibendi; quicquid hic praeſtat, non tanquam ſpecificum remedium horum affectuum, praeſtat, ſed tanquam uenenum acre, quod fortius irritando, pituitam reſoluit et expellit.

uolatilem ſpiritum eſſe, cum ſale tartari efferueſcentem, ut putat D. SCHELHASS, *Diſputatione de Aro, Ienae habita:* quod quidem meis experimentis non conuenit. Et ſuo quoque tempore THEOPHRASTVS, *Hiſt. Plant. lib. 7. cap. 11.* ſcribit, radicem ari eſculentam eſſe, ſi in aceto coquatur. *s)* Quam uero

---

s) Radicem ari, cibo idoneam eſſe, ſcribit THEOPHRASTVS, et folia eiusdem, aceto decocta, mandi poſſe, ſubiungit. En ipſa auctoris uerba! *ἐδώδιμος δὲ καὶ ἡ τοῦ ἄρου, καὶ αὐτὴ καὶ τὰ φύλλα προσαφεψηθέντα ἐν ὄξει· καί ἐστιν ἡ δεῖά τε καὶ πρὸς τὰ ῥήγματα ἀγαθή·* Eandem cum Theophraſto de uirtute ari ſententiam fouet DIOSCORIDES, *lib. 2. cap. 147. p. 159.* hiſce mentem ſuam declarans: *ἄρου ῥίζα λευκὴ πρὸς τὴν τοῦ δρακοντίου, ἥτις καὶ ἐσθίεται ἑψομένη, ἧττον οὖσα δριμεῖα· ταριχεύεται δὲ τὰ φύλλα εἰς βρῶσιν, καὶ καθ' ἑαυτὰ ξηρανθέντα ἑψόμενα ἐσθίεται.* Eadem ratione ari radices, ut rapas, in uſum ciborum uocari, notat GALENVS, *lib. 2. de aliment. facult.* *ἔστι μὲν ἡ ῥίζα καὶ τούτου τοῦ φυτοῦ παραπλησίως ἐσθιομένη τῇ τῆς γογγυλίδος.* Cum igitur tot auctorum, rerum ipſarum experimentis nitentium teſtimonia adſint, uerbis non opus eſſe iudico; uerbis nihilo ſecius et obiectionibus IOANNIS BODAEI a STAPEL occurrendum, qui, in *Notis ad Theophraſti hiſt. plant. lib. 7. cap. 11. Amſtelodami 1644. in fol. ed. p. 860.* allegatorum auctorum de aro ſententias perpen-

uero acris et mordax eſt haec Ari radix, ſecu-
la

dens, nullus ueretur exclamare: inter eſculentas radices numerat arum? bone Deus! quis aro ueſceretur? adeo acre eſt, ut linguam, palatum fauces incendat. Sed, quid opus his ambagibus? cum auctor ipſe, contra quem diſputando agimus, ſententiae Galenicae ueritatem, diuerſam ari, ſolum ſolique naturam ſequentis, indolem, reſpiciens, ſententiae, quam modo refutauerat, ſubſcribere teneatur. Ita uero GALENVS, *lib.* 2. *de alim. facult.* ulterius mentem ſuam explicat: *ἐν χώραις δέ τισι φύεται δριμότερα πῶς, ὡς ἐγγὺς εἶναι τῇ τοῦ δρακοντίου, καὶ χρὴ τὸ πρότερον αὐτῆς ὕδωρ ἀποχέοντα κατὰ τὴν ἕψησιν, εἰς ἕτερον ἐπεμβάλλειν θερμὸν, ὡς ἐπὶ κράμβης τε καὶ φάκης εἴρηται· κατὰ δὲ τὴν Κυρήνην ἔμπαλιν ἔχει τὸ φυτὸν πρὸς τὴν παρ' ἡμῖν χώραν· ἥκιστα γὰρ ἔχει φαρμακῶδές τε καὶ δριμὺ τὸ ἄρον, ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις, ὡς καὶ τῶν γογγυλίδων εἶναι χρησιμώτερον· καὶ διὰ τοῦτο καὶ εἰς Ἰταλίαν κομίζουσι τὴν ῥίζαν, ὡς ἂν, καὶ διαμένειν δυναμένην χρόνῳ πλείονι χωρὶς τὸ σαπῆναί τε καὶ βλαστῆσαι.* His igitur Galeni obſeruationibus fidentes, omnino fateri tenemur, ari radicem, pro ſoli diuerſitate, iam uberiore iam parciore ſalis plus minusue acris quantitate imbutam eſſe; imo et hoc omnino certum, quod ari maxima pars farinaceis conſtet particulis, quibus incluſa haerent ſalia admodum acria et uolatilia; unde, iisdem mora temporis per ex-

la tamen eius et farina, urgente neceſſitate, in panificiis uſurpari poſſet. PAVLVS BOCCONE, Nobilis ex Sicilia, *Recherch. et Obſervat. Naturell. Lettr. 21.* ſcribit, Ari Aegyptiaci radicem plurimis incolis terrrae Siculae, *de Mililli* in monte Hybla opem tuliſſe in annonae caritate, ipſis *Culcaſi* dictam, primo coctam, hinc oleo uel melle commiſtam. Et ſunt, qui putant, radicem *Chara*, ex qua ſibi cum lacte pulmentum fecerunt Valeriani milites apud IVLIVM CAESAREM, *de Bell. Ciuil. lib. 3. c. 10.* Aron fuiſſe. Locus autem ſic habet: *Eſt etiam genus radicis* inuentum ab iis, qui fuerant cum Valerio, quod appellatur Chara; quod admiſtum, multum inopiam leuabat. Id ad ſimilitudinem panis efficiebant. Eius erat magna copia. Ex hoc effectos panes, cum in

halationem diſſipatis, haec radix omnis acrimoniae expers, merum abſorbens et nutriens euadit, uti multoties obſeruaui. Nam hoc certiſſime aſſeuerare et ingenue teſtari poſſum, quod recens ari radix maſticata ſenſum ardoris uix delendi in faucibus reliquerit, cum eadem per anni aſſeruata ſpatium, plane inſipida fuerit. Quod denique attinet principia ari, alcali eidem alii, alii ammoniacale, acidum alii demum, tribuunt, uti ex HERMANNI, *Cynoſ. mat. med. ed. c. Part. 1. c. 1. p. 63. et 64.* et KOENIGII, *Regn. Veget. Sect. 4. p. 741. ad 744.* patet; ubi multa quoque de uiribus ari reſoluentibus ſummo ſtudio conquiſita inuenimus.

in colloquiis Pompeiani famem noſtris obiecta-rent, uulgo in eos iaciebant, ut ſpem eorum minuerent. Conf. SVETONII *Caeſar c. 68.* Sum tamen in ea ſententia, non hic Ari ſed Filipendulae radicem, quae Noſtris *Sumill* dicta eſt, intelligi, cum illa ſit dulciſſima, frequentiſſima, et a noſtris olim in annonae caritate ſaepius uſurpata. Potius ergo radix Ari pro Zingibere uſurpari poſſet, uel et pro ſapone ad ueſtes eluendas, quali artificio uti Cantianas Angliae foeminas, ſcribit RAIVS, *Hiſt. Plant. l. 21. c. 18.*

Theſ. 5. Harum uero Plantarum, quaedam linguam, palatum, guttur, uentriculum atque inteſtina exurunt, aliae nauſeam excitant, et tormina ac colicam, dyſentericosque fluxus, aliae ſtrangulant, et ſyncope amentiaque hominem uexat: nonnullae maiori acredine gaudentia, conuulſiones adferunt, ut Ranunculus ille Sardous, ſeu Batrachium, qui comeſtus uentriculo cauſticam inurit maculam, cum uicino diaphragmate mox communicandam; unde muſculi pectorales ſtimulantur, os uero praecipue in morem ridentium diducitur torquetúrque. Atque hinc enatum eſt de *Sardonico Riſu* dicterium, ridere quidem homines, ſed nullum animo gaudium, contra odium atque inuidiam pectore gerentes. Refert ALPINVS, *de Plant. Aegypt. cap. 25. p. 35.* creſcere ibi prope Alexandriam in ramo Nili, Caleg dicto, herbam, incolis *Beidelſar* dictam, cuius

ſuccus

ſuccus ſit lacteus, et tantae acrimoniae, ut coria iniecta depilet, adſumtus dyſenteriam faciat lethalem, ad impetiginem uero curandam optimum ſit remedium.

Theſ. 6. Praeterea *Boleti* et *Fungi* aliquot hoc loco ſtabunt, qui Claudio Caeſari lethi cauſa fuerunt, βρῶμα Θεῶν, ſiue Deorum cibus, ut eſt apud Dionem, Neroni dicti. SENECA uero, *Epiſt. 95. Fungos, uoluntarium uenenum* appellat. PLINIVS, *H. N. lib* 22. *cap.* 23. *ancipitem cibum nominat.* De boletis autem ita PLINIVS, ibid *cap.* 22. *Inter ea, quae temere manduntur, boletos merito poſuerim, optimi quidem hos cibi, ſed immenſo exemplo in crimen adductos, ueneno Tiberio Claudio Principi per hanc occaſionem a coniuge Agrippina dato: quo facto illa terris uenenum alterum, ſibique ante omnes Neronem ſuum dedit.* Vnde Nero per hanc fallaciam imperium adeptus, boletos, Deorum cibum, appellauit, quod Tiberium ſuſtuliſſent. *t*)

t) Quanto in pretio olim fuerint boleti, ex hoc MARTIALIS diſticho, *lib.* 13. cognoſci poteſt: argentum atque aurum facile eſt, lanamque togamque mittere, boletos mittere difficile eſt. Vim nutrientem, et uenerem ſtimulantem boletis, una cum multis aliis tribuit WEDELIVS, *Mat. med. p.* 46. ita de eorum uirtute diſſerens: omnes boleti mucilagine pollent, qua facile ſe-

Theſ. 7. Omnes tamen fungi non ſunt ue-
nenati,

rum in orgaſmum cient, firmantque in ſeminis geneſin, ut alimentoſa quaeque alia. Videntur quidem terreni, in receſſu tamen ſtimulum condunt. Boletos, non cibos, ſed oblectamenta eſſe, ad edendum ſaturos cogentia, ſcribit SENECA, *epiſt. 208. Oper. ed. Antuerp. pag. 634.* Examinata igitur boletorum ſubſtantia, eaque cum hiſtoriis medicis collata, boletis quidem quibusdam inter medicamenta, minime uero inter alimenta locum concedendum eſſe, certus ſum. A boletis, animi deliquium, alui profluuium, motus conuulſiuos, morbum regium, uomitum bilioſum, uentriculi dolorem, diſtenſiones partium uehementes, omnis generis febres, repentinosque interitus productos fuiſſe, HILDANVS, *Cent. 4. obſ. 34. et 35.* SEBIZIVS, *Pathol. Tom. 1. pag. 212.* HIPPOCRATES, *lib. 5. Epidem. c. 27. t. 6.* WEDELIVS, *Pathol. pag. 484.* AMATVS LVSITANVS, *Cent. 1. cur. 39.* EPIPHANIVS, *hiſt. 11. fol. 30.* FORESTVS, *lib. 10. obſeruat.* SYLVATICVS, *Cent. 4. obſ. 79.* teſtantur. Reſpice Tiberium Claudium, qui, teſte PLINIO, *lib. 22. cap. 22.* in mortis certamine conſtitutus exclamabat: boleti, lethi cauſa fuere mei! Quid de peruerſa eorum conſuetudine, boletos ardentes deuorantium, hauſto mox potu frigido, ſentiendum? Quemadmodum, ſcribit SENECA, *Nat. quaeſt. lib. 4. cap. 13 ed. cit. p. 756. et 758.* nihil illis ſatis frigidum, ſic nihil ſatis calidum eſt; ſed

nenati, aut corroſiui; quidam enim uiſcido in-

 dige-

ardentes boletos, et raptim condimento ſuo merſatos, demittunt paene fumantes, quos deinde reſtinguant niuatis potionibus. Videbis, inquam, quosdam graciles, et palliolo focalique circumdatos, pallentes et aegros, non ſorbere ſolum niuem, ſed etiam eſſe, et fruſta eius in ſcyphos ſuos deiicere, ne inter ipſam bibendi moram tepeſcant. Sitim iſtam eſſe putas? Febris eſt: et quidem eo acrior, quod non tactu arteriarum, nec in cutem effuſo calore deprehenditur; ſed cor ipſum excoquit luxuria, inuictum malum, et ex molli fluidoque durum et patiens. Praecipue diſcrimen fungorum in ſalubres et noxios, a DIOSCORIDE, *lib. 4. cap. 83. p. 277.* allegatum, obſeruandum, *μυκήτων*, dicente, *διαφορὰ διττή, ἢ γὰρ βρώσιμοί εἰσιν, ἢ φθαρτικοί.* Alias quoque diuidunt fungos in terreſtres et arboreos, pratenſes et lapideos, uernales et autumnales, boletum in ſpecie eſculentum, *die Morcheln*, fungum campeſtrem eſculentum, *Schampignon*, fungum uernum *Mouceron* dictum, fungum ſalicis, fungum cynosbati, fungum nucis iuglandis, boletum ceruinum, crepitum lupi, etc. Pratenſes pro optimis habiti fuerunt, et adhuc habentur; pratenſibus quippe, uti canit HORATIVS, optima fungis natura eſt, aliis male creditur. Eosdem pariter praeſtantiſſimos, et hinc *βωλίτας* Graecis dictos, allegat GALENVS, *l. 2. de aliment. facult. cap. penult.* Cui ſubſcribit

digeſtibili alimento conſtantes, facillime quidem

Aegineta, *lib. 1. cap. 77.* ſcribens: τούτων δὲ αὐτῶν οἱ μὲν βωλῖται ἀβλαβέστεροι καὶ ἄποιοι, καλῶς ἑψηθέντες. Iungit his fungis alterum ſpeciem Aegineta, *citato loco*, quos ἀμανίτας uocari, et δευτέρας τάξεως εἶναι, perhibet. Suillorum fungorum genus Plinius, *H.N. lib. 22. cap. 23. pag. 408.* citatis addit, uenenis accommodatiſſimum, uires eorum ita delineans: familias nuper interemere, et tota conuiuia, Annaeum Serenum praefectum Neronis uigilum, et tribunos, et centuriones. Mox uero idem eosdem fungos medendis profluuiis ſeruire, hiſce fatetur: ſiccantur pendentes ſuilli, iunco transfixi, quales e Bithynia ueniunt. Hi fluxionibus alui, quas Rheumatiſmos uocant, medentur, excreſcentibusque in ſede carnibus, minuunt enim eas, et tempore abſumunt. etc. Inter fungos arborum, reliquis fungos ficus multi praeferunt, ſequens Nicandri conſilium ac teſtimonium amplectentes: συκέης ὁπότε στέλεχος βαθὺ κόπρῳ κ' ἀκηρεύψας ὑδάτεσσιν ἀεινάεσσι ποτίζεις, φύονται πυθμέσσιν ἀκήριοι, ὧν σὺ μύκητα θρεπτικὰ μήτι χαμαιζήλης ἀπὸ ῥίζης προτάμοιο. Fungi contra oleae, ilicis, punicae, quercus, tumidi, glutinoſi, malefici, ſtrangulantes, tanquam noxia dictarum arborum excrementa, a Nicandro reprobantur, ita *in Georg* canente: ἐχθρὰ ἐλαίης, ῥοιῆς τε, πρύνου τε, δρυός τ', ἀπὸ πήματα κεῖται, οἰδαλέα, σύγκολλα, βάρη, πνιγόεντα μυ·

dem per corporis capillaria haerent, ibique excitant uaria ex obſtructionibus oriunda mala, de quibus LEMERY, *Traite des Aliments part. 1. chap. 72. et 73.* Et certe, ex fungorum eſu immodico, Clementis VII. Pontificis Romani, praematuram mortem deducit BRVYERINVS, *de Re Cib. lib. 9. cap. 20.* quos tam auide expetebat, ut ſolus ex iis patinas coenaret nullo non die, ediceretque iis in terris, quae ditioni ſuae parebant, ne cui alteri demeterentur; quanquam AMBROSIVS PARAEVS, *de Venen. lib. 20. cap. 7.* ex fumo facis ueneno

 ſuper-

κήτων. Omnia uero, quae de cauſis et ſignis fungorum noxiorum, utilium, monenda reſtant, ſequentibus DIOSCORIDES, *l. et c. cit.* ex quo ſua deſumſit PLINIVS, complexus eſt: παρὰ πολλαῖς δὲ αἰτίαις φθαρτικοὶ γίνονται τοιοῦτοι· ἢ γὰρ ἥλοις, κατιωμένοις, ἢ ῥάκεσι σεσηπόσιν, ἢ ἑρπετῶν φωλεοῖς παραφύονται, ἢ δένδρεσιν ἰδίως βλαπτικοὺς φέρουσι τοὺς καρποὺς· ἔχουσι δὲ καὶ γλοιώδη οἱ τοιοῦτοι ἐπίπαγον· κατατεθέντες δὲ μετὰ τὸ ἀφαιρεθῆναι, ταχέως διαφθείρονται σηπόμενοι. Οἱ δὲ μὴ τοιοῦτοι, ζωμοποιοὶ, ἡδεῖς· πλεονασθέντες μέντοι καὶ οὗτοι βλάπτουσι δυσπεπτούμενοι, πνίγοντες, ἢ χολέραν ἐπάγοντες. Plura de fungis, eorumque differentia, et uſu, uide apud ATHENAEVM, *Deipnoſoph. lib. 2. cap. 19. ed. Lugdun. in fol. cum Dalechampii et Caſauboni notis, p. 60. et 61.*

ſuperinductae, eundem Clementem VII. Pontificem obiiſſe, ſcribat.

Theſ. 7. Sed acres ſunt, rubri, lacteſcentes, et maculoſi, ſiue muſcarii, namque ſtrangulant, uentriculo graues, urinam retinent, corporis ſuperficiem citrino colore inficiunt, aliaque corroſiuitatis atque hinc exorientis ſpalmi ſigna inducunt, nonnunquam etiam naribus admoti, ſtrangulanti ſuo odore occidunt. Hinc KIRCHERVS, *Scrutin. Peſt. Sect. 1. cap. 6.* fungos non male *uiuas Toxici burſas* appellat; PLINII autem locus, *lib. 22. cap. 22.* ſic habet: *Quorundam ex his facile noſcuntur uenena, diluto rubore, rancido adſpectu, liuido intus colore, rimoſa ſtria, pallido per ambitum labro.* Puto tamen, multos uon uenenatos, fieri uenenum, poſt putrefactionem, quam cito ſubeunt. Paulo uero poſt PLINIVS eorum ortus ſic deſcribit: *Si caligaris clauus ferriue aliqua rliqua rubigo, aut panni marcor adſuerit naſcenti, omnem illico ſuccum alienum ſaporemque in uenenum concoquit. Ducunt ipſi alia uitia nunc quidem, ſi ſerpentis cauerna iuxta fuerit, ſi pateſcentes primo adbalauerit capaci uenenorum cognatione ad uirus accipiendum.* Hinc apud HIPPOCRATEM, *Epidem. lib. 7. n. 50,* Pauſaniae filia ex fungi crudi eſu anxia facta, ſtrangulata, cum dolore uentris, donec ex aquae mulſae

potu

potu et balneo fungum euomeret. Sic, referente STALPART *van der* WIEL, *Cent. Obſ. Rar.* 4. iuuenes Hagienſes intra triginta ſex horas ex fungis obierunt. Par exemplum habet EPIPHANIVS FERDINANDVS, *Cent. Med. Hiſt. II.* Vt exempla a me uiſa et audita ſicco pede pertranſeam. Hinc Belgae Fungos *Duyuels-Broodt* uocant. Conſ. FRANCISCI STAARBECK *Theatrum Fungorum, edit. Antwerp.* 1667.

Theſ. 8. Nunc uenio ad exitialem quam maxime *Napellum*, ſiue *Aconitum*, Attalo Philomatori Regi amatam in hortis plantam, ut RHODIGINVS, *Antiqu. Lect. lib.* 3. *cap.* 21. habet, ab Aconis, loco Heracleae urbi uicino, quod frequens ibi naſceretur, ita dictum, ut prodit ATHENAEVS, *Dipnoſophiſt. l.* 3. *c.* 5. Quo pertinet Aconitum bacciferum, *Chriſtophoriana* uulgo, adpellatum, Haec uirulentiam ſuam funeſto magis documento oſtentant: labia namque, os, frontem, et linguam tumere faciunt, uentriculumque; anxietatem, dyſpnoeam, uertiginem, et deliquium, conciliant; atque conuulſionibus, oculorum magnitudine et diſtorſione, manuum petulantia, corporisque denigratione et ſphacelo, morteque praeſentiſſima, ſeſe produnt, etiam ad dimidiam exhibitae unciam. Videſis BONETVM, *Anat. Pract. lib.* 6. *Sect.* 8. *Obſ.* 2. Et MATTHIOLVS, *Comment. in Dioſcorid. lib.* 4. *cap.* 73.

 refert.

refert, quod latroni Pragenſi, ad mortem damnato, dederit radicis Napelli drachmam unam in Roſarum Conſerua, et poſt ſesqui horam aliud pharmacum ex napelli caule, foliis, floribus et ſemine paratum. Poſt duas horas nullum ſymptoma adparuit, tertia uero elapſa, de laſſitudine querebatur, imbecillitate magna, et cordis grauitate. Audacter loquebatur, et MATTHIOLVM intuebatur. Frigido tamen ſudore madere frons coepit, pulſusque minui. Data antidoto, in deliquium cadit et quietem, uerum refocillatus de frigore queritur. Paulo poſt reiectis per uomitum putridis, bilioſis, et liuidis, obmutuit, obiitque, facie ſtatim liuida, ac ſi laqueo ſublatus fuiſſet. Quod certum indicium erat, ſanguinem coagulatum fuiſſe per pulmones, uiſceraque omnia uitalia perroſa, ut ſanguis in ſuperioribus ſtagnaret, liuoremque faciei excitaret.

Theſ. 9. Id inſuper a ueteribus adnotatum eſt, quod, ſi Aconito genitalia tangantur foeminarum, illico moriantur; quod M. COELIVS acri peroratione in digito mortuas apud PLINIVM, *H. N. lib. 27. cap. 2.* Calphurnio Beſtiae exprobrat, tali ſtratagemate morientes uxores interimenti, idque ut diteſceret. Hinc rumor erat Romae, Calphurnium digito interimere uxores. Nec ſecus ſe res habet cum Ariſari radice, de qua PLINIVS, *lib. 24. c. 26.* ſic: *ſed unum miraculum ingens contacto genitali*

nitali cuiusque foeminini ſexus, animal in perniciem agi. Ideoque NICANDER, Aconitum adpellat θηλήφονον, *in Alexipharmacis. u)*

Bb 5 *Theſ.*

u) Duas Aconiti ſpecies deſcribit DIOSCORIDES, *lib. 4. cap. 77. et 78. p. 275.* Aconiti radicem, Germanis *Wolffswurtzel* dictam, et KOENIGIO, *Regn. Veget. Sect. IV. p. 717.* explicatam, idem, ab Aconito, quod Napellus, *Eiſenbütlein*, uocatur, diſtinguit, *citat. Sect. p. 929.* Inter aconitum, napellum, et aconitum hyemale, differentiam omnino fundatam, conſtituit BOECLERVS, *Cynoſur. mad. med. contin. Part. 1. cap. 1. a p. 71. ad 76.* Triplicis aconiti, nempe 1) aconiti lutei, 2) aconiti lycoctonon dicti, 3) aconiti hyemalis Belgarum, IO. BODAEVS *a* STAPEL, *Not. ad Theophraſti Hiſtor. plant. lib. 9. cap. 16. ed. cit. p. 1136. ad p. 1142.* facit mentionem. De Napelli, proprie ita dicti, uirulentia, a ſale acri alcalino penetrantiſſimo, eroſionem atque inflammationem acutam, acutiſſima ſociatam febre, mox mortem, excitato ſphacelo, afferentem, deriuanda, nullus dubitabit, quibus exempla, a MATTHIOLO, *Comment. in Dioſcoridis lib. 4. cap. 73.* et WEPFERO *tract. de Cicuta aquatica cap. 11.* adducta, ut plura ſilentio tranſeam, perſpecta ſunt. Concedo equidem lubens, quosdam, tempore peſtis, napello pro ueſicatorio uſos fuiſſe, uti teſtatur GALENVS, *lib. 5. et 6. de medicam. ſimplic. facultatibus*; non tamen hinc peraeque argumentum,

Theſ. 10. Tam horrendum autem fuit hoc Aco-

quo uſus napelli internus, tanquam tutus approbatur, deſumendum; quod praecipue accomodandum explicationi experimenti, quod habent *Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. 1. ao. 3.* referentes, quod ciuis Keſmarkinus, Vngarus, radicem aconiti in Carpathiis montibus creſcentem, ad tertianae extirpationem febris, drachmae pondere, felici adhibuerit ſucceſſu. Multo minus Theophrasti ſententiam, *Hiſt. Plant. lib. 9. cap. 16.* meam facio, affirmantis: nullum praeſtare ſubſidium, aconiti uirulentiam infringentis, interitumque hinc metuendum auertentis. Nec in eo illi aſſentior, perhibenti: quod ex aconito, ueneno, uenenum certis occidens temporibus, uidelicet bimeſtri, trimeſtri, ſemeſtri, anno completo, confici queat, uti tum de his, tum illis, quae antecedentibus monita fuerunt, uberius mentem mea explicaui, *Toxicolog. lib. 1. §. 10. p. 7. §. 14. p. 12. et § 53. p. 54. lib. 2. §. 26. p. 37. et §. 33. p. 49. ad 51.* An uero ruta, aconiti ſit antidotus, ualde dubito, cum iisdem, temperatioribus licet, principiis, ruta conſtet, quicquid etiam dicat Athenaevs, qui ſuam confirmaturus ſententiam, *lib. 3. Deipnoſophiſt.* ad Theopompi hiſtoriam prouocans, ita diſſerit: *εἴ τις τούτοις ἀπιστεῖ, μαθέτω καὶ παρὰ Θεοπόμπου, τοῦ Χίου, ἀνδρός Φιλαλήθους, καὶ πολλά χρήματα καταναλώσαντος εἰς τὴν ἐπὶ τῆς ἱστορίας ἐξέτασιν ἀκριβῆ· φησὶ γὰρ οὗτος ἐν τῇ ὀγδόῃ καὶ*

Aconitum Veteribus, ut a ſpumis Cerberi infernalis canis enatum fabularentur, nec aliud nocentius eſſe omnis crederet antiquitas. Hinc, cum Venena ſibi nota in certos Caloris et Frigoris gradus diſtinguerent, Aconitum in quarto gradu calidum dicebant. De Aconiti uero talibus natalitiis ex Graecis fabulis ſic *lib.* 7. *Transformat.* NASO cecinit, quod Aegeus Theſeo parari curauerat:

Huius

τριακοςῆ τῶν ἱςοριῶν ἐπὶ Κλεάρχου διηγούμενος τοῦ Ηρακλεώτου τῶν ἐν τῷ Πόντῳ Τυράννου, ὡς βιαίως ἀνήρει πολλοὺς, καὶ ὡς τοῖς πλείςοις ἐδίδου ἀκόνιτον πιεῖν. Επειδὴ οὖν, φησὶ, πάντες ἔγνωσαν τὴν τοῦ φαρμάκου ταύτου φιλοτησίαν, οὐ προήεσαν τῶν οἰκιῶν, πρὶν φαγεῖν πήγανον· τοῦτο γὰρ τοὺς προφαγόντας, μηδὲν πάσχειν πίνοντας τὸ ἀκόνιτον, ὃ κληθῆναι φησὶ, διὰ τὸ φύεσθαι ἐν τόπῳ Ακόναις καλουμένῳ, ὄντι περὶ Ηράκλειαν. De Helleboro, aconiti antidoto, de aconito in affectibus oculorum utili, de aconiti uirulentia, pantheras, ſues, lupos, ac ferarum omne genus enecantis, haec habet DIOSCORIDES, *lib.* 4. *cap.* 77. *et* 78. *p.* 275. ἀκονίτου τὴν ῥίζαν, φασὶ, προσαχθεῖσαν σκορπίῳ, παραλύειν αὐτὸν· διεγείρεσθαι δὲ πάλιν, ἐλλεβόρου προστεθέντος. Μίγνυται δὲ καὶ ὀφθαλμικαῖς ἐυωδύνοις δυνάμεσι. Κτείνει δὲ καὶ παρδάλεις, καὶ σῦς, καὶ λύκους, καὶ πᾶν θηρίον, κρεαδίοις ἐντιθέμενον καὶ παραβαλλόμενον. conf. FRICCIVS, *l. cit. c.* 4. *a p.* 147. *ad* 160.

Huius in exitium miſcet Medea, quod olim
Attulerat ſecum Scythicis Aconiton ab oris.
Illud Echidnaeae memorant e dentibus ortum
Eſſe canis. Specus eſt tenebroſo coecus hiatu,
Et uia decliuis, per quam Tirinthius heros
Reſtantem, contraque diem, radiosque micantes
Obliquantem oculos, nexis adamante catenis
Cerberon attraxit: rabida qui concitus ira
Impleuit pariter ternis latratibus auras,
Et ſparſit uirides ſpumis albentibus agros.
Has concreſſe putant, nactasque alimenta feracis
Foecundique ſoli uires coepiſſe nocendi.
Quae, quia naſcuntur dura uiuacia caute
Agreſtes Aconita uocant.

Et ſicubi ſponte proueniant, Napellus et Aconitum, *ea ſic abdidit ſapientiſſimus Naturae opifex, ut non niſi in profundiſſimis uallibus, aut altiſſimis montibus, procul ab hominum conſpectu, ad rapacium beſtiarum interitum, reperiantur*, uerba ſunt BODINI, *Theatr. Natur. lib. 3. p. m. 287.* Napelli tamen radice adulterari ſolet interdum Elleborus Niger, nefario exemplo Materialiſtarum.

Theſ. 11. Napellum, et ordine, et uirulentiae aequalitate, ſequitur *Oenanthe*, Apii folio, et *Cicuta*, Graecis κώνειον, ſeu amentia dicta, et Philoſopho optimo Socrati, ab Anyto et Melito ſpre-

tae

tae religionis accuſato, et in uincula coniecto, mortiferum ſucco gramen, ut PLATO, Socratis diſcipulus, ſcribit, *in Phaedrone*, licet dubitari poſſit, num hoc uenenum ex ſola cicuta paratum fuerit, quamuis ſic ab antiquitate creditum, ut PLINIVS, *lib. 25. cap. 13.* et DIOGENES LAERTIVS, *in Vita Socratis*, meminerunt, cum PLATO ſolummodo et uel nouies Φάρμακον appellet, nullibi uero Κώνειον. Noſtrates, cum Odinum Aſiaticum Septentrionis quondam Regem, Magiae et omnium herbarum fecerint peritiſſimum, Cicutam ab eius nomine *Od-cert* hoc eſt, Odini herbam, appellarunt.

Theſ. 12. Veteres fere omnes Cicutam per frigus necare uoluerunt. Hinc DIOSCORIDES, *Mat. Med. lib. 4. c. 79.* inquit: κώνειον φθαρτικὸν κατὰ ψύξιν ἀναιρῶν. Et GALENVS, AETIVS, AVICENNAS, aliique, qui ex Dioſcoride multa ſuis inſeruerunt ſcriptis, ſine ulteriori indagine, in eo omnes conueniunt; licet non defuerint ex antiquis, qui calidam dicerent, quos inter eſt PLINIVS, qui *lib. 25. c. 13.* dicit: necare eam ſanguinem ſpiſſando, maculasque ſic in corporibus mortuorum excitando, quae uera ſigna ſunt Corroſiuorum. Tum PETRVS *de* ALBANO, qui conciliator dicebatur, memorante SANTE *de* ARDOYNIS, *de Venen. lib. 3. cap. 62*; donec tandem a Cl. WEPFFERO, peculiari *tractatu, de Cicuta Aquatica*, calori iterum ſuo iure

iure plenario reſtitueretur. Namque ueteres ab ultimo et morti uicino ſymptomate, frigore ſcilicet, iudicarunt. Multos herbarum ignaros fallere ſolet ſimilitudine uel Apii, uel Petroſelini, uel Dauci, uel Myrrhidis. Hinc CARDANVS, *de Venen. lib. 1. cap. 2. Scio*, inquit, *quendam Nobilem Patauinum, qui, cum ediſſet Tortam ex herbis, quibus immiſta erat Cicuta, pro Petroſelino, ab ancilla, mortuus eſt ſequenti nocte.* Et refert SIMON PAVLLI, *Digreſſ. de Febr. Mal.* §. 2. in collectione olerum cicutam irrepſiſſe, atque aliquos necaſſe; ut taceam exempla WEPFFERI, ex quibus occaſionem ſumſit, tam egregiae in hanc herbam commentationis. *x*)

Theſ.

---

x) Perappoſite de nomine cicutae, eiusque deriuatione, GALENVS, *lib. quod animi mores corporis naturam ſequantur*, hunc in modum loquitur: καὶ μέν τοι καὶ διά τι μωρίαν αὐτὴν ἐργάζεται κώνειον ποθὲν, ᾧ καὶ τοὔνομα ἔνθεν παρώνυμον ἀπὸ τοῦ πάθους, ὃ πάσχον, ὁρῶ ἐπ᾽ αὐτοῦ τὸ σῶμα. Et diſtincte, et perſpicue, ſymptomata, quae cicutam cicutaeque epotum potum comitantur, et ſequuntur, hiſce ob oculos poſuit rhythmis NICANDER: καὶ τοῦ σὺ κωνείου βλαβόεν τεκμαίρεο πῶμα· κεῖνο ποτὸν δὴ γάρ τε καρήατι φοινὸν ἴαπτει, νύκτα φέρον σκοτόεσσαν· ἐδίνησε δὲ καὶ ὄσσε· ἴχνεσι δὲ σφαλεροί τε καὶ ἐμπαίζοντες ἀγυιαῖς, χερσὶν ἐφερπύζουσι κακὸς δ᾽ ὑπὸ νείατα πνιγμὸς

ἴσθμια καὶ φάρυγγος στεινὴν ἐμφράσσεται οἶμον, ἄκρα δέ τοι ψύχει. Tu quoque ſigna malae iam contemplare cicutae: haec primum tentat caput, et caligine denſa inuoluit mentes, oculi uertuntur in orbem; genua labant, quod ſi cupit ocyus ire, caducum ſuſtentant palmae corpus, faucesque premuntur obſeſſae, et colli tenuis praecluditur iſthmus; externi frigent artus. De ueneno ex cicuta parato, quo Chii utebantur, de uiribus cicutae uariis, de medicamentis hinc deſumendis, lege THEOPHRASTVM, *Hiſtor. plant. lib. 9. c. 17. ed. cit. p. 1145.* DIOSCORIDEM, *lib. 4. cap. 79.* PLINIVM, *lib. 25. cap. ult.* GALENVM, *lib. 3. ſimplic. cap. 18.* VALERIVM MAXIMVM, *Memorab. Exempl. lib. 21. cap. 6.* VARRONEM, *lib. 2. cap. 3.* FRICCIVM, *de Virtute Venen. med. cap. 18. a p. 322. ad p. 341.* KOENIGIVM, *Regn. Veget. Sect. 4. p. 789.* HAGENDORNIVM, *Cent. 3. hiſt. 85. p. 396.* CARDANVM, *de Venen. cap. 20. A. N. C. Dec. 1. Ao. 4. obſ. 106. et Dec. 2. Ao. 4. obſ. 50.* BOECLERVM, *Cynoſ. mat. med. contin. Part. 1. cap. 1. p. 78. et 79. et cap. 6. a p. 453. ad 460.* Hoc uero hic minime intactum relinquendum, quod antiquis iam uirtus cicutae reſoluens et corroſiua perſpecta fuerit, impugnantibus eorum ſententiam, qui uinum pro cicutae antidoto habebant, uti hiſce demonſtrat PLVTARCHVS, *lib. 3. Sympoſ. quaeſt. 3.* ἐὰν δὲ ὅτι τὸ κώνειον ἐπιπινόμενος ἰάσασθαι

praeparatam ferunt, ut una eius drachma hominem in tribus horis occideret. Quare etiam ſcribunt, illam publicis iudiciis adhibitam fuiſſe. Et Maſſilienſes, teſte VALERIO MAXIMO, *Memor. Exempl. lib. 2. cap. 6.* uenenum cicuta temperatum in ſua ciuitate publice cuſtodiebant, ei dandum, qui cauſas ſenatui exhibuit, propter quas mors illi ſit expetenda. Quam conſuetudinem a Graecis, ſicut originem, habuiſſe putat, quod illam etiam in inſula Coo ſeruari animaduerterit, foeminamque ultimae iam ſenectutis hoc ueneno ſe ipſam uiderit conſumere. Id tamen GALENVS, *de Simpl. Med. Fac. lib. 3. c. 20.* et PLINIVS, *l. 25. c. 13.* de Cicuta obſeruarunt, quod, ſi in uino detur, citius interimat, et ſit irremediabilis, forte quod uinum facilius ſoluat cicutae uirus, inque ſanginem deportet, ſicut Purgantia cum uino fortius operari ſolent, uel quod ſuccus Cicutae, quem Veteres adhibuiſſe putantur, in uino facilius diſſiliat, alias ſpiſſus et lentus.

Theſ. 14. In teneris autem et delicatis corporibus cicuta, ardores linguae, oris, uentriculi et

δοκεῖ πολὺς ἄκρατος, οἴονται τοῦτο θερμότητος εἶναι τεκμήριον, ἡμεῖς ἂν φήσομεν ἀναστρέψαντες, ὅτι συγκραθὲν αὐτὸ τοῦτο, φάρμακον ἀνίατόν ἐστι, καὶ καθάπαξ ἀποκτείνει τοὺς πίνοντας· ὥς τε μηδὲν μᾶλλον εἶναι δοκεῖν τὸ ἀντιπράττειν θερμὸν, ἢ τὸ συνεργεῖν.

et inteſtinorum excitat; ſpasmos, conuulſiones, ſaliuationem, intumeſcentiam, producit, ſuique aliquo modo ueſtigium relinquit in eroſis uiſceribus, ob muci forte inteſtinalis uel abſentiam, uel paucitatem, aut tenuitatem, fibrarumque facilem ſolutionem ac diſtractionem: aliis autem, quibus robuſtior corporis textura, non adeo per uiſcera inferiora ludit, ſed ſanguinem ingreſſa, deliriis, amentia, ſuſpiriis, anfractuoſaque corporis circumgyratione eſt funeſta. Conf. SIMON PAVLLI, *Digreſſ. de Febr. Malign. n.* 2. et STALPART *van der* WIELE, *Obſ. 43.* Sed aliud adhuc exinde memorabile perhibetur phaenomenon: Hierophantae enim Athenienſes, modica cicutae ſorbitione, ſe impune caſtrabant. Hinc TRAGVS, *Herbar. l. 1. c. 159.* Cicutam matrimonia eiurantibus commendat. Quod et agnouit NASO, *Amor. lib. 3. Eleg. 6.* Corinnam fruſtra amplexus:

Tacta tamen gelida ueluti mea membra cicuta
Segnia propoſitum deſtituere meum.

Et refert VINCENTIVS *le* BLANC, *Voyag. Chap. 34. part. 1.* uiduam indormiuiſſe herbae cuidam, *Sapony* dictae Caſubienſibus, atque interiiſſe.

Theſ. 15. Porro *Taxus*, baccifera arbor, ad Grislehamn, Vplandiae portum, abunde creſcens, umbra ſua ſtrangulare et necare perhibetur. Ex ſucco eius, Taxicum, uel Toxicum,

praeſtantiſſimum uenenum, fieri, uult PLINIVS, *lib. 16. cap. 10.* quamuis NICANDER, *in Alexipharmacis*, Toxicum appellet uipereum uirus, GORRAEVS uero, hoc, uim eius exitialem denotare, uelit. Sed baccae Taxi comeſtae oris ardorem ac uentris tormina, profluuium alui, dyſenteriam, febrimque efficiunt, uolucres autem denigrare dicuntur, ſerpente per plumas etiam gangraena et ſphacelo. *y*) Cuius quoque ex ligno uaſa uietoria, uinis in Gallia facta, mortifera fuiſſe, compertum eſt, ut PLINIVS, *l. d.* et RVELLIVS, *de Nat. Sirp. lib. 1. cap. 10.* narrant. Et fabulatur NASO, *lib. 4. Metamorph.* uiam, ad Stygium antrum ducentem, funeſta Taxo obſitam fuiſſe. Sic Catiuulcus, Rex Eburonum, ne in Romanorum manus ueniret, Taxo ſe exanimauit, ut IVLIVS CAESAR ſcribit, *de Bell. Gallic. lib. 6.* Refert. VINCENTIVS *le* BLANC, *Voyag. chap. 6. part. 2.* in Monomotapa creſcere arborem, *Coſcoam* dictam, ex cuius fructu, poma amoris aemulo, exprimitur ſuccus exitialis, et uenenum publicum, quo ſe interimunt criminis accuſati; nam publice uenditur, certa pecuniae ſumma Regi numerata.

Theſ.

y) DIOSCORIDES, *lib. 4. cap. 80. p. 276.* qui, pullos gallinaceos, ex Italicae taxi fructu comeſto, nigreſcere, hominesque alui profluuiis corripi, aſſeuerat, Narbonenſis, tanquam praeſentiſſimi ueneni, effluuia, quam maxime damnat, ſe-

Theſ. 16. Nec mirari conuenit, tam dira eſſe Taxi arboris effluuia, cum, et teſte BONTIO,

 de

quentibus uſus: τὸ δὲ ἐν τῇ Ναρβονίᾳ, τοσαύτης δυνάμεως μετέχει, ὡς καὶ ἐκ τῆς σκιᾶς τοὺς ὑποκαθίσαντας, ἢ κοιμηθέντας βλάπτεσθαι, πολλάκις δὲ καὶ θνήσκειν. Eo tantum tempore, taxum adeo pernicioſam eſſe, quo florere incipit, PLVTARCHI eſt opinio, ex hiſce perſpicienda, quae *lib. 4. ſympoſ. quaeſt. 1.* leguntur: μὴ θαυμάζωμεν δὲ, εἰ τοσαύτην αἱ τῶν στεφάνων ἀποφοραὶ δύναμιν ἔχουσιν· ἱστοροῦσι γὰρ, ὅτι καὶ σκιὰ σμίλακος ἀποκτείννυσιν ἀνθρώπους ἐγκαταδαρθέντας, ὅταν ὀργᾷ μάλιστα πρὸς τὴν ἄνθησιν. Apibus, taxi effluuia admodum inimica eſſe, probe aduertit, monuitque COLVMELLA, *l. 9. c. 4. Georg:* ne propius tectis taxum ſere, neue rubentes ure foco cancros. Et, idem, *Ecloga 9:* ſic tua Cyrneas fugiant examina taxos. De uiribus, tum medicamentoſis, tum uenenatis taxi, plura inuenies PLINIO, *lib. 16. cap. 10.* NICANDRO, *in Alexipharmacis.* THEOPHRASTO, *Hiſt. Plant. lib. 3. cap. 20. ed. cit. p. 160.* qui expreſſis perhibet uerbis: quod iumenta ex eſu foliorum taxi moriantur, ruminantia contra nihil mali hinc patiantur, fructus uero taxi et ab aliquibus hominibus mandatur, ſuauisque ſit, et innoxius; Φασὶ δὲ, ſunt illius uerba, τὰ μὲν λόφουρα, ἐὰν φάγῃ τῶν φύλλων, ἀποθνήσκειν, τὰ δὲ μηρυκάζοντα, οὐδὲν πάσχειν· καὶ τὸν καρπὸν ἐσθίουσι καὶ τῶν ἀνθρώπων τινες, καὶ ἔστιν ἡδὺς καὶ ἀσινής.

de Med. Ind. lib. 1. de Sandal. et lib. 3. cap. 15. ex caeſis arboribus Sandalorum oriatur febris quaedam peculiaris putrida, cum delirio et bulimia, quam Tymorenſem ex loco appellant. z) Sunt et qui ſuſpicantur, Taxi ramos ueteribus in uſu fuiſſe ad caedendos ſeruos, ſicut ex PLAVTO, *Perſ. Act. 2. Sc. 3.* colligere uolunt, quamuis crediderim ego, ſolum hic uerberum ſonum in ſeruo Sagariſtione indigitari, ſicut apud Noſtrates uocabulum *Lax*, aliquando Salmonem piſcem, aliquando propter ſoni ſimilitudinem, uerbera denotat. Praeterea DAPPER, *in Deſcriptione Americae*, ſcribit, creſcere in inſulis Antillis arborem, *Maſeniliem Boom* ipſi dictam, cuius poma comeſta, ſomnum lethalem producunt. Fert haec arbor inter corticem, quendam lacteum ſuccum, qui oculos et corpus inflammat ac tumeſcit. *Iuniperi* grauis umbra Virgilio deſcribitur, *a*) aliis *Buxi*, *b*) et

z) Huc pertinet quoque arbor Braſilienſis, *Aouai* dicta, quae, ex LERII teſtimonio, *Nauigat. Braſil. cap. 13.* teterrimi eſt odoris, et fructum profert, nucleo adeo uenenato inſtructum, ut comedentes ſubitanea hinc pereant morte.

a) Ita idem Ecloga ultima canit: ſurgamus, ſolet eſſe grauis cantantibus umbra; iuniperi grauis umbra: nocent et frugibus umbrae. Hoc uero non tam effluuiis noxiis, quam potius foliorum et germinum denſitati et copiae, qua liber aeris acceſſus, liberaque eius uentilatio, impeditur,

Mali Punicae. Volucres autem, fructus arboris, dictae Americanis *Manchinello*, non comedunt, nec in ea arbore conſident. Vnde ex longa nauigatione in ignotam terram appellentes, arborum fructus alios edere non ſolent, quam quos uident delibatos et mutilatos eſſe ab auibus. Sic *Euonymus* grano quadrangulari et folio, lethalis animantibus, ſuccurrente aliquando praecipiti alui exinanitione, ut PLINIVS, *lib. 13. cap. 22.* habet. Nec tutior eſt Oleandri frutex, ante memoratus, quem puto eundem fuiſſe in Ariana Gente Indiae fruticem peſtilentem,

adſcribendum. Accenſae effluuiis iuniperi ſerpentes, aliasque fugari beſtias, fatetur DIOSCORIDES, *lib. 1. cap. 103. p. 55.* haec de duplicis uirtutibus iuniperi afferens: *δριμεῖαι δὲ ἀμφότεραι, καὶ θερμαντικαὶ, θυμιώμεναί τε θηρία διώκουσιν.* uid. KOENIGIVS, *lib. cit. Sect. 4. p. 885.*

b) Alterum buxi genus, grauem prae ſe ferre odorem, perhibet PLINIVS, *lib. 16. cap. 16.* Buxus, ſcribit CARDANVS, *lib. 6. de Varietat. cap. 21.* aerem corrumpit, male enim olet, et, ſi apes ex eius flore guſtarunt, ut fieri ſolet, cum tempeſtiue et ante alias arbores floreat, ſtatim moriuntur; ob id procul alueariis ſeratur. Quod decoctum foliorum buxi, fluxum cruentum excitet, docet GARMANNVS, *de mirac. mort. l. 2. tit. 6. §. 57. p. 527.* De ligni buxi decocto, profluuium capillorum curante, lege, *A.N.C. Dec. 2. Ao. 2. obſ. 155.*

folio lauri, odore quidem ſuo equos irritantem, ſed equitatu pene omni Alexandrum Macedonem orbantem.

Theſ. 17. Taxo non minor nocendi efficacia Aegyptiacae arboris fructus eſt, *Nux Vomica* adpellatus, antiquis quidem ignotus Medicis, ſed Arabibus primum deſcriptus, et *Methel* dictus, *c*) atque huic facile pares *Cocculae Indicae*, piſcibus proprium uenenum. Haec adſumta, uomitum

c) Maximus eſt inter medicos de uomicae uiribus nucis diſſenſus, cum alii eandem, tanquam uenenum exitioſiſſimum plane e foro medico proſcribant, alii contra fortioribus eandem annumerando remediis, ad pertinacium morborum, a uiſcido tenaciore ortorum, medelam praeſcribant, alii demum cum medicis Scaphuſienſibus, teſte KOENIGIO, *lib. cit. p.* 398. nucem uomicam, non tantum pro tuto gonorrhoeae uirulentae remedio habeant, ſed in febribus etiam tuto exhiberi, exhibendamque eſſe, affirment. Nuce uomica, canes, feles, aliaque interfici animantia, notiſſimum eſt, multisque confirmatum exemplis, docent tamen, adductaque demonſtrant hiſtoria, *A. N. C. Dec.* 1. *Ao.* 10. *obſ.* 146. nucem uomicam a cane innoxie fuiſſe deglutitam. Quid dicam de febrifuga et diaphoretica nucis uomicae uirtute, ut plura taceam, de quibus legi merentur, quae habent FRICCIVS, *lib. cit. cap.* 22. *a p.* 370. *ad* 393. HERMANNVS, *Cynoſur. mat. med. ed. cit. Part.* 1. *cap.* 5. *a p.* 336. *ad* 338.

mitum horrendum, eroſiones, gangraenas uiſcerum, uertigines, conuulſiones, tetanos ſeu rigores, et cordis anxietates miſerandas, ſanguine per uitalia condenſato, conciliant. Hinc et nuces uomicae uſurpari a ruſticis ſolent, ad uulpeculas, aſtutiſſimum alias animalculum, ineſcandas, quae quoque ultramarinas haſce dapes, poſt conuulſiones et tetanos, uita et pelle, caro quamuis pretio, perſoluunt. Et forte meo quidem iudicio, pariter ac Anacardi, iſti fructus, dum recentes ſunt, non tanta acredine abundant, quantam deinceps ex aetate et ſitu contrahunt, non ſecus ac nuces corylinae, iuglandes, baccae lauri, aliaque Pomonae dona, cum tempore guſtus fiunt acerrimi, ſtrangulantis, et rancidi. Nuci autem uomicae ineſt amarum, cauſticum, alkalinum ſal, ut experimenta docuere.

Theſ. 18. In horum agmine collocanda etiam ueniunt, *Purgantia et Emetica Vegetabilium fortiora.* Praeclare HIPPOCRATES, *de Morb. lib. 4. n. 50.* Pharmaca purgatricia inferne aut ſuperne ualde urere, partes teneras corporis, quas contigerint, exulcerare, pulmoni uero magnum malum inducere, pronunciat *d*) Et DEMOCRITVS, Medicinae callentiſſimus,

d) Huius quoque loci ſunt uerba, quae *lib. de Steril.* leguntur: τῶν ἰσχυρῶν φαρμάκων τὰ πλεῖστα ἑλκοῖ τὸν στόμαχον. Sine dubio hic per ἰσχυρα

mus, *in epiſt. ad Hippocratem*, Veratrum, ſanis datum, menti tenebras offundere, ſtatuit. Plantae autem lacteſcentes et ferulaceae tale uirus quam maxime continent, nec multae ſunt tales,

---

Φάρμακα, Hippocrates uehementia intelligit purgantia; talia ſunt, inquit Sponius, *l. c. Sect. 5. §. 15. p. 297.* citatum explicaturus aphoriſmum, ſtibiata, inconſulto ab empiricis exhibita, a quibus ſtomachi dolores, ſanguinis uomitus, ſingultus, ſimiliaque ſymptomata, exulcerationis conſectanea, aliquando accidunt. Talia ſunt et plura remedia, a plebe potius, quam ab eruditis medicis uſurpata, cataputia, tithymalus, pinei Indici, et eiusdem farinae alia, quae, inſtar ueſicatoriorum, in ſtomachi tunicis ueſiculas excitant, et irritatione, quam inibi creant, uehementem purgationem exequuntur. Non ergo dubium, quin Hippocrates, et alii antiqui, qui ſaepe medicamenta ualida, ueluti helleboros omnis generis, praeſcribebant, modos et praeparationes habuerint, quibus uis et malignitas eorum obtunderetur. Hae autem praeparationes nobis ignotae ſunt, eo, quod multa ueterum ſcriptorum perierint, ueluti Pharmacitidis liber, quem conſcripſerat Hippocrates, quemque ſaepius citat. Sed benigniora nunc a nobis uſurpantur, antiquis incognita, ueluti caſſia, ſenna, tamarindi, manna, ac myrobalani, a quibus metuendus non eſt priorum effectus.

tales, quae abſque damno adſumi queunt, ſi ſonchos, intybos, chondrillas, et lactucas exceperis. Eminet prae ceteris *Gummi Guttae*, ſeu *Gamba*, Indicae Eſulae quidam ſuccus, ſed radice curcuma in luteum colorem adulteratus, cuius uis in uomitu, catarrhſi, inflammatione, gangraena, aliisque excitandis, ſatis perſpecta eſt. *e) Euphorbium* huic ſuccedit, plantae lacte-

 ſcentis

e) Gummi Gamandra quoque uocatur, et conſtituit remedium fortius ſtimulans atque euacuans, et ea de cauſa ad morbos a ſeroſa ortos colluuie, et ſolidorum laxitate, magno cum fructu adhibetur, uti expertus eſt LISTERVS, *Exercit. de hydr. pag.* 52. exemplum uetulae, (quae hydrope, cum tibiis ualde exulceratis, laborans, uſu huius remedii curata fuit,) ſiſtens, qui nihilo ſecius hoc medicamentum, tanquam maxime anceps, poſtea plane repudiauit. Verum, ut ſilentio tranſeam, quae ex Binningero affert et urget KOENIGIVS, *l.c. p.* 862. ſic propria ſimul edoctus experientia, hoc praecipue monendum habeo, quod hoc remedium ad grana octo uel decem exhibitum, ſale imprimis abſinthii, aut arcano duplicato ſociatum, et in hydrope, aliisque morbis a ſeri copia dependentibus, magnarum ſit uirium. Et hinc etiam facili negotio lenius parari poteſt medicamentum, ſi grana duo uel tria, magneſiae nitri, uel ſacharo lactis, addamus, ubi aliquot leniores alui de-

ſcentis, Libycae, tricoccae, ferulaceae, lacryma, ſucco Chamelaeae, ut PLINIVS tradit, *l. 25. c. 7.* interdum adulteratum, ſed ab Euphorbio, fratre Antonii Muſae, Auguſti Caeſaris Medici, Regis Mauritaniae Iubae Medico, quod ab ipſo in uſus uerteretur, ita dictum, ac ignea ſua et penetrantiſſima uirtute, uel ipſi uulgari plebeculae notiſſimum. Et forte ſuccus eſt eiusdem ferulae, a PLINIO, *l. 13. c. 22.* memoratae, quae habitu ſuo adeo noxia perhibetur, ut intumeſcant corpora, faciemque inuadant ignes ſacri. Quae ipſiſſima ſunt ſymptomata Euphorbii. *f*)

Theſ.

iectiones, omnium fere torminum expertes, experientur aegroti. conf. HERMANNVS, *lib. et ed. cit. Part. 1. cap. 8. a p. 684. ad 686.*

f) Adeo iam euphorbium, ob uim corroſiuam, antiquis ſuſpectum erat, ut huius ſuccum, teſte DIOSCORIDE, *lib. 3. cap. 96.* non citra metum incolae collegerint; A GALENO, *lib. 3. ſecundum loca, cap. 9.* euphorbii ſuccus, θερμότατος τῇ δυνάμει, calidiſſimus facultate, dicitur. Abundat enim euphorbium ſale uolatili penetrantiſſimo et oleo, quod cum aqua forti fortiter efferueſcit. Tanta euphorbii eſt uis corroſiua, ut impoſitum oſſibus nudis, eadem, ex KOENIGII obſeruatione, *lib. cit. p. 836.* deſquammet. Minus igitur tutum iudico euphorbii uſum internum, licet ab antiquis in claſſem hydragogorum fuerit relatum. Quod uero uſum externum euphorbii, ad oſſa et carnes corruptas mundificandas, ad

Theſ. 19. Huc referri ſolet *Agaricus*, g) fungus,

neruos punctos alioque modo laeſos demulcendos, curandos, dolorem iſchiadicum mitigandum, uariasque, quas ingreditur, remediorum internorum compoſitiones, attinet, de his lege FABRICIVM HILDANVM, *Cent. 2. obſ. 92. et 93.* et FRICCIVM, *lib. cit. cap. 7. a p. 189. ad 200.*

g) Audiendus praeſertim de Agarico LISTERVS, qui *Exercitat. de arthritide p. 96.* eundem in diſſoluto, acidum ructante, cibique non tenace ſtomacho ualde commendat, mox ſubiungens: quod agaricus mirifica uenenorum ſit antidotus, leniter purget, ac praecipue coxendicum et articulorum dolorem tollat. Notae pariter ſunt pilulae de agarico officinales, quae ad aſthmatis curam laudantur. Adſtringendi et calefaciendi uim agarico tribuit DIOSCORIDES, *lib. 3. cap. 1.* *τὴν μέν τοι*, ſcribens, *δύναμίν ἐστὶ στυπτικὸν, θερμαντικόν.* Vnde ab eodem in febribus, aſthmate, arquato, dyſenteria, nephritide, dyſuria, uteri ſuffocatione, chloroſi, phtiſi, hepatis, lienis ac uentriculi affectibus, haemoptyſi, arthritide, epilepſia, ſuppreſſo fluxu menſtruo, alui conſtipatione, commendatur, et pro uniuerſali non modo uenenorum antidoto, ſed omnis morbi interni remedio, habetur, uti ultima citati capitis uerba probant: *καὶ καθόλου πρὸς τὰ ἐντὸς πάντα πάθη ἁρμόζει, πρὸς δύναμιν καὶ ἡλικίαν διδόμενον, εἰς*

gus, in Laricibus creſci ſolitus, per terras Alpium aliasque regiones adeo frequens, ut quidam ueteres *Familiare Medicamentum*, adpellarint, quod famulis propter copiam et facilitatem tribui ſolebat, et DEMOCRITVS Medicinae familiam dixerit, ut teſtis eſt MESVE. Acre eius multo uiſcido tenaci implicatur, ideoque inteſtinis adglutinatum, atrociſſima tormina producit. Tum *Scammoneum*, *b*) conuoluulaceae Eſulae Syriacae lac acerrimum, nec niſi per ſulphuris acidum mitigata et refraenata fuerit uis acerrimi alkalini ueneni, non facile uſurpandum. Hinc *Tithymalli*, Eſula Noſtras, aliaeque eius generis plantae nocentiſſimae, quae aper-

μὲν μεθ' ὕδατος, ὃις δὲ μετ' ὄινȣ, ὃις δὲ μετ' ὀξυμέλιτος, ἢ μελικράτȣ. Sed, ne quid nimis!

b) Merito hic obſeruandum diſcrimen inter ſcammoneum ueterum et recentiorum, meumque plane hic facio KOENIGII iudicium, *lib. cit.* *1004. et 1005.* aſſerentis: quod ſcammonium ſit mire innocens remedium, ſi rite praeparetur, cum contra noxium et draſticum, ſi legitimam non ſuſtinuerit praeparationem, aut doſi incongrua, ſubiectis, quibus non conducit, a medicis exhibeatur. Cachectici epilepſia affecti exemplum BODOEVS *a* STAPEL allegat, qui epilepſia correptus, repetita ſcammonei doſi, ab hoc affectu liberatus fuit. uid citati auctoris *not. in Theophraſti hiſt. plant. lib. 9. cap. 10. ed. cit. p. 1055.* et DIOSCORIDEM, *lib. 4. cap. 171.*

apertiſſime effundunt lac quoddam acre, ſtrangulantis odoris, amari ſaporis, et linguam urens. Quod lac condenſatum conſtituit ſcammoneum. Tanta autem eius deprehenſa eſt uehementia, ut ſtimuli ſaltem uicem obeat ſub minuta granorum doſi, in medicinis purgaturis, Et Tithymalli ſucco, uel *Ranunculo flammula*, ab ignea ui ſic dicto, perditi medici et nebulones, tibias et crura ſua ulcerant, ac dilaniant, imo et caput ſuum tinea defoedant.

Theſ. 20. Idem *Veratrum* ſeu *Elleborus Niger*, et qui Nigro acrior eſt, *Albus*, imprudentius et liberalius comeſti, linguae inflammationem, ſtrangulationem, uentris morſus, tormina, diarrhoeam, dyſenteriam, conuulſiones ac tetanos producunt. In Melancholia tamen Veteribus Medicis magno in uſu erant, hinc, qui iſta aegritudine uexabantur, ad Anticyram inſulam, Veratri feraciſſimam, mittebantur, ut caput elleboro purgarent. *i*) Tum *Aſinini*

i) Si audias Rolfincium, *Tract. de Purgant. Sect.* 7. *artic.* 1. *cap.* 30. aliter ſane ſentiendum eſſet de helleboro, helleborique tum albi tum nigri uiribus; innoxium eſſe, inquit citatus auctor, omnium hellebori ſpecierum uſum, quotidie licet obſeruare. Nulla enim hic ueneni ſuſpicio locum habet, quin ut ad magnos morbos, epilepſiam, melancholiam, maniam, quartanas, aliaque medicorum ſcandala, in uſum antiquitus fuit uocatus, ita etiam a noſtri ſeculi

nini ſuccus *Cucumeris*, ſolemni uocabulo *Elaterium* dictus, ob cauſticum ſal, uiſcido multo implicatum, nobilitatur, praecipue tamen in morbis refractariis, hydropeque, curandis, adhibetur. Et *Mors in Olla*, in *Scriptis Sacris l. 2. Reg. 4.* memorata, ſeu Colocynthis, itidem progenies cucumerina, cuius *pomi illitu et contactu menſarum inficiuntur adparatus, et orbes, et patinae, refunditque in fercula odioſam qualitatem, ut dubitent de fide hoſpites*, quemadmodum loquitur PECHLINVS *de Purgant. c. 1.* Mirabilis porro Peruuianae, ut quidam uolunt, uel potius Conuoluuli Indici radix, quem florem Paſſionis nominamus, ſeu Mechoacanna Nigra, uulgo *Ialappa* dicta, Hydragogum ualidiſſimum, ob reſinam acri cauſtico ſale alkalino impraegnatam, omnium fere hac tempeſtate purgantium ſocia, male horum nec e numero excludi poteſt: ignea quippe et acer-

medicis celeberrimis ad ſimiles affectus laudatur. Ac fatetur MATTHIOLVS, *in Comment. ad lib. 4. Dioſcoridis cap. 50.* quod infuſum albi hellebori dilutum quibusdam melancholicis magno cum ſucceſſu exhibuerit, nullo tamen aegrotantium incommodo, nulla noxa. Hic uero CELSI tenenda regula: multa in ancipiti caſu recte fieri, alias omittenda. Caue praeterea, ne ex particularibus caſibus, uniuerſales elicias formesque concluſiones. Plura de helleboro habet FRICCIVS, *lib. cit. cap. 11. a p. 208. ad 242.*

cerrima, praecipue ſi cogitur in reſinam, aetatem tamen non diu ferentem.

Theſ. 21. Etiam *Ariſtolochia rotunda k)* aliquid uirulentiae in ſe quoque habere a PLINIO, *l. 25. c. 8.* adſeueratur. Ait enim, *Piſcatores Campaniae, radicem eam, quae rotunda eſt, uenenum terrae uocant, coramque nobis contuſam, immiſta calce, in mari ſparſere. Aduocant piſces cupiditate mira, ſtatimque exanimati fluitant.* Et notiſſimum eſt uel ipſis

k) Vis ariſtolochiae rotundae abſtergens, tum ex ſapore amariſſimo, tum ex PAVLI experimento, quod *Quadripartit. Botan. p. 22.* occurrit, ſatis conſtat, idem quippe ulcera tibiarum maligna, quae per anni iam ſpatium fruſtraneo a Chirurgis tractata et obligata fuerant ſucceſſu, huius radicis in aqua ueronicae coctae et applicatae miniſterio breui conſolidauit. Minime uero hae radices, quia amarae ſunt, pro ſpecificis anthelminticis, ſtomachicis atque uterinis habendae ſunt. Multo minus iisdem uirtus alexipharmaca tribuenda, uti fecit DIOSCORIDES, *lib. 3. cap. 6. p. 173.* Maiorem adhuc a DIOSCORIDE diſſentiendi cauſam deprehendo, dum ariſtolochia pro ſpecifico puerperarum remedio habetur: ἀϱιστολοχία στϱογγύλη δὲ, inquit, ὠνόμασαι μὲν, ἀπὸ τῦ δοκεῖν ἄϱιστα βοηθεῖν ταῖς λοχοῖς. Verum, ad fluxum lochiorum promouendum, talia acria minus adhibenda, quae febres acutas, inflammationem, et alia grauia mala excitant.

pſis puerulis, *Venena Halieutica* componi ex cocculis Indicis, ſemine Hyoſcyami, et caſeo uetere fortiſſimo, redactis in paſtam per admixtionem farinae mellisque, unde pilulae formantur, quae in aquas coniectae, faciunt piſces, has deglutientes, uertigine laborare, et fluitare, ut manibus capi poſſint.

Theſ 22. Haec autem ante enumerata, largius et immodice propinata, morſus uentri acerrimos inferunt, inferunt et uomitiones, ἄνω καὶ κάτω ualidiſſime purgando, ac dyſenteriam, ſitim, praefocationes, intercluſo ſpiritu arctius meante, ut de Alexandro, Ellebori uſu, memorat CVRTIVS, *l.3. c.6.* tum ſingultus, conuulſiones epilepticas, et apoplexiam, hoc eſt, ut uulgo loquuntur, mortem citam ſaepe in actum deducunt, liquida uero grumeſcere faciunt et coire. Neque ego ad ſingula acria uenena catalogum omnium inde exſurgentium ſymptomatum adponere neceſſum duxi, cum alterum alteri effectis ſit ſimillimum, differentia uero conſiſtit in ſola maiori uel minori acredine, ſpiculorum rigiditate, et particularum pondere. Et in hoc omnis Acris diſcrimen conſiſtere mihi uidetur; nam, quae de figura dici poſſent, incerta ſunt. Sed ad has Venenorum qualitates, in actum nocendi deducendas, accedere ſemper debet actio uitae, pro qua poſtea determinantur.

Theſ 23. Inſuper *Ananas*, Indicae uinoſus fructus, ſapidiſſimus quidem eſt, et odoratiſſimus, ſed

ſed tam erodentis ſucci, ut, niſi uino uel aqua maceretur, palatum excoriet, et choleram ac diarrhoeam lethalem inducat, quaemadmodum BONTIVS, *de Med. Indor. l. 2. Dialog. 6.* habet; non ſecus ac in Italia, Hiſpania et Gallia ex uuis maturis, auidius comeſtis, diarrhoeae fieri ſolent, ſatis graues et lethales. De herba quadam Hibernica refert nob. BOYLE, *de Nat. determinat. effluu. cap. 5.* quam incolae *Mackubuy* uocant, quod adeo ſit uenenoſa, ut a Medici cuiusdam famulo piſtillo pertuſa, non ſolum famuli faciem, ſed etiam Medici, longius quanquam ab opera diſtantis, intumeſcere fecerit, tumore diu perſeuerante. Sed, qualis iſta herba ſit, ignoro.

Theſ. 24. Nec multo ſalubrior fuit inuentus Coronae Imperialis bulbus, ideoque hermodactyli putatus; item flores, et guttulae iſtae, quae in floribus colligi ſolent. *Amygdalae* denique *Amarae*, quae uim deleteriam, conuulſiones excitando, demonſtrant, ut experimentis patuit apud WEPFFERVM pluurimis, *de Cicut. aquat. cap. 18. et 19;* et ipſi quoque DIOSCORIDI, de amygdalis uulpeculae lethiferis, non intactum fuit, *Mat. Med. lib. 1. c. 136.* Nec PLINIO, *lib. 23. c. 8.* neque PLVTARCHO, *Sympoſ. lib. 1. Qu. 6.* Nec ſuſpicione ueneni caret *porri* ſuccus: *fama eſt*, dicente PLINIO, *lib. 19. cap. 6*, Melam, equeſtris ordinis, reum ex procuratione a Tiberio

Principe accerſitum, in ſumma deſperatione, ſucco porri ad trium denariorum argenteorum pondus hauſto, confeſtim exſpiraſſe ſine cruciatu. Et *Allium*, ruſticorum illam Theriacam, peculiari Oda, *Epod. Od. 3.* HORATIVS ſatyrice perſtrinxit, inter Mecaenatis epulas ipſi parum gratam radicem, Habet certe in ſe multum acredinis: nam croco commixtum, et carpo manus adplicatum, ueſicatorium eſt, uulgo notum, quanquam Muſcouitae, Gaſcones, aliique, bulbum hunc, mihi per uitam inimiciſſimum, et tanquam alteri Iacobo Forolouienſi, Medico claro, ut BRVYERINVS, *de Re Cibar. lib. 1. c. 24. et l. 9. c. 12.* commemorat, rem peſtilentiſſimam, impune comedant, ne dicam, quotidie deuorent.

Theſ. 25. De Allio ſingularis eſt obſeruatio QVERCETANI, *Peſt. Alexipharm. lib. 2. cap. 5.* quod ſi eius ſuccus fragmentis ſingularis uaſis, modo reliquis eiusdem partibus apte leuiterque adiungi poſſit, inungatur, tam firmiter cohaereant, ut deſtillatos etiam ſpiritus in ſe continere queant. Quod tamen tenacibus eius particulis attribuendum eſt, acre in theculis ſuis abſcondentibus. Hinc quoque obſeruatum eſt ſaepe ad patriae fines, globos plumbeos cum allio ſepoſitos, ut Muſcouitae ſolent, uulnera mali moris et facile gangraenam incurrentia conciliaſſe. HIPPOCRATES autem, *de Vict. rat. in Acut. n. 59.* flatum et calorem circa thoracem facere, et capitis grauitatem et anxie-

tatem

tatem, et ſi quis dolor antea fieri conſueuit, eum exacerbare allium, ſcribit. *Florem* porro *Africanum*, uenenatum eſſe, atque acrem, docuere experimenta in animalibus facta, cicutaeque ſimilem, ut grauis odor teſtis eſt.

Theſ. 26. In Corroſiuorum quoque ordines ueniunt omnes ſales incineratione producti, ut ſal tartari herbarumque combuſtarum, qui et guſtu acres, et opere ipſo in ſolida fluidaque graſſari experientia, ſtultorum magiſtra, docuit. Quibus ſuccedunt omnes res adſtringentes, ut *gallae*, cortices iuglandium, ſucci immaturi *acaciae*, meſpillorumque, et quae ſunt reliqua. Hinc Graecorum illud: *κϱάμβη δὶς ἑψομένη πότμον φέϱει*, uidetur ſic ſe explicare, quod ex duplici coctione, nihil niſi mera terra adſtringens remaneat. Omnes autem omnium fructuum ſucci immaturi, potenter adſtringunt. Sic Alexandri Magni milites, comeſtis palmis uiridibus, ſtrangulati ſunt, auctoribus, THEOPHRASTO, *Hiſt. Plant. lib. 4. cap. 5.* et PLINIO, *lib. 13. c. 4.* Quin et ficus immaturi, ſiue groſſi comeſti, uel lacteus ex cortice ſuccus, pro ſua acredine Italis ſaepiuſcule inteſtina exulcerant, dyſenteriamque concitant, non niſi morte ſoluendam, ut exercituum ſtrages etiam hoc nupero bello docuere in Italia, Hiſpania, et Prouincia, Galliae Paradiſo. Quin et ſub iuglandis arboris conſidere umbra, plurimorum auctorum fide inauſpicatum fuit, et BOYLEO aliquando cephalalgiam induxit, ut narrat de *Nat. determinat.*

 effluu.

effluu. cap. 5. Et mihi ipſi etiam contigit in Belgio. PLINIVS denique addit, umbram pini, piceae, abietisque, omnibus, quaecunque attigerunt, non dubie uenenum eſſe, *lib. 17. c. 12.*

Theſ. 26. Non multo tutius eſt indormire *foeno, recens congeſto*, ut funeſta plurimorum docuere exempla, morte ſubita apoplectica, ut dicitur, ſtrangulatorum. Tum enim non ſolum uarius et multiplex herbarum odor acris et penetrans ualde, ſed et oborta forte putrefactio, adeo acres emittit halitus, ut multi inde inebrientur, et lethargici euadant, uel in cephalalgiam grauem incidant, aut ſubito ſuffocentur. Exemplum habet HILDANVS, *p. 612.* Vnde et noſtrates fere omnes norunt, quam dulcis et longus in foeno ſomnus, et quam iuxta periculoſus.

Theſ. 28. Inſuper puluercs ex trituratis ſegetibus prodeuntes acrium et nocentium ex numero excludere non oportet; item quoscunque pulueres, uel natura uel arte in mechanicum uenenum factos. Hi enim inſpiratione aeris pulmone excepti, pro tenuitate ſua in intimos et exiliſſimos conos tracheales penetrant, ibique commorantes, et motu pulmonis hinc inde uentilati, excitant primo tuſſes ſiccas, dyſpnoeas et aſthmata, palloresque faciei, propter impeditum in pulmone ſanguinis circuitum, mox ex iugi pulmonis contractione, uicina loca erodunt, uomicasque faciunt, et ulcera pulmonalia, in perfectam ſaepius phtiſin, ipſamque non raro mortem deſinentia, ut uidemus apud ruſticos huic

operi

operi ex profeſſo incumbentes. Aeſtimant tamen quamplurimi, idque male, pulueris eiusmodi ingreſſum in pulmonem non magis, quam puluiſculum extra ſe, et nullius pretii. Res tamen haec eſt, quae praecipue homines diſponit ad hecticas febres et pallores. Hinc rarum eſt, uidiſſe aliquem lapidicinam, molitorem, piſtorem, capillorum adulterinorum compilatorem, aut alios eiusmodi opifices, athletico habitu, et genis rubellis. Conf. RAMAZZINI. *l. d.* Et refert PROSPER ALPINVS, *de Med. Aegypt. lib. 1. c. 7.* per urbem Cayrum, ex Aethiopia, flare uentum, *Campſicu*, calidiſſimum, ingenti adeo arenarum inflammatarum copia refertum, ut ſol uideri non poſſit, homines uero lipothymia grauiſſima adficiantur, inque lethalem incidant morbum, *Demelmuia* ipſis dictum, intra paucas horas iugulantem. Sic narrat VINCENTIVS *le* BLANC, *Voyag. chap. 10. part. 1.* in Ormo, Aſiae inſula, flare uentum, Luſitanis *Abra Zador* dictum, tam ſubtili puluere plenum, ut repente ſuffocet ſtranguletque pulmones.

Theſ. 29. Sed rem maxime paradoxam et abſurdam me protuliſſe multi dicent, ſi ad acria uenena uegetabilium, merito quodam ſuo *Aromata* retulero Indica, acria, cauſtica, et ignea, ſine quibus nunc cibi nec ſapere nec edi poſſunt, ueteribus tamen uentriculis atque horum ignaris ignium, ſine ullo condimento quam opti-

 me

me ſapientes, iuxta illud SENECAE, *Epiſt. 119. ambitioſa non eſt fames, contenta deſinere eſt. Quo deſinat, non nimis curat. Infelicis luxuriae iſta tormenta ſunt.* Talia ſunt *Piper, Cinamomum, Zingiber, Macis,* et *Scelerata* Plautino elogio *Sinapis*, aliaque multa. Ego quidem certiſſimus ſum, antiquam illam et celebratam exteris Scandinauiae Noſtrae incolarum longaeuitatem, intra breuiores conſtrictam eſſe terminos, poſtquam Indicis ignibus coepimus condire cibos. *l)* Venus quidem languida exinde

l) Si quis alius, HIPPOCRATES certe, humectantis et refrigerantis fructum diaetae, reprobato acriorum et calidiorum, qualia, aromata, uſu, commendauit, hiſce *lib. 1. de Diaet. cap. 26. §. 7. et 8.* uſus: *δίαιται ὁκόσαι ψύχουσι καὶ ὑγραίνουσι, καὶ τῶν πόνων, ὁκόσοι ἥκιστα ἐκθερμαίνοντες καὶ συντήκοντες, πλείστην ψύξιν παρασχήσουσιν, αἱ τοιαῦται φύσιες μακροβιόταται καὶ ὑγιηρόταται γίνονται.* Nonne igitur eos et accuſandos, et iuſto odio digniſſimos ducimus, qui blanditiis praeſentium uoluptatum deliniti, atque corrupti, quos dolores, et quas moleſtias, ex aromatum abuſu experturi ſint, occupati cupiditate, non prouident. Deſideratur iam quam maxime, non in Scandinauiae ſaltem, ſed aliarum quoque regionum incolis, Cyri uictus uiuendique ratio, qui nunquam ſine appetitu menſae accubuit, nunquam ſatur a menſa ſurgens, tranquilla mente ſanoque diſceſſit corpore. Quis

exinde proritatur ſaepe, ſed iuxta homines
 prae-

Daniele Propheta pulchrior et robuſtior? quis eodem ſapientior? qui tamen omnibus cibis delicatis, omnis carnis eſu, uinique potu, repudiatis, ſimpliciſſimis et uulgaribus alimentis, leguminibus nempe, et aqua, utebatur, teſte ſacro codice, DANIELIS, *c. 1. uerſ. 11. et ſequ.* Merito de aromatibus praedicari poſſunt, quae habet SENECA, *epiſt. 25. ed. cit. p. 432.* nihil ex his, quae habemus, neceſſarium eſt. Ad legem naturae reuertamur, diuitiae paratae ſunt. Aut gratuitum eſt, quo egemus, aut uile. Panem et aquam natura deſiderat; nemo ad haec pauper eſt, intra quae quisquis ſuum deſiderium cluſit, cum ipſo Ioue de felicitate contendat, ut ait Epicurus. Ἐπεὶ τί, canit EVRIPIDES, δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνον, Δήμητρος ἀκτῆς, πρώματος θ᾽ ὑδρηχόȣ; nam, quid opus eſt mortalibus, niſi haec duo, Cererisque fruges poculumque purae aquae? Aromata ad claſſem medicamentorum, minime uero alimentorum, ſunt referenda. Aromatibus igitur, ad medelam affectuum, a ſeri abundantia ortorum, non autem ad accelerandum corporis interitum, utamur. Crates certe, apud PLVTARCHVM, *lib. de ſanit. tuend. Oper. quae in folio, Interprete Xylandro, prod. Francofurti 1620. Tom. 2. p. 125.* quod cenſeret, non minimam cauſam, ex qua ciuitatum incolumitatem ſeditio aliaque uitia turbarent et peruerterent, eſſe luxum, nimios-

praematurius in hos aeſtus incaleſcunt, et intempeſtiue

que, qui aromatibus et delicatis cibis comparandis impenderentur, ſumtus, iocoſe quidem, ſed ſerio ciues hortabatur animo, ne ultra lentem ſubinde augendis patinis, ſeditionum cauſas praeberent; *αὐτὸς δέ τις*, moneo cum PLVTARCHO, *lib. Vol. et p. cit.* *ἑαυτῷ παρακελευέσθω, μὴ πρὸ Φακῆς λοπάδα ἄυξων ἀιεὶ, μηδὲ πάντος ὑπερβαίνων τὴν καρδαμίδα καὶ τὴν ἐλάιαν, ἐπὶ τὸ θρῖον καὶ τὸν ἰχθὺν, ἐις ςάσιν ἐκ πλησμονῆς τὸ σῶμα καὶ ταραχὰς ἐμβάλλειν καὶ διαῤῥοίας. Τὰ γὰρ ἐυτελῆ κρατεῖ τὴν ὄρεξιν ἐπὶ τῶν Φυσικῶν μέτρον· ὀψοποιῶν δὲ τέχναι καὶ δημιουργῶν, καὶ τὰ πανοῦργα ταῦτα ὀψάρια, καὶ ὑποτρίμματα κατὰ τὸ Κωμικὸν, ἀεὶ τοὺς ὅρους τῆς ἡδονῆς μετατίθησιν, ἐις τοὔμπροσθεν καὶ παραλλάττει τὸ συμΦέρον. Ουκ ὄιδα δὲ ὅντινα τρόπον ἡμῶν τὰς γυναῖκας, ὅσαι Φίλτρα μηχανῶνται καὶ γοητείας ἐπὶ τοὺς ἄνδρας, βδελυττομένων καὶ δυσχεραινόντων, μισθωτοῖς δὲ καὶ δούλοις προιεμένων τὰ σιτία καὶ τὰ ὄψα μανονοὺ μαγγανέυειν καὶ Φαρμάττειν.* Quam clare hic, quam enucleate, aromatum abuſus, abuſum ſequens detrimentum, eorumque, qui aromatibus abutuntur, dementia, deſcribitur. Quo magis uero res quaedam a moribus antiquis, iisque laudabilibus, abhorret, eo maior hinc perturbatio, pluraque et grauiora imminent mala, quod ſatis ſuperque Septentrionalium exemplo gentium, ex PAVLLINI, *Cent. 1. obſ. 85.*

peſtiue ſterileſcunt: non ſecus ac arbores ſponte

 ſua

relatione, aromatum uſum minus ferentium, uariisque exinde morbis affectorum, confirmari poteſt. Seorſim notandum, notat VOGLERVS, *Comment. Diaetet. cap.10. p.34.* copioſum aromatum uſum noſtris corporibus non aeque conuenire, quam gentibus calidiores regiones incolentibus, quod et reliqua noſtra uictus ratio, et corporum habitus multum ab illis ſit diuerſus. Arbitror uero, praecipuam cauſam, cur Septentrionis incolis minus conueniant aromata, a firmiori corporum conſtitutione, maiore imprimis ſolidorum robore, arceſſendam eſſe. Cum enim aromata, ſale uolatili oleoſo abundantia, fortius irritando fibras motrices, nimis intendant motum, per ſe iam ſatis uehementem, neceſſario omnes corporis functiones ita augentur, accelerantur, ut acceleretur uitae terminus, uariis, qui hinc emergunt, morbis, actiones laedentibus primum, et demum plane deſtruentibus. Ex hoc plane fundamento, HIPPOCRATES, *lib. de aliment.* hominibus in uigore aetatis conſtitutis, crudum, iuuenibus leuiter coctum, ſenibus extreme immutatum praeſcribit cibum, diuerſum, quo diuerſa aetas gaudet, ſolidorum robur, reſpiciens, uti ſequentia manifeſtant uerba: *σιτίον νέοισιν ἀκροσαπὲς, γέρουσιν ἐς τέλος μεταβεβλημένον, ἀκμάζουσιν ἀμετάβλητον.* Hinc quoque Θερμοκοίλιοι apud HIPPOCRATEM, ſunt homines iuniores, robuſti, athle-

ſua uel artificio, in praecoces fructus ſolicitatae, in ipſo

tae, quibus opponuntur ſenes, debiles ac uitae ſedentariae dediti. Ita quoque τὸ ἔμφυτον θερμὸν, Hippocrati nihil aliud, quam cordis robur, et ab eodem dependentem ſanguinis circulum, reliquasque actiones, notat, uti ex *aphor. 13. 14. et 15. ſect. 1.* patet. Dehinc idem, *lib. epidem 6. Sect. 5.* acres cibos potusque hominibus robuſtis pernicioſos eſſe, ſequentibus declarat: θερμοκοιλίοισιν ἰσχυρὰ ποτὰ ἢ βρωτὰ ταρακτικά. Quid autem acrius, quid fortius eſt aromatibus? quid igitur ſanitati iuuenum, aromatum uſu infenſius? quid eorum praeiudicio dementius? qui aromata pro uniuerſalibus confortantibus, et ſpecificis cerebri, cordis, ſtomachi, uteri, etc. remediis habent; nec confortantia uniuerſalia, nec ſpecifica uiſceralia, ſunt aromata; ſtimulantia potius eadem appellare decet, quae ſolidis laxioribus ſuccurrunt irritando, promotoque eorum motu, uniuerſum corpus, per auctas ſecretiones, ab uberiori, quod peccat, ſero, liberando, meliorem conſtitutionem procurant; cum in aliis contra, contrariae ſubiectis naturae, uberiorem morbis fomitem ſuppeditando, mortem afferant praematuram, uti adductis exemplis demonſtrant, DOLAEVS, *Encyclopaed. med. p. 87.* PLATERVS, *Tract. 3. Prax. p. 51.* AMMANNVS, *Paraeneſi ad Diſcent. p. 171.* BEHRENSIVS, *Diaetet. Select.*

ipſo aetatis uigore fructus ferre dediſcunt. Et praeterea haec ipſa acria corpus noſtrum conſumunt. Si enim ore maſticata, urant, incendantque, et ſaepe excorient linguam et palatum, et ſaliuam tenuiſſimam exprimant, reliquam coagulent, facile conceptu eſt, haec eadem aromata partibus internis, per quas progrediuntur, eandem moleſtiam adferre. Conf. BAGLIVIVS, *de Fibr. Motr. cap. 10. Cor. 3.* Febres autem peſſimi moris hinc oriuntur: quia acria aromata coagulant ſanguinem, eumque incendunt, hoc eſt putreſcere faciunt. Quare febres hominum ditiorum, et Indicis hiſce aromatibus abunde adſuetorum, difficilius curantur, magisque ferociunt, quam plebeculae, in pultibus ſuis et lacticiniis nullo condimento praeter ſalem et famem, utentis. Hinc GALENVS, *de Aliment. Facult. lib. 3.* dum ad obſonatricem artem pertinentia recenſet, aromatum peregrinorum et Indicorum non meminit, ſed domeſtica Romanorum adfert, anethum, apium, carum, libyſticum, cuminum, ac plura, quibus et nos abundamus. Hollandi quoque, quamuis hoſce ignes ex Indis adportant, parciſſime tamen ſuos inde cibos inflammari faciunt.

Theſ. 30. De talibus ergo acribus, corpus noſtrum ſenſim deglubentibus ac deterentibus, bene

Sect. 2. cap. 21. §. 1. et ſequ. p. 274. et ſequ. SENNERTVS, *Praxeos p. 240.*

bene coquus Plautinus, *Pſeudol. Act. 3. Sc. 2.*

Dum condiunt,
Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus,
Viuis conuiuis inteſtina quae exedunt.
Hoc hic quidem homines tam breuem uitam colunt,
Cum haſce herbas huiusmodi in ſuam aluum congerunt,
Formidoloſas dictu, non eſu modo;
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.

Prorſus ut hoc nomine bruta cibos ſuos curioſius deligant, homo uero negligentius. Conf. BRVYERINVS, *de Re Cib. lib. 1. cap. 3.* Optime ergo SENECA, *Epiſt. 95.* ſic inquit: *Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, uulnera coirent paulatim. Deinde in hanc peruenit tam multiplicem uarietatem. Nec eſt mirum, tunc illam minus negotii habuiſſe, firmis adhuc ſolidisque corporibus, et facili cibo, nec per artem uoluptatemque corrupto. Qui, poſtquam coepit, non ad tollendam, ſed irritandam famem, quaeri, inuentae ſunt mille conditurae, quibus auiditas excitaretur, quae deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis.* Et quae ſequuntur. Addam pulcherrimum. celeberrimi RENATI MOREAV,

Anim-

Animaduerſ. in Schol. Salernit. cap. 61. p. 571. 572. effatum: *Olim ſimplex erat, ſine condimento, ſine ſalſamento, ſine odoramento, cibus: nobis ſine peregrino ſapore non ſapit. Aduehimus ex Arabia, orbe nouo, et utraque India, merces odoratas, ingentibus emtas pretiis, immenſis periculis partas, eo ſcilicet conſilio, ut carius grauiusque aegrotemus, et uitae noſtrae iucundo ueneno inſidiemur.* Et poſt pauca: *Vix ſufficiunt tabernae recondendis aſſeruandisque aromatibus, uix nauigia huiuscemodi mercibus aduehendis paria ſunt, et ipſa me hercule natura rerum ſatiandae hominum libidini impotens, rerum aromaticarum inopia uidetur laborare. Has tamen terrae diuitias in luxum nobis natura non explicauit, ſed noſtra libido, et corruptrix morum, gula: quae, niſi Medicinae ſalubribus praeceptis fraenaretur, in perpetuam aegritudinem uitam noſtram praecipitaret.*

Theſ. 31. Hunc autem plantis inhaerentem exitialem ſuccum, proprium ipſis èt naturalem eſſe ſicut certus ſum, ita eundem pro ſoli ratione uel miteſcere, uel exacerbari, nullus dubito. Sic obſeruatum eſt, Napellum Alpicum Italicorum eſſe reliquis uenenoſiorem. Bene VIRGILIVS, *lib. 2. Georg.*

Nec uero terrae ferre omnes omnia poſſunt.
Fluminibus ſalices craſſisque paludibus alni

Naſcun-

Naſcuntur: ſteriles ſaxoſis montibus orni.
Littora myrtetis laetiſſima, denique apertos
Bachus amat colles, Aquilonem et frigora
Taxi.

At, ſi PECHLINO, *de Purgantib. cap. 23.* credimus, ex Septalii obſeruatione referenti, mercurius in aconito Pedemontano ad partes plantares uiuus arrepſerat, ſuccoque expreſſo plantae, et per noctem in uaſe relicto, fundum petiuerat, uiua ludens mercurii imagine, ſicuti quoque in Anglia obſeruatum aliquando legi, Carotae luteae radicem, ante Peſtilentiam uenturam, faſtidioſe dulcem fuiſſe, forte per ſulphur quoddam arſenicale, in uiſcera Dauci inſinuatum. Neque adeo uero diſſimile eſſe quidam putant, Almae Matris corticem ſupremum eiusmodi halitibus noxiis arſenicalibus impraegnari, hincque radices omnes plantarum omnium uirus haurire. Et poteſt contingere, interdum plantas bobus gratas, interdum ouibus, aliquando equis expetitas, ueneno imbibi, hinc tot diuerſas animalium peſtes fieri. Et clariſſimus LEMERY, Filius, Regiae Academiae Pariſienſis membrum, pro concione aliquando oſtendit, metalla omnia in ipſas penetrare arbores et plantas, ita ut ferrum ſaepe cum ipſis lactucis adſumamus,

Theſ. 32. Sed ſicut ueriſſimum eſſe, ſatis ſum perſuaſus, metalla interdum ipſas ingredi plantas, ita rurſus nego, hoc ſemper fieri, herbasque

que per ſolam hanc cauſam ſuos ſales mutuari. Tum enim non ſolum omnes, eadem nocendi uirtute praeditae eſſent, ſed etiam eodem acidi metallici ſalis genere grauidae deprehenderentur, quod experientiae contrarium eſt. Conſtat autem, omnes plantas ſale uolatili acido uel alkalino abundare, atque oleo ſpecifico, praeſertim uero ſale alkalino, ita bene inuicem in planta commixtis, ut conſtituant ſaponem uolatilem. Fit uero iſta miſcela in organis plantarum, pro diuerſitate earundem, diuerſis pulmonibus nempe, ſiue tracheis, arteriis, uenis et ſecerniculis, ut diligentiſſimus demonſtrauit MARCELLVS MALPIGHIVS, per quae organa ſales et olea eundo redeundoque, in ſpecificum cuilibet plantae ſaporem, noxium, uel innoxium, ſubiguntur.

Theſ. 33. Herbarum itaque acrimoniam, qua id agunt, cuius accuſantur, in quam plurimis eſſe alkalinam uolatilem, facilis crediderim, cum aetate non ſolum marceſcant, ſed etiam omni acido, quae acidae non ſunt, hebetentur, uimque ſuam omnino perdant, ut fit in elleboris, euphorbio, ialappa, aliisque per acetum debilitatis, et enectis, quod tamen non fieret, ſi eorum uirtus purgatiua in acido metallico conſiſteret. Sic cicuta, praeſens illud uenenum, ſi coquitur in aceto, ſine noxa comedi poteſt, quod probaui aliquoties experimenti ergo Lugduni Batauorum, ubi in foſſis extra urbem frequens creſcit. Sed Colocynthidem et Arum

acido

acido abundare, ſunt qui ſtatuant, quod tamen experimentis contrarium eſt. Non tamen ſal uolatilis oleoſus, plantis omnibus, noxiis et innoxiis, adſignandus eſt, ſed interdum acidus. Plantae tamen inter uenena recenſitae alkalino uolatili oleoſo ſale omnes ſcatent, et per hunc noxiae deprehenduntur.

Capvt Octavvm.

De Natura et Viribus Venenorum Obſtruentium et Viſcidorum agit.

Theſ. 1. Nunc uenio ad ſecundum feralium uenenorum genus, *Obſtruentia* nempe, quae partim habent indolem, partibus, in quas deferuntur, adcreſcendi, partim ex ui uitae in motum deducta, pro mole ſua, dum in ipſis feruntur canalibus, ad has uel illas partes praecipitantur, ubi haerent, ſi canali traiiciendo ſint maiores. Et a ui cordis ſemel anguſtiis impacta, liquidi torrentem a corde propulſi fortiter ſuſtinent, nulloque propelluntur aut eluuntur. Priorum claſſem omnia Viſcida componunt; Poſteriorum omnia Metallica talia, Cretacea et Calcea.

Theſ. 2. In canalibus itaque haerentia, uel ipſis adglutinata, obſtructiones uarias particulares, uel uniuerſales efficiunt, unde atrophia et tabes, anguſtia reſpirationis, alui conſtipatio, calculoſae concretiones, et pallores, et morſus quidam interni perennes, et febres tragica ſaepe

pe ac lugubri ſcena obſeruatae fuerunt. Atque eo peiora haec quidem ſunt uenena, quod corpus diu et longa morte excrucient, nec unquam fere capiant remedium, praeſertim plumbea et ſaturnina, cum reliqua omnia iam dicta uel medelam admittant, uel repentinam adportent mortem, uita longa, miſerabili ac doloroſa ſane, potiorem.

Theſ. 3. Horum ergo in numerum ex minerali regno Saturnina omnia et fere ſola perueniunt, *Plumbum* nempe, et omnia ex plumbo producta, *m*) *Ceruſſa*, *Plumbum uſtum*, *Minium*,

m) Plumbo ſpiritum acidum, eumque acerrimum, ineſſe, praeter multos alios Chymicos, teſtantur *auctores Collect. Chymic. Leydenſ.* qui *cap. 165.* tantae citatum ſpiritum acrimoniae eſſe perhibent, ut, ſi quis ore, uel naribus, dum inſtituitur cupellatio, uapores e plumbo exhalantes excipiat, exinde ſuffocari poſſit, ac, qui parum cauerint, omnium dentium caſum pati ſoleant. Quae mala plumbi uapor excitarit, docent *A. N. C. Dec. 1. Ao. 1. p. 24. et Ao. 3. obſ. 131.* Experiuntur idem frequentius figuli, qui plumbum uaria tractando ratione, dum uaſa, uitro, uti dicitur, obducunt, paralytici, edentuli, phtiſici euadunt. Iure meritoque culpa pulmonis corrupti, in figuli cadauere deprehenſi, cuius hiſtoriam *Acta Haffnienſ. Vol. 2. obſ. 21.* deſcribunt, in artem figulinam, ſaturnumque, neceſſarium huius ſubſidium, coniicitur. Ex eadem cauſa figulus pa-

nium, Biſmuthum ſiue *Marcaſita* Officinarum, item

ralyſi affectus, a POTERIO, *Cent.* 2. *cap.* 36. decocto ligni ſaſſafras et baccis lauri reſtitutus fuit. Affert idem *Cent.* 3. *cap.* 40. figuli exemplum, qui dehinc repentina obiit morte. Stannum iisdem fere cum plumbo gaudet principiis; quid mirum, eadem ab eiusdem effluuiis oriri incommoda? quod ETTMVLLERVS, *in Collegio Conſultat. caſ.* 17. ſtannarii hiſtoria confirmat, referens, eundem primo tuſſi, mox tanta anxietate ac reſpirandi difficultate, noctu potiſſimum, correptum fuiſſe, ut e lecto exilire, feneſtras aperire, auram inſpirare, ac per totam noctem anhelans obambulare coactus fuerit, donec, cum aurora accedente, abierint, quae commemoraui, ſymptomata. Cum igitur tanta ſit uis adſtringens, condenſans atque obſtruens horum metallorum ſibi relictorum, quid a magiſteriis et calcibus eorum, uel ignis tortura, uel corroſiuorum miniſterio, paratis, qualia ſunt, ceruſſa, minium, lithargyrium, plumbum uſtum, ſaturnus diaphoreticus, cryſtalli, ſacharum, et balſamum ſaturni, tinctura antiphtiſica, expectandum? Commendat quidem plumbum, et ex plumbo parata remedia ZACVTVS LVSITANVS, *Med. Princip. hiſt. lib.* 1. *hiſt.* 7. *p.* 13. *b.* ad ſcrophulas, ganglia et alios tumores duros diſcutiendos, ſed idem laminae plumbeae, firmius applicatae, magis premendo, preſſioneque hinc continuata reſoluendo, quam ſale quodam uolatili mercuriali,

i em *Lithargyrium* ſeu *Calcithis*, quae, praeter nonnullam ſui uim rodentem ſupra memoratam, pondus quaſi in uentriculo ſentiri faciunt, corporisque marcorem, pallorem, icterum, reſpirandi difficultatem, ſuffocationem, aliaque longo numero mala, obſtruendo, conciliant. Hinc, cum uidemus, res molles in Tinctura Lithargyrii detentas, rigide indurari, atque in ſtatu naturali diu poſſe conſeruari, facile intelligimus, fluida noſtra hinc coire, ſolida uero

 adeo

uti quibusdam perſuaſum, praeſtant. Praecipue uero antihecticum Poterii, ſacharum Saturni, tinctura antiphtiſica Grammanni, etc. maxima prudentia, prudenter diluentibus iuncta, nitratis temperata, minima doſi, ſunt adhibenda, ne, meliorem ſanguinis cohaeſionem et conſiſtentiam procuraturi, reſiduam, uiribus iam exhauſtis, maſſam condenſando, repentinam inducamus ſuffocationem. Quas uirtutes in Saturno abditas iam probe agnouit, ac ſequentibus delineauit DIOSCORIDES, *lib. 5. cap 95. p. 359.* Δύναται δὲ ψύχειν, ϛύφειν, παρεμπλάττειν, μαλάττειν, πληρȣ̃ν τὰ κοιλώματα, ϛέλλειν τὰ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ῥεύματα, καὶ τὰ ὑπερσαρκȣ̃ντα τῶν ἑλκῶν· ἔϛι δὲ καὶ ἴσχαιμος, καὶ πρὸς τὰ ἐν τῷ δακτύλῳ ἕλκη, κονδυλώματα, αἱμοῤῥοίδας, μετὰ ῥοδίνȣ. conf. KOENIGIVS, *Regn. miner. ſpecial. Sect. 2. cap. 6. et 7. a p. 56. ad 76.* BECHERVS, *Phyſic. ſubterr. lib. 1. S. 4. c. 3. p. 205. et S. 5. c. 2. no. 66. ad 70. et no. 73. p. 336 337. et 365.*

adeo fieri ſtricta et dura, ut oſcillationi reciprocae peragendae ulterius ſint imparia. Quod Minium ex plumbo Seplaſiorum attinet, ueteribus quidem ignotum fuit, cum cinnabaris et minium pari apud eosdem paſſu ambularent, et promiſcue uſu uenirent, ut fide digni teſtantur auctores.

Theſ. 4. Atque haec ipſa Saturnina Venena, ſi ueterum diuiſionem ſupra memoratam ſequi lubet, claſſem poſſunt componere *Frigidorum*, adiunctis, ſi placet, uiſcidis quibuscuncque atque inertibus; reliquis uero omnibus in claſſem calidorum ſeu acrium et corroſiuorum ſuo iure transmiſſis et relegatis. Clarius autem ſaturninorum deprehendere non poſſumus inſidias, quam in illis, qui Lithargyrium, Minium aut Plumbaginem conficiunt, uaſis terreis incruſtandam, ut anheloſi docent et pallentes figuli, lentiſſimum uenenum et uix corrigibile tam ſaepe haurientes. Conf. RAMAZZINI, *de Morb. Artif. cap.* 5. Vapor enim ex Saturno egrediens, pulmonem uel ſtrangulat, uel ibi liquidorum cauſatur ſtagnationem. Pondere porro ſuo, et per loborum conos infarctu, aggrauat pulmonem, ſpiritumque et iuſtam eius extenſionem impedit. Hinc alimentorum impeditur elaboratio, fit pallor, tabes, atque aſthmata ſtrangulatiua, quae Wermelandis non male *Fany* dicuntur. Bene ergo PLINIVS *lib.* 34. *cap.* 18. *Cum coquitur*, Plumbum, *munienda*

nienda in eo opere foramina ſpiritus conuenit, alioqui plumbi e fornacibus halitus noxius ſentitur et peſtilens, ac canibus ocyſſime, omnium uero metallorum, muſcis et culicibus, quamobrem non ſunt ea taedia in metallis.

Theſ. 5. Sic mulierculae, quae cuiusdam leuiſſimae pulchritudinis captandae gratia faciem plumbagine inficiunt, euadunt tandem languidae, momentaneum decorem, et aqua uel ſudore labilem, diuturna moleſtia recompenſantes, ut fidelis docuit obſeruatio. Hinc PETRONIVS AFRANIVS, *in Epigr.*

Dum ſumit Cretam in faciem Sertoria, cretam
Perdidit illa ſimul, perdidit et faciem.

Digna ſane cum ſororibus in talem incidere quartanam, quali per annum cum dimidio laborabat Decurio quidam cohortis Regiae pedeſtris, antea perpulcrae faciei iuuenis, ſed per quartanam niger factus inſtar aethiopis per uniuerſum corpus Ao. 1716 Stockholmiae. Ergo in hiſce ſemper uenenis iuxta NASONEM, *lib. 1. de Remed. Amor.*

Principiis obſta, ſero Medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Praecipue tamen iuuenibus uxores ambientibus tales uitandae ſunt mulierculae, ne praeter Xantippes iracundas et rixoſas, debiles et languidae contingant. Hinc iuxta MARONIS illud, *Eclog.* 2.

O formoſe puer, nimium ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, uaccinia nigra leguntur

Vt taceam, ſenectutem in fucatis olim et luteatis mulieribus, rugis prius per frontem malasque ſenilibus exarari et apparere. *Lutum* enim Veteres prima producta dixere rubicundum quendam colorem. Vnde MARO, *Eclog.* 4.

Ipſe ſed in pratis aries iam ſuaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit uellera luto.

Et uetus uerſiculus in hunc locum quadrans, ut totus ſit uermiculatus:

Sus immunda luto gaudet, meretricula luto.

Theſ. 6. Sed uenena ſaturnina uino immiſſa, faciunt ſterilitatem, uenerisque obliuionem, flacciditatem membri, uigorisque naturalis conſumtionem, ut Ao. 1798. in quodam Stockholmiae obſeruaui, cui inſcio amicus per nequitiam, poena ſatis graui perſoluendam, ſaturni ſalem in uino propinauerat. Siue ſaturnina pondere ſuo neruos laedant, ſiue obſtruant eosdem, ſiue uermiculos ſeminis pariter occidant, aliis diſputandum relinquo libens, contentus, phaenomenon allegaſſe, quod tamen ipſe explicare et ſoluere non adhuc uolui. *n*) Homo enim ſum, et humani nihil alienum a me puto.

Theſ.

n) Antiquiſſimum omnino praeiudicium eſt, ſaturnina, ueneri eſſe inimica, laedendoque geni-

Theſ. 7. Notatum quoque eſt, cum per alios, tum praecipue per antea laudatum FRICCIVM, in *de Virtut. Venen. Med. cap.* 14. erudito tractatu, in urbe Vlmenſi et terris circa uicinis Ao. 1695. et 1696. colicam ſpaſmodicam inde fuiſſe exortam, quod, cum in frigida annorum iſtorum tempeſtate, non niſi uinum acidum uuae

---

talium functionem partium, ſterilitatem afferre. In medicina, ſcribit PLINIVS, *H. N. lib.* 33. *cap.* 18. *ed. Frob. in fol. p.* 603. per ſe plumbi uſus eſt, cicatrices reprimere, adalligatisque renum et lumborum parti laminis, frigidiore natura inhibere impetus ueneris; uiſaque in quiete uenerea ſponte naturae erumpentia usque in morbi genus, his laminis Caluus Orator, cohibuiſſe traditur, uiresque corporis ſtudiorum labori cuſtodiſſe. Eandem amplectitur ſententiam FABER, a quo *lib.* 4. *Panchym. S.* 7. *c.* 32. *p.* 561. Saturnus terreſtris uocatur, qui ſua frigiditate aeſtus uenereos temperat. Huic ſubſcribit pariter MEIBOMIVS, *epiſt. de flag. uſu in re uenerea, p.* 56. Quemadmodum uero nulla dantur ſpecifica aphrodiſiaca, omnibus congrua ſubiectis, ita adhuc ſpecifica antaphrodiſiaca, omnibus accommodata et utilia, deſiderantur; quod praecipue circa ſaturninorum tum internum tum externum uſum tenendum, cum ex eorum promiſcua applicatione grauiora damna ſint metuenda, monente SINIBALDO, *lib.* 5. *Geneanthr. tr.* 2. *c.* 3. *p.* 556.

uuae dediſſent, praui atque lucri plusquam modici percupidi oenopolae uina ſua quadam tinctura ex lithargyro et bismutho cum aceto et hiſpanico uino parata, edulcoraſſent atque adulteraſſent. Et forte non melior eſt natura iſtius liquoris, qui ex Gallis peti ſolet, *Stuhm* dictus, quo uina edulcorantur, atque in fermentationes nouas cientur. Eſt autem liquor iſte nihil aliud, quam muſtum per ſulphur caſtratum. Sed peruerſiſſimum hoc inuentum et hominibus dirum, capitali ſupplicicio cautum eſt; foeminis enim abortum creare, et ſterilitatem inducere perhibetur. Talem quoque uino inductam labem per telas ſulphuratas intermixto bismutho, ſuo tempore damnat IOH. RVDOLPHVS CAMERARIVS, *Memorab. Med. Cent. 8. part. 23.* Quin et aquas ex plumbeo uaſe ſtillatitias dysenteriam adferre, Cl. CLAVDINVS obſeruauit, *de Ingreſſ. ad infirm. lib. 2. cap. 6.* Atque etiamnum ſaepe contingit, in obſidionibus urbium uel caſtris, aquam per canales plumbeos fluentem, et ramenta quaedam ſecum trahentem, aut per mineram plumbeam tranſcolatam, ſuis potoribus dyſenteriam creare. Hinc autem ſaepe, aut ex aquae ſalſae et putridae potu iſte morbus, uulgo caſtrenſis, Noſtris *Feltſiuka* dictus, emergit, non uero ex aquae purae ſolius potu, ut putant.

Theſ. 8. Calciformia et cretacea, ut *Gypſum,*

Creta,

Creta, et id genus alia, iisdem ſe ſe ſymptomatibus produnt, praeterquam quod gypſum aliquo modo corrodat, calcem nempe uiuam propinqua cognatione contingens. Conf. RAMAZZINI, *cap. 12. de Morb. Artif.* Tabes autem praecipue ex gypſo gignitur, obſtructis facile lacteis uenis, et cachexia; inde fieri ſolet fluxus hepaticus longus, tandemque hydrops flatulentus ſeu ſiccus et Tympanitis generatur; ex qua tandem poſt longam alui conſtipationem, ſtrangulationem, triſtitiamque, potionatus perit. In quibusdam uero, ubi potentiora ſunt uaſa chylifera, portio gypſi in pulmones defertur, aliosque anguſtos canales, et ibi concreſcit in lapillos, fiuntque aſthmata, tuſſes ſiccae, tabes et uultus pallidi, indelebili uitio, nec niſi cum morte ipſa commutando, hominesque iſti ſeneſcunt ante diem, contrario ſcilicet illi pharmaco, quo Pelias Iaſonis Pater a Medea recoctus, iuuentutique reſtitutus a Poetis fingitur.

Theſ. 9. Et non adeo mirum eſſe debet, Gypſea tantam in humano corpore adſumere duritiem, cum uideamus ſtatuarios, ex alabaſtro, quod gypſi quaedam ſpecies durior eſt, calcinato, uel gypſo ipſo aqua temperato, caementum liquidum componere, quo uultibus defunctorum, uel alius etiam rei minutiſſimae adplicato, ſimulacrum excipiunt et imaginem uiuidiſſimam, ipſo tamen coemento hoc in proplaſma duriſſime et firmiſſime obdureſcente.

Ee 5 o) Quo

o) Quo gypſei ueneni genere, C. Proculeius, Auguſti

o) Notiſſimum eſt hoc artificium demortuorum imaginem exacte exprimendi, quod in uiuis non ſine detrimento inſtitui poteſt, cum et gypſum, defunctorum faciem haud raro corrumpat. Quo loco, monet GARMANNVS, *de mirac. mort. lib. 2. tit. 1. §. 17. p. 319.* non poſſum non inſerere cuiusdam demortui faciem, gypſo oblitam, a Gypſoplaſte, ablato gypſo, ſtatim intumuiſſe, liuentem et tandem denigratam, ut cadauer efferendum uix in conſpectum praeſentium exponi potuiſſet. Praeſens gypſi effectus, ex deſcripta perſpicuus hiſtoria, ſatis ſuperque ſalis uolatilis acerrimi in gypſo exiſtentiam demonſtrat, eoque ipſo cauſam uirtutis elaſticae, quam gypſo ineſſe, RAMAZZINI perhibet, indicat; ego quidem, inquit citatus auctor, *lib. cit. cap. 12. p. 64. et 65.* ni me philautia fallit, aliam gypſo naturam, adhuc forſan inobſeruatam, ineſſe, perſuaſum mihi habeo, uim nempe expanſiuam et elaſticam, calci nequaquam cognatam, imo potius contrariam; obſeruari enim mihi non ſemel contigit, fabros murarios in hac ciuitate, in qua multae ſunt porticus, dum columnas ueteres ruituras, aedificiis ſuper magnas trabes innitentibus diruunt, et nouas columnas marmoreas ſupponunt, uel lapideas ſubſtruunt, obſeruaui, inquam, hoſce artifices, columnas nouas ex calce et lapidibus compingere, ad duas uero ulnas circiter prope finem, ubi columna ae-

Augusti Caeſaris familiaritate ſubnixus, in maximo

---

dificio ſuperſtanti, et trabibus innixo ferruminari debet, gypſo uti, nequaquam uero calce. Huiusmodi opificium animaduertens, qualis obſeruatio, in hac urbe, Cispadanae Regionis omnium antiquiſſima, ſatis obuia eſt, ab ipſis fabris cauſam quaeſiui, quare calce non utantur in opere perficiundo, et cur potius gypſo, quam calce opus claudant, ac ueluti ſigillo quodam obſignent? ad quae reſpondebant, murum ex calce conſtructum ſubſidere, ex gypſo uero ſurſum attolli; ac re uera res miranda eſt, nam, ubi quinque uel ſex dies a columna ſubſtructa elapſi fuerint, nullo fere negotio trabes, quae hinc inde totam molem ſuſtentabant, ſubtrahuntur, imo fere ex ſe ipſis concidunt; at, ſi opus ex calce tantum perficerent, uel ſumma difficultate, uel magno aedificiorum periculo, et concuſſione, fulcra ſubtraherentur. Quemadmodum uero in eo a calce gypſum differt, ita inter eadem, ſi uim coagulandi ac condenſandi reſpicias, maxima eſt conuenientia; unde gypſum, a Dioscoride, *lib. 5. cap. 134. p. 380.* adſtringentibus et glutinantibus remediis annumeratur, *γῦψος*, dicente, *δύναμιν ἔχει ϛυπτικὴν, ἐμπλαϛικὴν, αἱμοῤῥαγίας τε καὶ ἱδρώτων ἐφεκτικήν: ποθεῖσα δὲ πνίγει τῷ κατὰ πνιγμὸν τρόπῳ* conf. Koenigivs, *Regn. Mineral. Spec. S. 2. cap. 6. no. 2. p. 300. et 301.* et Boeclervs, *Cynoſ. mat. med. contin. Part. 3. p. 881. 882. et 883.*

ximo ſtomachi dolore conſciuit ſibi mortem, ut PLINIVS, *lib. 36. cap. 24.* narrat: multorumque millium in exercitibus mortes per panes gypſo aut calce adulteratos, hodierna non reticuit hiſtoria. Sic perhibent, Graecos exercitum Chriſtianorum contra Turcas, in Europam penetrantes, mouentem ſuſtuliſſe, ut e centum millibus pauciſſimi ſupereſſent, puniente procul dubio ſeuera Nemeſi, quam altero pede claudam finxerunt Poetae, in nepotibus auorum ſtultitiam. Et auctor eſt SABELLICVS, *Rapſod. Hiſt. lib. 4. Ennead. 9. p. m. 705.* Emanuelem, Byzantii imperatorem, integrum exercitum Conradi III. deleuiſſe, gypſum contuſum et in farinam redactum, triticeis commeatibus remiſcendo, militibusque ſuis in panificia Byzantium ſubdole mittendo, cum certo ſciret, et caperet etiam, hoc farinae genus in hoſtium poteſtatem peruentum iri. Vnde et CARDANVS, *Contr. Med. lib. 2. tr. 5. Contr. 10.* ſe uidiſſe, adfirmat, eiusmodi gypſea, quae lapidis duritiem, forma oui gallinacei, in uentriculo induerant. *p*)

Theſ.

p) Verum gypſum in iuncturis aliquando naſci, teſtimonium BRASSAVOLAE, *Sect. 4. aphor. 79.* euincit. Gypſeam materiam, ex angulo oculi, aegylope affecti, reiectam fuiſſe, teſtatur BLEGNY, *Zodiac. Gallic. Ao. 1679. Menſ. Sept. obſ. 2. p. 140.* Ea uero praecipue, quae habet BRASSAVOLA, *cit. loc.* attentionem merentur, materia

Theſ. 10. Eſt quoque in aquis quam plurimis, ut ſupra notaui, uirtus illa ſaturninorum et cretaceorum deleteria. Hinc HIPPOCRATES, *de Aer. Aqu. et Loc. n. 21.* aquam diuerſam potam ſuum ad calculi generationem ſymbolum conferre, uериſſime adfirmauit. Et refert KIRCHERVS, *Mund. Subter. lib. 3.* riuum eſſe ad Claramontium, Auerniae in Italia oppidum, qui potus uentriculum lapidea duritie adficiat. Conf. *lib. 5. Sect. 2. §. 2. et 7. cap. 3. et Sect. 4. cap. 5.* IOANN. BODINVS autem, *Theatr. Nat. l. 2. p. m. 228.* ſic habet: *Alacris Gergobienſis lignum ſpectandum mihi dedit, dimidia ſui parte lapideum, qua in fronte aurei montis Aruenorum fluitarat, quin etiam duabus* [illegible] *tri-*

---

enim gypſea, quam idem unciae fere pondere e iuncturis exemerat, aqua ſubacta parietique cum lapide illinita, lapidem tenaciſſime ſuſtinuit, et mox in lapideam duritiem concreuit. Similia his ſunt exempla HILDANI, *Cent. 1. obſ. 11.* referentis, quod materiam gypſeam, membrana incluſam, ſub ſutura lambdoidea, et prope cor, ea in parte, qua arteria aorta ex corde prodit, inuenerit. En microcoſmum, macrocoſmi aemulum! en uenena in nobis genita! en ſemina morborum nobiſcum nata! en totum hominem a natiuitate morbum! en nugas eorum, qui, repudiato morborum nomine, eosdem ſalutaria naturae molimina appellant!

tribuſue horis quisquilias et fruſtula lignorum in riuulo fontis Alliacenſis Riomenſium lapideſcere uidimus, ac radices mortuarum arborum cum medulla et cortice lapideas habemus, quod quamplurimis in locis quisque uidere poteſt. MONTVVS, *in Itinerario, p. 10.* eſſe fontem, apud Ginetri caſtrum, ſex lapidibus a Vienna Gallica ſemotum, qui a culina decurrit per ligneos canales, in quibus, ſi quid imprimas, uel ſculpas, altero die lapideum inuenietur.

Theſ. 11. De Surio Colchidis petrificante flumine, meminit PLINIVS, *lib. 2. cap. 103. q)* Sic ad Tibur, nunc *Tiuoli*, Italiae urbem, Anienis flumen, nunc *Teuerone*, ex Apennino monte ortum, quod ſiniſtro latere Tiberis recipit, inque inferum mare deportat, obuia quaeque indurat, uirgulta, ligna, folia, herbas, amygdalas, aniſi, coriandri, foeniculique ſemina, quae cryſtal-

q) Ad eandem citati fluminis uirtutem reſpexit Poeta, *lib. 15. Metamorphoſ. fab. 17.* hunc in modum canens: flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit uiſcera, quod tactis inducit marmora rebus. Ac certum omnino eſt, quod ex aquarum, ſimilibus principiis imbutarum, uſu, Stiriae Salisburgique incolis, ſtrumae ſcrophulaeque ſint endemiae. Ratio pariter plicae Polonicae, Sarmatis adeo infeſtae, in aprico poſita eſt, a ui coagulante aquarum Viſtulae, quibus utuntur, deriuanda. conf *Toxicol. noſtr. l. 1. cap. 41. p. 48. et ſequ.*

ſtallis adeo candidulis obducit et incruſtat, ut ſacharata tragemata et confectiones facile mentiantur, quam etiam ob rem incolae Confetti di Tiuoli dicunt. Silarus autem, nunc *Silaro*, inter Picentinos et Lucanos ſitus Italiae fluuius, ultra Surrentum, uirgulta et folia lapideſcere facit, manente eodem colore et facie rei iniectae. De quo ſic SILIVS, *lib. 8. Punicor.*

Nunc Silaris, quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt,
Duritiem lapidum merſis inoleſcere ramis.

Theſ. 12. In Styria praeterea et Salsburgenſi Germaniae Epiſcopatu, praeſertim ad Pintsgauiam, aquae dantur cretam ferentes, quae, ſi in potus fuerint uſurpatae, glandulas oris fauciumque obthurant, ſcrophulasque, frequens in iſtis terris malum, excitant. Idem ad Cremnitzium, Hungariae aurifodinam celebratiſſimam, uitio aquarum et fumorum mineralium fieri, ſcribunt. Ego quoque per annum 1709. et 1710. obſeruaui, nautas Gothlandiae, calce ſua tam diu celebratae, prae ceteris omnibus faucium morbis et obſtructionibus peſſimis ac refractariis obnoxios fuiſſe, ac raro medelam admiſiſſe; praeſertim, cum eiusmodi petrificationes cochlearum, ranarum, piſcium aliarumque rerum in Gothlandia, et uicina ipſi Carlſoea repertarum, euidenter probent, terram ipſam diſponere incolas ſuos ad uaria uitia calculorum, morborumque his analogorum; ut taceam ſimiles lapidum

pidum concretiones, quae in Thermis Aponitanis Italiae, Carolinis Bohemiae, Aquisgranenſibus, aliisque, contingunt, quas auctores tum recentiores paſſim commemorant. Conf. PLINIVS, *lib. 2. c. 103. et lib. 31. cap. 2.* Id tamen ad Pruſkam Stiriae memorabile eſt, quod in fodina montis Fordern ſit ſpecus inſigne, ianua et ſera clauſum, ex cuius laqueari liquor deſtillat, qui mox in arbuſculas concreſcit corallinas coerulei coloris. Sic non procul Traiecto ad Moſam mons eſt, Petersborg uulgo dictus, in cuius parte interiori lapidis cuiusdam genus inuenitur, molle et ſectile, ſed aeri expoſitum protinus dureſcit, uicinarumque urbium aedificiis exſtruendis adprime inſeruit.

Theſ. 13. Nec abludit ab hiſce noſtri Orbis calciferis aquis illa in Regno Peruuiano prouenienſ non longe a Granicauelica, loco metallifero, quae uaſis excepta pro cuiusuis lubitu uarie formatis, et ſoli expoſita, in lapidem duriſſimum concreſcit, exſtruendis aedificiis aptum; pecoribus uero inde bibentibus uenenum eſt praeſentiſſimum; ſicuti ad Zepuzium, Hungariae oppidum, fons eſt, cuius aqua tantas efficit lapidum moles, ut aedificiis exſtruendis pares ſint. Cuius et naturae fontes, qui ex monte Pacocaua effluentes, obuia quaeque in lapides conuertunt: ſicut et Flumen Argenteum, R*io de la Plata* alias dictum, herbas fluuiatiles lapideſcere facit tanta ſui parte, quantam aquae obtexerunt, ut nominatus ſupra ALBARO

RO ALOVSO BARBA, *Part. 1. c. 12.* ex propriis obſeruationibus narrat; non iſti abſimilis fonti fluuius, qui chirothecam Friderici Imperatoris, aquae intinctam, petrificauit, ut refert HELMONTIVS, *de Lithiaſ. cap. 1.* Quod quidem in noſtra Gothia factum eſſe, credunt, uel in Gothlandia, uerum, quo loco, adhuc ignotum, licet eiusmodi aquae quamplurimae et hic dentur.

Theſ. 14. In regno animali omnia Teſtacea et Cruſtacea, ut *Oſtrea, r)* quae SENECA,

 Epiſt.

r) Damnanda omnino ac deteſtanda peſſima hominum ſeculi noſtri conſuetudo, iam a maioribus tradita, qua, uentriculo cibis uberioribus repleto, gulae irritamenta, qualia, oſtrea, apponuntur; iisdem igitur, uiſcido abundantibus ſucco, ita uentriculum, gulae mancipia infarciunt, ut difficultate reſpirandi, uentriculique dolore, ex nimia diſtenſione, correpti, maiori, uina generoſa, aut aquas uitae, copia, hauriendo, ingurgitando, uiſcidum cum acri cumulantes, uberiorem morbis et acutis et chronicis fomitem ſuppeditent. Optimi hoc modo cibi, imo medicamenti, corruptio, per abuſum fit peſſima. Quem enim latet, quod caro oſtreorum, optimum et alimentum et medicamentum praebeat antihecticum et antiphtiſicum? Si de hac uirtute adhuc dubitas, adi TVLPIVM; qui, *obſervat. lib. 2. cap. 8. p. 110. et 111.* huiusmodi aegrotam ſiſtens, perhibet: quod ea-

Epiſt. 95. inertiſſimam carnem et coeno ſaginatam adpellauit, tum *Conchae, Cochleae, Mytali* aliaque conchylia, et piſces uiſcidiores, eandem obſtruendi uim, diſpari licet ratione, obtinent. Hinc illud Gallorum, *Poiſſon fait Poiſſon.* De eiusmodi ludicris eduliis, ac ſunt Oſtrea, dicen-

dem, re iam plane deſperata, et morbo, ultra quartum menſem, in ipſam ſaeuiente, quaſi ex machina Deus, excitando, neſcio, quod crudorum oſtreorum deſiderium, comeſtis iisdem, breui integre conualuerit. Perfacilis quoque eſt huius experimenti explicatio, cum caro oſtreorum non ſaltem gelatina, bene nutriente, abundet, ſed ſimul quoque uim abſtergentem et mundificantem, ſali muriatico adſcribendam, poſſideat. Quod oſtreorum teſtas attinet, quae frequenter, ſcopo abſorbendi, reſoluendi, etc. in foro medico uſurpantur, accurate a calcinatis, crudae et ſibi relictae, uel ſola coctione praeparatae, diſtinguendae ſunt; nam, teſtae calcinatae, et aeri expoſitae, adeo acres ſunt, ut cuprum, ſtannum aliaque erodant metalla, et fonticulis excitandis ſeruiant, quod a teſtis ſimplicibus, ſimplici coctione, depuratione et pulueriſatione praeparatis, non metuendum. Interea tamen etiam in earum uſu, ſi quantitatem reſpicias, haud excedere decet; cum eaedem et uentriculi atoniam producant, et acidis ſociatae cruditatibus, calcem irreſolubilem conſtituant.

dicendum forte hic eſt, quod CELSVS, *l. 1. c. 2.* de conditis dixit: *condita omnia duabus de cauſis inutilia ſunt, quoniam et plus propter dulcedinem adſumitur, et quod modo par eſt, tamen aegrius concoquitur.* Pulcher etiam eſt PLINII locus, *l. 11. c. 53.* homini cibus utiliſſimus ſimplex, aceruatio ſaporum peſtifera, et condimenta pernicioſiora. Difficulter autem perficiuntur omnia in cibis acria, nimia, et auide hauſta, et aeſtate quam hieme difficilius, et in ſenecta, quam in iuuenta. Ergo ad monitum NASONIS, *de Art. Amand. lib. 3.*

Neue diu praeſume dapes, ſed deſine citra
Quam cupias, paulo quam potes eſſe minus.

Theſ. 15. Sic in Wermelandia, et praecipue iuxta Carlſtadium, patriam urbem, piſcis quoddam genus capitur tempore uernali, popularibus *Slom* dictus, et forte *Selau* Hebraeorum, licet hic ſit uolatilis, oſtendente Cl. RVDBECKIO, Selau eſſe piſcem uolatilem. Hic, inquam, piſcis, gobius forte maior eſt, uel Apua, dulciſſimi ſaporis, atque ob hanc cauſam auide expetitus. Sed, niſi aceto bene intinctus fuerit, certiſſime tertianam febrim adportat, calentibus internis. Neque aliter fieri poteſt; partibus enim extremis frigentibus, atque intercluſo ibidem circulo ſanguinis, partes prope cor incaleſcunt. Hinc Noſtrates bene dicunt: *Kalla Haerder, friſkt Hierta*, manibus frigentibus, cor calere. *Ex his itaque*, uerba

ſunt CELSI, *lib. 2. cap. 25. intelligi poteſt, non, quidquid boni ſucci eſt, protinus ſtomacho conuenire, neque quidquid ſtomacho conuenit, protinus boni ſucci eſſe.* Et farragines iſtae ciborum non poſſunt non nocere, dum, ut HORATIVS canit, *lib. 2. Serm. Satyr. 2.*

Simul aſſis

Miſcuerint elixa, ſimul conchylia turdis.

Neque uerum eſt, quod ab Aſclepiade refert CELSVS, *lib. 3. cap. 6. facilius concoqui cibos uarios; s)* eduntur quidem facilius, ad concotionem autem materiae genus et modus pertinent.

Theſ.

s) Repugnat haec ſententia ſcito HIPPOCRATIS, quotidiana ſuffulto experientia, qui, cibos paucos, ſimplices, famem ſitimque ſedantes, optimos eſſe, hiſce *lib. de affect.* teſtatur: τὰ σιτία ἐς ὑγείην ἄριϛα, ὀλίγιϛα ἐσίοντα, ἀυτάρκεά ἐϛι καὶ λίμȣ καὶ δίψης ἄκος εἶναι, καὶ πλεῖϛον χρόνον τὸ σῶμα ἀυτὰ δέχεται, καὶ διαχωρέει κατὰ λόγον. Nihil contra magis, quam multos uariae cibos indolis, ſanitati officere, idem, *lib. de diaet. in acutis*, ſequentibus demonſtrat: πονηρὴ δέ ἐϛιν ἡ τοιήδε δίαιτα, ὅταν τις πλέιονας τροφὰς δίδωσι τῷ σώματι, καὶ ὅταν, ποικίλας ἀνομοίȣς ἀλλήλησιν ἐσπέμπῃ· τὰ γὰρ ἀνόμοια ϛασιάζει, τὰ μὲν θᾶσσον, τὰ δὲ χολιαίτερον πέσσεται. conf. SPONIVS, *l. c. Sect. 4. aphor. 2. p. 202. et aphor. 5. p. 205.*

Theſ. 16. Et ſicut ſupra adnotatum fuit, homines in animalium carnes proniores, in uenerem quoque inclinare, ita quoque a piſcium, praeſertim oſtreorum et mytalorum, uſu fit. Qui autem in uenerem procliues ſunt, in iram et morbos calidos quoscunque labuntur facile. Hinc cerui, tempore coitus, ſicut et alia animalia, feriſſimi ſunt, quod Noſtri *Wilde Hiortar i brunſten* bene exprimunt. Si caſtrentur, miteſcunt, pingueſcunt, et melius ſapiunt. Et qui *pinguibus* nimium delectantur, in uarias obſtructionum aegritudines incidunt, praeſertim ſuffocationem. Hinc ſcribit VALERIVS MAXIMVS, *l. 3. c. 5.* Clodium Pulchrum, abdomine auide deuorato, foedae ac ſordidae intemperantiae ſpiritum reddidiſſe. *t*) De iracundia uero

 uene-

t) Exemplum ſimile praebet Seuerus, qui, dum membrorum omnium, maxime pedum, dolorem pati nequiret, ueneni uice, quod ei negabatur, cibum grauis ac plurimae carnis auidius inuaſit, quem, cum conficere non poſſet, cruditate preſſus exſpirauit, teſte SEXTO AVRELIO VICTORE, *Epitom. 36. ex ed.* ANDR. SCHOTTI *Lugd. Batau. in 8uo p. 76. et* 77. Valentinianus pariter, uti citatus habet auctor, *l. et ed. cit. 70. p. 115.* impetu ſanguinis, uoce amiſſa, ſenſu integer exſpirauit. Quod quidem intemperantia cibi, ac ſaturitate, qua artus diffuderat, accidiſſe, plures retulere. Aſthma uehemens, cui mox ſuffocatio, mortem inferens, ſucceſſit, ex ientaculo,

uenerea bene, ſicut ſemper, luſit MARO, *lib. 3. Georg.*

Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus aequoreum, pecudes, pictaeque uolucres,
In furias ignemque ruunt. Amor omnibus idem.

Optime uocat illud momentum furias et ignem, quia et furit ille impetus, et cito euaneſcit, conſumtoque pabulo ſuo, extinguitur.

Theſ. 17. Praeterea *Garum* Veterum, quid aliud, quam igneam febrim, ueneremque, excitabat. Componebatur autem ex piſciculo minuto,

---

auidiſſime et copioſe aſſumto, in pictore obſeruauit SCHENCKIVS, *Exercit. Anatom. 7. lib. 1. c. 33.* Simile exemplum recenſet PLATERVS, *lib. 3. obſ. p. 652.* Et de Antonio Pio, Imperatore, refert CAPITOLINVS, quod, deuorato auidius in coena caſeo, de nocte uomitu, ac ſequenti die febri, et tertio morte correptus fuerit. Plures ſimiles hiſtorias collegit MISANDER, *in Deliciis Biblic. d. ao. 1697. p. 348.* conf. *Eccleſiaſt. cap. 24. uerſ. 34.* O miſeras hominum mentes et pectora coeca! o prodiga rerum luxuries, nunquam paruo contenta paratu, et quaeſitorum terra pelagoque ciborum ambitioſa fames, et lautae gloria menſae! Diſcite, quam paruo liceat producere uitam, et quantum natura petat! uid. LVCANVS, *lib. 3.*

nuto, muria condito, haleci non abſimili; quod etiamnum maris mediterranei accolae, praeſertim Galli, imitantur, uocantque *Anchouis*, noſtra ciuitate etiam recepto uocabulo. Ruſſi oua piſcium maiorum condiunt familiari radice allii. Et Fennones noſtrates oua piſcium minorum, *Reps* dictorum, Wermelandis uero *Sykloegor*, ſale conſeruant, et *Muik-room* uocant. Itali oua Sturionis condita *Cauiaro* dicunt. Veterum Garum ignoratur; nam SENECA, *Epiſt.* 95. dicit, fuiſſe ſaniem piſcium; u) PLINIVS uero,

u) Quid, ait SENECA, illud Sociorum garum, pretioſam malorum piſcium ſaniem, non credis urere ſalſa tabe praecordia? Quid illa purulenta, et quae tantumnon ab ipſo igne in os transferuntur, iudicas ſine noxa, in ipſis uiſceribus exſtingi? Quam foedi ac peſtilentes ructus ſunt? quantum faſtidium ſui exhalantibus crapulam ueterem? ſcias putreſcere ſumta, non concoqui. Praeter locum, quem auctor noſter ex PLINIO allegat, etiam *lib. 9. cap. 17.* gari apud eundem fit mentio. SVIDA ita deſcribit garum, ἔςι δὲ ἐδὲν ἄλλο ὁ γάρος, ἡ σηπεδών. Garum, a piſce garo, ortum duxiſſe, AESCHYLI apud ATHENAEVM, *Deipnoſophiſt. lib. 2. cap. 16. ed. cit. p. 67.* uerba declarant: καὶ τῶν ἰχθύων γάρον. Hinc CRATINVS, apud eundem, *lib. et p. cit. cap. 15.* ὁ τάλαρος ἡμῶν διάπλεως ἔςαι γάρε. Condimenti ſeu ſalſamentarii ſpeciem, fuiſſe garum, ex eodem auctore cognoſcimus,

uero, *lib. 31. cap. 8.* ex inteſtinis fieri, ſcribit, ſa-
le

ſequentis PLATONIS uerba citante: ἐν σαπρῷ γάρῳ βάπτοντες ἀποπνίξουσί με. Oxygarum pariter ab ATHENAEO, *lib. 9. cap. 1. p. 366.* nempe garum, aceto dilutum, allegatur, ὁρῶ δὲ, inquit, καὶ μετ' ὄξους ἀναμεμιγμένον γάρον. Οἶδα δὲ, ὅτι νῦν τινες τῶν Ποντικῶν ἰδίᾳ καθ' αὐτὸ κατασκευάζονται ὀξύγαρον. Garum, DIOSCORIDI, *lib. 2. cap. 34. p. 97.* eſt omne, quod e piſcibus carnibusque ſale maceratis, eliqueſcit, cuius praeparationem et uſum ita deſcribit: γάρον, πᾶν τὸ ἐκ ταριχηρῶν ἰχθύων καὶ κρεῶν, καταπλαττόμενον νομὰς ἐφιστᾷ, καὶ κυνοδήκτους ἰᾶται· ἐνίοτε δὲ καὶ ἐπὶ δυσεντερικοῖς, καὶ ἰσχιαδικοῖς· ἐφ' ὧν μὲν, ἵνα τὰ ἡλκωμένα ἐπιπαύσῃ, ἐφ' ὧν δὲ, ἵνα τὰ ἀνέλκωτα ἐρεθίσῃ. Ex his igitur, ſi addamus ea, quae CONSTANTINVS, *in Selectis de re ruſtica*, BRASSICANI opera editis, *libro 20. cap. ult. a p. 486. ad 488.* habet, perſpicuum ac manifeſtum eſt, garum ex uarii generis piſcibus, eorumque partibus, ſale conditis, iam uino, iam aceto, additis, uel omiſſis, confectum, uarii fuiſſe pretii. Hinc AEGINETA, *lib. 3. cap. 59.* γάρου πρωτείου, id eſt, primarii et excellentis gari, facit mentionem; quod SENECA Sociorum garum, l. c. appellat, de quo MARTIALIS, *lib. 13.* exſpirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo accipe fecoſum, munera cara, garum. Secutus hunc in eo MANILIVS, *lib. 5. de garo* canens: hinc ſanies pretioſa fluit, floremque cruoris

le maceratis, ceterisque, quae abiicienda eſſent, ut ſit illa computreſcentium ſanies. Sed miror, pretioſam fuiſſe rem tam ingrati odoris, et plene nauſeoſam.

Theſ. 18. Ex Vegetabilibus inſuper omnia lenta, uiſcida et tenacia, hiſce uenenis accenſenda ſunt, quae quidem non ſtatim nocent, ſed tamen corpus male diſponunt. Atque hoc ipſum eſt, quod GALENVS olim, *de Aliment. lib. 2. cap. 6.* de *Cucumeribus* (*x*)

 pro-

euomit, et miſto guſtum ſale temperat oris. Adeo tenue et calidum eſſe garum, ut a frigore non facile coaguletur, ALEXANDER APHRODISIENSIS, *Problemat. medic. et Natur. lib. 1.* indicat: ὁ γάρος, ſcribens, ὡς λεπτομερὴς καὶ θερμὸς ὀ ταχέως ψύχεται, ὀδὲ ὑπὸ κρύȣς πήγνυται. Plura de garo nigro, de garo cruento, de gari uirtute aluum laxandi, lege apud GALENVM, *lib. 3. de compoſ. medic. ſecundum loca cap. 1. et lib. 2. de aliment. facult. cap. 22. item lib. 11. de Simplic. facult. in fine.* HORATIVM, *lib. 2. Satyr. 8. uerſ. 46.* ALDROVANDVM, *lib. 2. d. Piſc. cap. 53.* LANGIVM, *lib. 1. epiſt. 59. a p. 312. ad 318.*

x) Deſumſit haec GALENVS ex HIPPOCRATE, apud quem, *lib. 2. de Diaeta*, ſequentia de cucumerum uirtutibus leguntur: σίκυοι ὠμοὶ, ψυχροὶ καὶ δύσπεπτοι, οἱ δὲ πέπονες ὀρέονται, καὶ διαχωρέονται, φυσώδεις δὲ. Cucumeres igitur, ſiccioribus ſaltem, in quibus praeter ſolidorum rigiditatem, ſuccorum acrimonia alcalina et te-

pronuntiauit, illos ſcilicet non ſtatim occidere, habitum tamen corporis corrumpere, albamque creare pituitam. Sed indomita nunc eſt nulliſque cancellis uallata gula, quae ex longinquo mari inſtrumenta luxuriae comparat. Crudelitates namque, dicente apud MACROBIVM, *Saturnal. lib. 7. cap. 4.* Diſario, Medico, eueniunt, aut qualitate ſucci, in quem cibus uertitur, ſi non ſit aptus humori, qui corpus obtinuit,

nuitas peccat, conueniunt, horumque ſtomacho, aluo et ſanguini congruunt, ex doctrina DIOSCORIDIS, *lib. 2. cap. 163. p. 144. et 145.* σίκυς ἥμερος εὐκοίλιος, εὐστόμαχος, ψυκτικὸς, οὐ φθειρόμενος, κύστει ἁρμόδιος, εὐακτικὸς λειποθυμιῶν ὀσφραινόμενος· καὶ τὸ σπέρμα αὐτοῦ μετρίως οὐρητικὸν, ἁρμόζον σὺν γάλακτι ἢ γλυκεῖ, πρὸς τὰς ἐν κύστει ἑλκώσεις· τὰ δὲ φύλλα αὐτοῦ σὺν οἴνῳ καταπλασθέντα, κυνόδηκτα ἰᾶται, σὺν μέλιτι δὲ ἐπινυκτίδας. Ex promiſcuo uero cucumerum uſu, uel abuſu, omnis generis morbi oriuntur, emolumenta ferentes medicis, quorum particeps redditus medicus Gallus, limini aedium ſuarum hoc diſtichon inſcribendum curauit: *les concombres, et les melons, m' ont fait baſtir cette maiſon*, quod ita, interprete CHRISTIANO PAVLLI, ſonat: magnificam tu forte domum mirare uiator? hanc nuper ſtruxit melo mihi et cucumis. uid. SIMON PAVLLI, *Quadripart. Botan. Claſſ. 3. p. 307. et 308.* KOENIGIVS, *Regn. Vegetab. Sect. 4. p. 798.* CONSTANTINI Γεωπονικά, *cit. a p. 341. ad 344.*

tinuit, aut ipſius cibi multitudine, non ſufficiente natura ad omnia, quae ingeſta ſunt, concoquenda.

Theſ. 19. Tum *Ficus Pharaonis* dicti. Fructus, in Sardiniae Ducatu, Galuria, abunde creſcentes, quos tot ciere febres, PETRVS APONVS et SANTES ARDOYNVS *de Venen. lib. 3. cap. 51.* meminit, quot fuerint fructus comeſti. Quales fuerint hi Pharaonis ficus, uarie ab auctoribus traditur, fuiſſe autem Melonum uel Peponum dulcium ſpeciem, ego crediderim, ſed ſilueſtrem. (*y*) Qui comeſti ſucco

y) Exiſtimat ROBERTVS CONSTANTINVS, *in notis ad Theophraſti hiſtor. plant. lib. 4. cap. 2. ed. cit. p. 287.* Συκάμινον Theophraſti, eſſe ficum Pharaonis, eamque a PLINIO ficum Aegyptiacam, *lib. 13. cap. 7. ed. cit. p. 230.* uocari, cum nempe eadem omnia apud eundem notata inueniantur, quae apud THEOPHRASTVM, *cit. lib. et cap. p. 285.* περὶ συκαμίνου relata leguntur. Hoc in genere de omni ficuum genere notum, quod ſucco uiſcido et fermentante praeditae laxent et emolliant, et uberius ingeſtae, canalem alimentorum cruditatibus replendo, febribus anſam praebeant. Hinc DIOSCORIDES, *lib. 1. cap. 184. ed. cit. p. 86.* perhibet, quod σῦκα πέπειρα τὰ ἁπαλὰ, κακοστόμαχα, κοιλίας λυτικά, fici maturae recentes ſtomachum laedant, et alui profluuium excitent. Praecipue ficus primas, ſucco acri fermentante turgidas, maxime damnat HIPPOCRATES, *lib. 2.*

ſucco uiſcido et immeabili facile capillaria arteriarum obſtruentes, febres concitant, horrores primo, deinde calores, et reliqua ſuo ordine mala, ſecum trahentes. Nec *Semen Pſyllii* ueneni ſuſpicione apud ueteres liberum erat, ob eandem uiſciditatem. Atque ex Oryza co-

cta

de Diaeta, ſcribens: *σῦκον χλωρὸν ὑγραίνει, καὶ διαχωρέει, καὶ θερμαίνει· τὰ δὲ πρῶτα τῶν σύκων κάκιϛα, ὅτι εισὶν ὀπωδέϛατα.* conf. Sponius, *l. c. Sect. 4. aphor. 46. p. 246. et 247.* Ficus, praeſertim meridie comeſtas, febribus anſam dare, eſt antiquiſſima Aristophanis apud Athenaeum, *l. 3. c. 6. ed. cit. p. 80.* ſententia: *κάμνοντα δ' αὐτὸν τȣ̃ θέρȣς ἰδών ποτε, ἔτρωγ' ἵνα κάμνοι σῦκα τῆς μεσημβρίας.* De iisdem incommodis, ex ficuum eſu enatis, apud eundem auctorem Evbvlvs, *cit. loc.* queritur: *νὴ τὸν Δί' ἠσθένȣν γὰρ ὦ βέλτιϛέ συ, φαγȣ̃σα πρώην σῦκα τῆς μεσημβρίας.* Somnum praeſertim, poſt ficuum eſum, pernicioſum eſſe, et febrim cum uomitu bilis producere, ex his Nicophonis, *c. l.* patet: *ἐὰν δέ γ' ἡμῶν, σῦκά τις μεσημβρίας τρώγων καθεύδῃ χλωρὰ, πυρετὸς εὐθέως ἥκει τρέχων ἐκ ἄξιος τριωβόλȣ, καὶ ȣ̃τος ἐπιπεσὸν ἐμεῖν ποιεῖ χολήν.* Plura, tum utilia tum curioſa, de ficubus inuenies Constantino, *lib. 10.* Γεωπονικῶν *ed. cit. a p. 275. ad 280.* Simone Pavlli, *Quadrip. Bot. Claſſ. 3. p. 330. et ſequ.* Koenigio, *Regn. Veg. Sect. 4. p. 840. et 841.* Hermanno, *Cynoſur. mat. med. ed. cit. Part. 1. cap. 5. p. 393. et ſeq.*

cta in pultem, ſi calida et aeſtuans ſumitur, coecitatem ſequi, Belgis, qui Amboynam, Bandam ac Moluccas uerſus, in Indiis nauigant, notum eſt, et BONTIVS refert, *lib. 3. de Med. Indor. cap. 16.*

Theſ. 20. Hinc ad *Fungos*, quos eſculentos et campeſtres uocant, uulgo *Champignons*, recenſendos, uenio. Carnium quidem iuſcula piſciumque, quibus fungi incoquuntur, optime hinc ſapiunt. Sed, cum certum ſit, fungos hoſce ex tenaci eiusmodi uiſcido et glutinoſo ſucco conſtare, idque clare experimentum demonſtret, quo ſuccus eorundem in uaſe porcelano impoſitus, et uitro inuerſo coopertus, ita firmiter poſt tempus breue uitrum uaſi adglutinauerat, ut ſimul in altum tolli poſſent, quemadmodum habent *Miſcell. Med. Phyſ. Cur. German. Decur. 2. ann. 2. Obſ. 73.* Adeoque Fungorum naturam *lentiorem* appoſite dixit PLINIVS, *lib. 22. cap. 23.* Itaque uentriculo graues ſunt, et, ſi ad pulmones contigerit deferri tenax hoc, ſuffocant. Edunt interim homines quidam hoc cibi genus abunde, nec deſiſtunt, niſi ſanitate amiſſa, tum tandem querentes, ediſſe ſe. Enim uero.

Tum denique homines noſtra intelligimus bona,
Cum, quae in poteſtate habuimus, ea amiſimus,

ut Ergaſilus Plautinus infit, *Capteiu. Act. 1. Scen. 2.*

Nec

Nec gulones iſti ad ſanitatis attendunt fragilitatem, cum iuxta Helenae effatum, Paridi *Heroid. Epiſt.* 16. datum, interdum

Eſt uirtus, placitis abſtinuiſſe bonis.

Theſ. 21. HIPPOCRATES eleganter, *de Vet. Medicina, n.* 8. *et* 9. 24. *et de Loc. in hom. n.* 52. 53. alimenta a nobis ſuperari debere, inculcat, non ſuperare. Ergo uiſcida, ut piſces fere omnis generis, et uegetabilia talia eatenus poſſunt dici noxia et uenenoſa, ut antiquorum inſiſtamus ueſtigiis, quatenus chylum tenacem reddunt, ſanguinemque immeabilem per exiliſſima capillaria uaſa, et homines ſic diſponunt ad peripneumonias aut febres intermittentes, anguſtos uaſorum canaliculos et conicos arteriarum fines facile obthurando atque infarciendo, uiamque liquidis per ea loca traiiciundis praecludendo; unde ſuam interim ſyſtolem et diaſtolem exercente corde, ex particularum ſanguinearum ad loca uicina attritu, uehemens calor ac febris accenditur. Videatur in hoc negotio, qui primus omnium, quod ſciam, febres intermittentes mechanice et geometrice explicuit Cl. BELLINVS, *de Miſſ. Sangu. Propoſ.* 10. *p. m.* 243. *et de Febr. propoſ.* 8. *p.* 303. *Propoſ.* 18. 19. 20. 31. 32. 33. Hinc HIPPOCRATES, *lib.* 1. *de Morb. n.* 37. rigorem a pituita et bile, hoc eſt, a uiſcido et acri, deducit.

Theſ.

Theſ. 22. Enim uero particula uiſcida, non per paruam, ut acria ſpicula, ſed per magnam adhaeret canali ſuperficiem, et depreſſa ceruice ac complanata, quaſi lateri uaſis arterialis magni impacta, liquidorum impulſum facile tolerat, magisque ſuſtinebit, quo in maiori arteriae cauo perſtiterit, cum maiorem in anguſtioribus uim incurrentium liquidorum ſuſtineat, et, ſi ita natura eius ferat, ad uaſis nutritionem aliquid faciet, nutritionemque peraget. Vnde quoque omnia alimenta, multum nutrientia, ſunt paulo uiſcidiora et glutinoſa, ut lac, et omnes gelatinae animalium piſciumque.

Theſ. 23. Fit autem nutritio, quando particulae alibiles in pulmonibus in iuſtas nutriendi formulas effiguratae, adhaerent ſolidis in iſto loco, ubi aliquid per uim liquidi fuit abraſum, eiusdemque continua ſolidis adglutinantur impulſione, aut ipſi denique liquido uappido aut nimis acri pemiſcentur. Elongatio uero fibrarum, ſiue extenſio, ab eodem producitur liquido in illis corporibus, ubi minor ſolidorum eſt reſiſtentia, quam impulſus ſuorum fluidorum, hoc eſt, in infantibus et pueris, quorum uaſa non longe a fluidis adhuc diſtant. Conf. Cl. STENO, *Diſſ. Prodr. de Solid. intra Solid. p. m. 29. et 30.* Sed tamen quam maxime notanda ſunt haec HIPPOCRATIS, *de Artic. n. 69. omnia, quae in corpore ad uſum facta ſunt, ſi quis moderate ipſis utatur, et in his laboribus exer-*

ceat,

ceat, ad quos ſingula ſunt adſueta, ſic quidem ſana ſunt et augeſcunt, et probe conſeneſcunt. Si uero quis non utatur, ſed quieſcat, morboſiora fiunt, et non augeſcunt, et cito conſeneſcunt. (z)

Theſ.

---

z) Quanta ſit uis motus, quid praeſtet conſuetudo, diuerſi, quos in ruricolis, et literatis, ex lacticiniorum et uiſcidorum alimentorum uſu, obſeruamus, effectus, abunde demonſtrant; gens quippe ruſtica, uberiorem alimentorum craſſiorum copiam aſſumens, eadem, iugis ſubſidio motus, quo perpetuo artus exercet, probe digerit, digeſtisque in ſuccum et ſanguinem conuerſis, bene ſe habet, cum ex tali uictus uiuendique ratione, literati, uitae ſedentariae, meditationibus ac lucubrationibus addicti, uaria et grauia percipiant incommoda. Vbique terrarum, ubiuis gentium ruſticos ſeniores, tum cibis durioribus concoquendis, tum laboribus moleſtis perficiendis pares, inuenimus, quod non paraeque ab aliis, delicata mollique ratione educatis, licet in aetatis flore conſtitutis, expectandum, uti idem HIPPOCRATES, indefeſſus in obſeruationibus, diſtinctiſſime hiſce expreſſit, *Sect. 2. aphor. 49.* οἱ εἰθισμένοι τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν, κἂν ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνήθων, ἰσχυρῶν τε καὶ νέων, ῥᾷον φέρουσιν. Cum uero motus in literatis maxima ſit neceſſitas, ad uiſcidi generationem, uiſcerumque obſtructionem imminentem, uel praecauendam, uel iam

Theſ. 24. Si uero contingit, eandem uiſcidi-tatem ad conicos arteriarum fines rectiſſimos ui cordis detrudi, nec inde poſſe ulla ratione propelli, propter inaequalitatem uiſcidi cum diametris canalium traiiciendorum, ibi haerebit, & accedente liquidorum continuo a tergo im-pulſu, uas dilatabit, cumque eo in unum quo-dammodo coaleſcet. Vas ſic obthuratum, uici-na comprimendo, dolorem primo obtuſum, qui omnem fibrarum intenſionem ſequitur, excita-bit, cum leui horripilatione corporis, ex dene-gato ſanguinis in ſuperficiem corporis influxu. Et cor, parum illud ſanguinis acceptum ab ob-ſtructis partibus, conatur quidem per arteriam expellere, ſed, ob reſiſtentiam maiorem in coni-cis arteriarum finibus, omnis eius ſyſtole atque diaſtole eſt inanis et fruſtranea, cita licet ſit et creberrima.

Theſ. 25. Vnde, uaſis maioribus cruore tur-gentibus, et obſtructa extremitate conica, la-terales rami comprimuntur, uel et interdum ampliantur, et ſanguis per anguſtiora uaſa ua-rie rotatur, uarioque ſic ad illa particularum eius attritu, calor ingraueſcit febrilis, corde ſi-mul quocunque modo in contractiones crebrio-res proritato, cum pulſu frequenti, ex cordis uelociore ſyſtole, non uero ſanguinis per uaſa progreſſiuo motu, ut uulgo creditur, aeſtiman-

praeſentem tollendam, uita ſedentaria ſucceſſi-ue cum leniori motu commutanda, donec tan-dem, eidem magis magisque aſſueti, iuſtum ac

do. Diu enim illud dogma inter medicos inualuit ſanguinem citis in febri ardente ferri per corpus itineribus. Ex quo etiam fundamento clariſſimus COCKBVRN, *Oecon. Animal. p. 128. et 129.* cauſam ſitis deduxit, quod ſcilicet ſanguis ualide raptus per uenas, non ſatis moretur ad lateralia, ut lympha ſecerni queat. Sed uera cauſa ſitis, tum eſt humorum ineptitudo, immeabilitas, coagulatio, atque impedimentum, in conico arteriae fine, tranſituro in uenas ſanguini. (*a*) Vnde uaſa turgent, et diſtenta, comprimunt lateralia.

Theſ.

ſufficiens corporis exercitium, illis in principio maxime moleſtum, perferre queant, obtemperantes ſequenti Coi noſtri obſeruationi, ac praecepto, quod dedit, *Sect. 2. aphor. 5*: *τὰ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα κἂν ᾖ χείρω, τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε· δεῖ οὖν καὶ ἐς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν.*

a) Hic merito tenenda regula, quod unius rei, et unius eiusdemque effectus, plures poſſint eſſe cauſae; nam, uti lubens auctoris noſtri ſententiae ſubſcribo, aſſerentis: quod cauſa ſitis a glandularum ſaliualium obſtructione, et hinc impedita ſaliuae ſecretione, ſit quandoque arceſſenda, ita minime hanc cauſam, mere particularem, pro uniuerſali, perpetua, et ſola omnis ſitis, habere poſſum; cum etiam, glandulis ſaliualibus bene conſtitutis, et ſaliua libere ſeparata, atque abunde in os effuſa, a ſolo particularum ſalinarum et ſulphurearum, ſero mi-

Theſ. 26. Sed uiſcidum dictum ſtagnans ad conos arteriarum ultimos, mora ſua et impulſu liquidorum uiciniorum, praeſertim, ſi cordi propius haeſerit, uarie conteritur, exaſperatur, alkaleſcit, ac, dum acre alkalinum ſanguini uaſisque uicinis impertitur, uaſa inde compuncta ualide oſcillant, prae ceteris autem cor. (*b*) Et, quo obſtructio aliqua cordi propior, eo magis ſubiecta eſt ui ac impetui proiecti a corde ſanguinis; non ſecus ac lapis, ualido proiectionis

nus dilutarum, exceſſu, haud raro ſitis generetur. Nec ſufficientem rationem, ſcitum Cokburnii, experimento anatomico demonſtratum, et obſeruationibus clinicis confirmatum, plane repudiandi, deprehendo; in multis quippe febribus, tam intermittentibus, quam continuis, nulla obſtructionum ſigna, ſed celeriorem et rapidiorem ſaltem humorum per extremas corporis partes progreſſum, concitatae cordis contractioni tribuendum, aduertimus, ubi, non ſaltem ex hac cauſa ſaliuae, ſed reliquorum humorum, lotii nempe, et ſudoris ſecretio impeditur, qui tamen humores omnes, quam primum per acida, diluentia, terreaque, uehementior ſanguinis commotio ſedata eſt, libere profluentes, tum ſymptomatum remiſſionem, tum intermiſſionem afferunt.

b) Apprime haec quadrant explicando HIPPOCRATIS aſſerto, qui, *lib. epidem 16. Sect. 7.* laborem, ſeu motum, in corporibus impuris, ulceribus, in corporis ſuperficie erumpentibus, an-

momento e manu iactus, uicinas et propinquas appellens res, potentius iſtas ferit, quam feriret diſſitas, et a principio ſui motus longius abeuntes. Hinc eo ſenſu concludere poſſumus, inflammationem in manu citius in ſuppuratum tendere, eadem actione cordis, quam ſi in pede eſſet. Adeoque nouimus, morbos pectoris, peripneumoniam, pleuritidemque, eſſe periculoſiſſimos, et cito iugulantes, omnesque inſuper morbos, in pulmonibus incipientes, ſiue ex aeris grauitate, ſiue leuitate, quocunque demum uitio, alkalino, uel acido, oriantur, cum culter eo magis incidat, quo magis prematur. Optime CELSVS, *lib. 2. cap. 7.* ex oraculo Hippocratico pronunciauit: *Tumor ad ſuppurationem magis tendit is, qui in praecordiis, quam is, qui in uentre eſt, et is, qui ſupra umbilicum, quam is, qui infra eſt.* Aureum dictum, et CELSI celſo ore digniſſimum!

Theſ. 27. Quando uero obſtructio aliqua et collectio uiſcidi, aut liquidi cuiuscunque extra uaſa

ſam praebere, hiſce docet: *ἕλκεα ἐκφύουσιν, ἢν ἀκάθαρτος ἐὼν πονήσῃ*, cum nempe materia uiſcida, ſalibus acribus imbuta, motu fortiori, ad extrema propellitur, ibique haerens, tubercula, et hinc enata ulcera, producit. Vnde idem, *lib. de flat.* *τὸ φλέγμα δριμέσι χυμοῖσι μεμιγμένον, ὅποι ἂν προσπέσῃ ἐς ἀήθεας τόπους, ἑλκοῖ.* conf. SPONIVS, *lib. c. Sect. 2. aphor. 45. p. 93. et aphor. 47. p. 94. 95. et 96.*

uaſa ſit, eodem quidem uaſorum uicinorum appulſu, et actione uaria, primo mutatur in pus craſſum, bonum, blandum, aequale, non acre, et inodorum, ut pus bonum hoc charactere deſcribitur apud HIPPOCRATEM, *Praenot. n. 7. 17. 19. Praedict. lib. 2. n. 13. et in Coacis p. 668.* atque apud eundem Latinum, *lib. 5. c. 26. n. 20. et lib. 7. c. 3.* Si uero, pro ratione loci, illud ſuppuratum ex corpore nequeat exprimi, nec in uaſa reſorberi, parili repetito ſolidorum et fluidorum incurſu, ex pure blando tranſit in pus tenue, acre, foetidum, rubellum, ſaponaceum, alkalinum. (*c*) Et, ſi inſignis acredo fuerit obſtructionis magnae, uicina ſolida corroduntur, et corripiuntur gangraena, quam ſphacelus excipit, hunc mors poſt delirium. Hinc dicit HIPPOCRATES, *de Flat. n. 17. et de Morb. lib. 1. n. 7.* ſanguinem effuſum mora putreſcere, et puruleſcere.

c) Ex huiusmodi diſcrepante puris natura, ſigna pariter ulcerum benignorum et malignorum, facilis difficilisque medelae, HIPPOCRATES deſumſit, *libro de Criſibus*, ſcribens: *τὰ ἕλκεα, ἢν μὲν ἀνακαθαίρηται πύῳ λευκῷ, ταχείην θεραπείην δηλοῖ· ἐὰν δὲ μεταβάλλῃ ἐς τοὺς ἰχῶρας, κακοήθη γίνεται.* His illuſtrandis ſeruiunt, quae *lib. 2. Prorrh.* de malignorum indole ulcerum, leguntur: *αἱ νομαὶ θανατωδέσταται, ὧν αἱ ση-*

Theſ. 28. Eidem autem uiſcido, per uaſa quidem circulanti, ſed tarde meabili, ſi acredo quaedam pariter meabilis intermixta fuerit, alkalina, ſalina, muriatica, aut oleoſa, aut qualiscunque, illa quidem eius pars, quae leuior et minoris ſuperficiei, cum ſanguinis portione ſolidiore, mobiliore, et ſubtiliore, iuxta motuum leges, a corde in cerebrum recta linea per carotides euibratur, uaria ſymptomata ibi excitabit, acrimonia rodente, et uiſcido obthurante, maniam uidelicet, uel apoplexiam, prout hanc uel illam cerebri plagam irritauit, aut occupauit, compreſſitque. Craſſiores uero ſeu irregulares et grauiores magis particulae, acre quoddam in theculis ſuis ferentes, per eandem motus legem, ad inferiora quidem uaſorum caua abdominalia demerguntur proiectili ui cordis, ita tamen, ut per motum in hydroſtaticis familiarem, ac naturalem, craſſiora ad laterales coeliacos, meſentericos, renalesue detrudantur arteriarum ramos, ſolidioribus adhuc et ſubtilioribus, libere et linea magis recta, maiora caua traiicientibus. In quibus lateralibus uaſculis haerens firmiter ac rodens acredo, anxietates, moleſtiamque excitabit, et malum hypochondriacum melancholicumque, uariaque deinde

---

πεδόνες βαθύταται, καὶ μελάνταται, καὶ ξηρόταται. uid. SPONIVS, *l. c. Sect. 3. aphor. 94. p. 191. et 192. et S. c. aphor. 97. p. 195. et ſequ.*

inde ſymptomata, ex huius materiae acris motu, et diuerſo ad partes diuerſas adfluxu, ſicut ſupra demonſtratum fuit, producet.

Theſ. 29. Sed, quando accidit, aliquod uiſcidum in glanduloſas partes fortiter eſſe impactum, humido omni plane diſcuſſo, inque uenas proximas abſorpto, haerens mucago induratur, et quaſi lapideſcit, tranſitque in tumorem inſenſilem iſtius partis, cui talis ineſt obſtructio, ſcirrhum dictum, (*d*) malum certe pertinaciſſimum, et medicamentis uel optimis inſigniter recalcitrans ac reluctans, dum nempe illa, quae emolliunt fibras et laxant, increſcere faciant tumorem ſcirrhoſum, ea uero, quae ualidius diſcutiunt, magis magisque illum exſiccent, et per impulſum uaſorum, ex tali medicamento repetitum, grauius indurent, aut, quod magis ſaepe euenit, ſcirrhoſam materiam moueant loco, acriterque exaſperent. Quae deinceps magis magisque putreſcens ac alkaleſcens, loca uicina miſerabili clade exedit, inque uerum can-

d) Huc pertinent ea, quae habet HIPPOCRATES de glandularum morbis, *lib. de gland. oper. ex ed. Foeſiana, Vol. 1. Sect. 3. p.* 270. ſic loquens: *ἁι ἀδένες οὐ κάρτα πονέουσιν, ἀλλὰ τῷ ἄλλῳ σώματι ξυμπονέουσιν· ἐπὴν πονέουσι δὲ δι' ἰδίην νοῦσον, Φύματα γίνονται, χοιράδες ἀναπηδῶσι, καὶ πῦρ ἔχει τὸ σῶμα. Πάσχουσι δὲ ταῦτα, ἐπὴν ὑγρασίης πληρωθῶσι τῆς ἐπὶ τοῦ ἄλλου σώματος ἐπιῤῥεούσης ἐις αὐτάς.*

cancrum abit, totius humani generis carnificinam et tormentum truculentiſſimum. Conf. CELSVS, *lib. 5. cap. 26. n. 31.* Atque egregius eſt locus HIPPOCRATIS, *de Morb. lib. 1. n. 27.* ubi inquit, tuberculum adhuc crudum, exilem ſaltem in pulmone dolorem, ac tuſſiculam ſiccam producere. Maturum uero, calorem et febrim producere, et, ſi non pus exſpuatur, ac tuberculum ſeſe contrahat; pus denuo fit purulentum, et homo perimitur a uentre fluente.

Theſ. 30. Cauſa uero petrificationis et ſaxeae iſtius coagulationis antea memoratae, ut leuiter hoc in loco et illam perſtringam, altioris eſt indaginis. Quidam enim *Spiritum* quendam *Calcarium* ſubtilem introducunt, in ſale ſuo uolatili figentem terram continentem, quem Spiritum Cl. BORRICHIVS, *Saxeum fumum* adpellauit, eoque potiſſimum argumento, quod petrificationes in locis, ubi calx abundat, frequentiſſime fiant, ſicut in Gothlandia, Regni Sueciae inſula. Quod Anno 1709. menſe Decembri, cum naues bellicae reuertentes ex Sinu Bothnico portui Slytenſi appuliſſent, uidi, et plurima mecum petrificata extuli, conchylia, cochleam ſiliceam, aliaque. Talis quoque calcea ſoli natura eſt inſulae pariter Noſtratis Oelandiae, ut uidi 1710. die 29. Aprilis, non procul ab Arca Borckholmenſi, et per uiciniam tractus iſtius. Vbi quoque inter alias uernales herbas uiolam reperiri fragrantiſſimam, quae per patriam uniuerſam alias eſt inodora. Adđ

dunt

dunt et illud phaenomeno petrificationis expli cando, quod Pyrites cum calce in minera aliqua mixtus, inteſtina ſulphuris ſui correpta fermentatione, calcem in eiusmodi ſpiritum reſoluat. Videatur LISTER *de Font. Med. Angl. Tr. 1. cap. 8. et 2. cap. 3.* Sic puluis ex Puteolanis collibus, ſi opponatur maris fluctibus, mergaturque, protinus fit lapis unus inexpugnabilis undis, et fortior quotidie, ſi Cumano miſceatur caemento, ut PLINIVS habet, *lib. 35. cap. 13.* et SENECA, *Nat. quaeſt. lib. 3. cap. 20.* Et, in ſinu maris Finnici, qui Careliam Ingriamque intereſt, fundus eſt ualde petrificans, ſed modo mirabili. Namque circa lapillos in fundo iacentes, quos nautae *Cingel* uocant, a lateribus ſeſe apponit materia ſaxea rubra, et ferrum fere mentiens, in diſci uel trochiſci becchici ſpeciem, quae et homines illudere poſſit peritiores: ſeruoque unum eiusmodi lapillum, qui bolidi, profunditatem maris menſuranti, adhaeſerat, Anno 1709. menſe Auguſto.

Theſ. 31. Quin etiam Vitriolica, quamuis non plane petrificant, firmant tamen, conſolidantque corpora, ſicut in cadaueribus quibusdam, in famoſo Sueonum Cuprimonte Fahlunenſi, quem OLAVVS NAVCLERVS Noſtras, duobus tractatibus optime deſcripſit, repertis, obſeruatum eſt, non ſecus ac carnes in aqua uitriolica percoctae multum indurantur, ſicut uidi factum Anno 1698. in Flaminia Wermelandiae Arfwikenſi,

kenſi, ubi talis fons eſt. Fumus praeterea uitriolicus, ex prima crudi aeris, quod PLINIVS, *lib. 34. cap. 8.* caldarium appellat, ignitione, adſcendens, ligna parietum in urbe Fahlun duriora reddit, hebetandisque Dalakarlicis ſecuribus idonea, et a putredine aliquatenus libera ac immunia conſeruat, contraque uim ignis durabiliora. Sicuti idem factum fuiſſe GELLIVS ſcribit, *lib. 15. cap. 1.* cum turri lignea in oppido Piraeo Atticae, quae ab Archelao Mithridate, praefecto, alumine oblita, cum ex omni latere circumplexa igni ab oppugnatore L. Sulla foret, ardere non quibat. Hinc *Aluminoſa* pariter ac *Salina*, per terram ſuam uirgineam elementarem, ut Chymicis loqui mos eſt, petrificant. (e)

Theſ.

e) Cauſas generationis calculorum, et in macrocoſmo, et in microcoſmo, multiplices ac diuerſas eſſe, non diſcrepantia ſaltem lapidum, quae analyſi chymica examinata, praebent, principia, ſed diuerſa quoque origo, diuerſaque remediorum operatio, demonſtrant; quotidiana quippe experientia compertum conſtat, quod ita dictae tincturae nephriticae, ac medicamenta lithontriptica, quae, calculi generationem praecauendi ergo, adhibentur, ſaepius calculorum generationem promouerint. Aduerti, acidulas, hunc in finem adhibitas, calculis materiam praebuiſſe, cum contra uinum, in huiusmodi aegrotis adeo damnatum, roborando ſolida, ſa-

Theſ. 32. HELMONTIVS uero, Medicinam ſibi nouam mente complexus, *Tract. de Lithiaſi, cap 1.* poſt exploſum Paracelſi Tartarum, petrificationis

bulique adiuuando excretionem, omne, quod hinc imminebat, incommodum ſuſtulerit. Quam male hic pariter audiunt ſalia alcalia, praecipue uolatilia, ſero et oleo minus temperata, ſuique plane iuris facta; et eadem nihiloſecius in ſubiectis dyſcraſia ſeroſa, pituitoſa atque acida laborantibus, certam tibi, calculi generationem impedituro, ferunt opem. Ita idem peraeque cum acidis comparatum eſt, quae, in citatae hominibus naturae, calculorum generationi fauent quidem, in iis uero, quibus dyſcraſia alcalina moleſtiam creat, optima ſunt ſubſidia, quibus calculi generatio impeditur. Diuerſiſſima igitur ſunt calculorum tam in macrocoſmo, quam microcoſmo, generatorum, fundamenta, eaque iam ab acido, iam ab alcali, iam ab ignoto nobis plane principio, arceſſenda. Vnde obſeruabis, etiam aquis limpidiſſimis, quae defecatiſſimae apparent, uim lapidificam ineſſe; quale quid de fonte, prope Ienam, ad radices montis Welnitz dicti, ſcaturiente, quem uulgo den *Fürſten Born* uocant, IEHRINGIVS, *in Prolegomen. ad diſputat. de calcul.* refert, hac ratione eundem deſcribens: e uenis terrae indefeſſim manat fons hic, ſemper ſuis ebrius liquoribus; dehinc querulo ore loquacem efficit riuulum, omni cryſtallo nitidiorem, qui, ubi per prae-

ficationis cauſam ſtatuit ſemen ſeu fermentum lapidis in aqua aliqua oberrans, cuius ſolo ſaxeo odore

cipitia cadit, dulces equidem edit ſuſurros, ſed pro genio ſuo Gorgonico, omnes in eo natantes uermiculos, impoſita ligna, creſcentes plantas, uel quodcunque tandem inieceris, cruſta lapideſcente, ſenſim ac ſenſim obducit, imo proprium alueum reddit ſaxeum. Non tam purae limpidaeque ſunt aquae riuuli, ex lacu, Archiniglio nuncupato, emergentis, qui agrifolium in lapidem ſubuiridem ita commutat, ut ollulis fuſoriis alliisque utenſilibus conficiendis commode inſeruiat, uti ex Roberti Sibbaldi, *Scotia illuſtrata*, recenſent *Collectores Act. Erudit. ad An. 1685. p. 175.* Peraeque ſe res habet cum ſpecu, in comitatu Neogradienſi, ad arcem Fileg, in quo, teſte Boetio *de* Boodt, *tr. de lapid. ac gem. lib. 2. cap. 300. p. 264.* ſuperne deſtillans aqua continuo dureſcit; ibi uero uideas ceu hominum ſtatuas, conſiſtere ſaxa, ex hac deſtillatione concreta. Adde his ea, quae de ſpecu circa arcem S. Seruuli, et mirandis, quae in omnibus eius angulis et lateribus uiſuntur, figuris, Valvasor, *in Tract. Gloria Ducatus Carniolae, lib. 4. cap. 6. 7. et 8.* affert. Quemadmodum uero, omnibus, quae hic occurrunt, circumſtantiis, rite ponderatis, iam frigus, iam aeſtus, modo alcali, modo acidum, nunc uitriolum, nunc nitrum, iam ferrum, iam terra, in macrocoſmo, lapidibus diuerſae indolis anſam mate-

odore hauſto, uel ſemine petriformi leuiter attacto corpora petrificant. Semen autem iſtud con-

riamque praebet, ita ad diuerſas illas cauſas, peraeque in calculorum, humanum corpus infeſtantium, generatione, reſpicere decet, et ita, combinando diſcrepantes auctorum, quas de calculorum origine fouerunt, ſententias, certius, qua uti debemus, methodi medendi, fundamentum conſtituetur. Euenire hoc modo poteſt, imo euenit interdum, ut, ex ſententia WALDSCHMIEDII, *Medic. Rational. lib. 2. cap. 12.* et CAROLI *de* MAETS, *Prodrom. Chymic. ration. cap. 6.* ſalia uolatilia, ob oleoſarum et ſeroſarum particularum defectum, ſui iuris facta, terreis ſociata particulis, iisque clauorum inſtar infixa, calculos conſtituant; unde quoque tales calculi uberiorem ſalis uolatilis copiam deſtillatione praebent. Cum uero contrarium, in aliorum examine calculorum occupatus, deprehendas, parum nempe, uel nihil ſalis uolatilis, terram uero copioſam cum uiſcido, imo acido, haec cauſa, quam ex Waldſchmiedio citaui, non, tanquam uniuerſalis, approbanda. Minime uero hinc ad peregrinos terminos, ſpiritum ſcilicet Gorgonicum, confugere debemus, licet repentinam quandoque materiae calculoſae combinationem obſeruemus, uti DOLAEVS, *Ephemerid. German. natur. Curioſ. Decur. 3. Ao. 4. obſ. 59.* ſequenti hiſtoria confirmat: in equite quodam calculoſo, etiam extra corpus, calculum extempora-

conſiſtere, ait, *in ſolo odore ſaxeo*, qui eſt *incorporale atque inuiſibile fermentum*, nullamque in petrificanda materia adeſſe diſpoſitionem. Alii, ad *Spiritum* ſuum *Gorgonicum* confugiunt. Alii cum Cl. WILLIS, *de Ferm. cap. 2. et 3. p. m. 10. et 19.* Spiritum Salinum, uolati-

---

neum factum, obſeruaui. Hic, cum urina, poſt uſum pilularum ex therebinthina, emiſit materiam albam mucilaginoſam, quae ſubito ab aere externo in ſubflauum calculum ſubriguit, quem aegrotus praedictus adhuc ſeruat. Nemini uero adducta momenta ponderanti obſcurum aut ignotum eſſe poteſt, quod materia mucilaginoſa, hic excreta, terreis ſalinisque ſaturata particulis, diſſipato per aeris preſſionem, perpauco, quod adhuc reſiduum erat, ſero, in ſolidiorem abierit ſubſtantiam; quibus confirmandis ſeruiunt ea, quae, tum de lotio in ſal ſolidum per noctis ſpatium mutato, tum de ſaliua in calcem albiſſimam concreta, HAYNIVS, *Ephemerid. German. Nat. Curioſ. Dec. 1. Ao. 1. obſ. 63.* et LENTILIVS, *in Scholio ad obſeru. 160. Ephemer. German. Dec. 11. Ao. 4.* habent. Paucis: in calculorum, hominibus infeſtorum, diuerſasque partes obſidentium, generatione, parentum morbos, diuerſam aegrotorum conſtitutionem, uariamque uictus uiuendique rationem, examinare, iisque deinceps remedia, tum prophylactica, tum therapeutica, accommodare debemus.

uolatilem, primigenium, congelantem, adhibent. Alii aliter. Et, ſi uerborum chimaeris ludere non uelimus, facile ad credendum inducimur, eiusmodi coalitiones per appoſitionem alicuius alius materiae, hoc eſt, per corpora ſubtilia, ſiue ſalina, ſiue terram quandam ualde ſubtilem, in poros patulos ingreſſa, fieri, adeoque non ueram lapideſcentiam, ſed tantum indurationem corporis, inde exiſtere atque produci.

Theſ. 33. In corpore uero humano, aliisque rebus omnibus, adhuc circa ſua primordia mollibus, atque inſtar cuiusdam mucilaginis ſe habentibus, aliter ſe res habet. Conſtat enim, oſſa cuiuscunque generis, nihil niſi mucum quendam nerueum et pituitoſum quid in initio fuiſſe, quae progreſſu temporis ſenſim atque ſenſim in iſtam duritiem coaluerunt, partibus uiſcidis fibrillaribus, excluſo humido, proxime ad ſe inuicem accedentibus. Quin et foetus aliquando, non ſolum extra uterum in abdomine generatus fuit, ſed etiam in gypſeam duritiem coaluit, ut de Muſſipontano STRAVSSIVS, *peculiari Tractatu*, refert. Sicut et Lithopaedion Agendicum Senonenſe, in Sartoris Gallici coniugis Columbae Chatry utero per continuos uiginti octo annos geſtatum, quod in Daniae Regis Muſeo, magno redemtum aere, tanquam rarius Cimelium, charioſe ſeruatur, ut Suedici bouis cerebrum, celeberrimo BARTHOLINO memoratum, in lapidem mutatum, et alia quam plurima ſicco pede pertranſeam.

Theſ.

Theſ. 34. Vnicum adhuc ſaltem memoraſſe contentus ero, de ouo gallinaceo, cuius extima cruſta in ouario gallinae mollis quidem eſt, ſed gypſea quadam materia ad uropygion circumfunditur, contactu aeris mox indureſcente, non ſecus ac Gypſum Pariſienſe, ad primum aeris gelidi ſenſum congelaſcere, uidemus. Itaque nobis imaginari liceat, eandem eſſe rationem cum omnibus teſtaceis, iisque rebus, quae ex molli materia primum ſunt coagmentatae, aere ſcilicet, particulas aqueas, ex poris, ubi haerebant, expellente, fibrasque ad intimos complexus, ipſa illa, qua omnia ad centrum ſui orbis] detrudit, ui, compellente, De Corallio ſic NASO, *lib. 15. Metamorphoſ. fab. 41.* olim cecinit:

Sic et Coralium, quo primum contigit auras
Tempore, dureſcit: mollis fuit herba ſub undis.

Confer. *lib. 4. fab. 18.* PLINIVM, *l. 32. cap. 2.* et de Americano quodam inſigni Lithophyto celeberrimi Botanici D. TOVRNEFORTII obſeruationem *Hiſtoir. de l' Academ. Royal. de Scienc. Ao. 1700.* Quod Coralium attinet, PAVLVS BOCCONE, Nobilis Siculus, *Recherch. et Obſeruat. Naturell. Lettr. 2.* totam ſuperficiem Coralii, dum e mari tollitur, tartaro quodam obductam eſſe, ſcribit; illam uero cruſtam, *lettr. 3.* Coralii nuper ex aquis educti, mollem eſſe, lubricam ac oleoſam, pro-

dit,

dit, hincque manaſſe opinionem, quod Coralium ſit molle ſub aquis, aeri uero admotum indurari.

Theſ. 35. Namque illud extra controuerſiam eſt, particulas aereas per idem foramen intrare non poſſe, per quod aqua eſt egreſſa, ſed corpori madefacto, ſi aqua expellitur rurſus calore ſolis uel foci, eius fibrae omnes et filamenta ſibi inuicem complicantur, ita ut ratione non careat experimentum, uulgo notum, duriora in futuros uſus domeſticos ligna reddi et coria, ſi prius aqua fuerint imbuta, quam calori focario uel ſolari exponantur. Hinc quoque refert TACHENIVS, *Hippocr. Chym. c. 21.* ligna ex quibus Veneti naues componunt bellicas, recentia adhuc et uiridia aquis ſtatim per multos annos immergi, ne ſcilicet ab aere penetrentur, fierique ſub aquis tam fixa, ut ſaxa aemulentur. Parilem autem indurationis et coalitus metamorphoſin, in cochleaae, ſiue, ut Pacuuiano uocabulo utar, domiportae, teſta, aliquando obſeruare eſt: cochlea namque, humorem uiſcoſum ex omni corpore exſudans, dum ſeſe ſaepius cibo repleta in domunculam retrahit, tenax iſte liquor ad latera et margines collectus cum tempore indureſcit in teſtam, pro mole ipſius cochleae augendam. Vnde quoque haec cruſta, tam frequenti circulorum ordine fabrefacta conſpicitur. Conf. STENO, *de Solid. intra Solid. p. m. 38. 81. et 84.*

Theſ. 36. In *arthritide* uero, *podagra*, et *chiragra*, gypſeae, cretaceae, arenoſae, tartareae et terreae particulae, aliaeque uiſcidae, poſtquam ad articulorum anguſtias peruenerunt, ibi haerent, atque una ſuper aliam immediate incumbentes et quieſcentes, iſtas efficiunt nodoſas concretiones, quas in eiusmodi aegrotis ſaepe offendimus. Sed magis ſaepe excitatur podagra ab exſiccato glutine intermedio glandularum, intra articulos, quos cl. CLOPTON HAWERS detexit, ut uidemus fieri in laborioſa plebe, et exercitibus pedeſtribus. Conf. HIPPOCRATES, *de Int. Affect. n. 56. Epid. lib. 4. n. 26. de Dieb. Iudic. n. 6.* Morbus hic communiſſimus eſt, ortumque trahit, uel ex uictu opiparo, uel uino generoſo, copioſius et frequentius hauſto, uenere praematura, nimis culta, corpore magno, craſſo, pleno, acidorum uſu nimio, uenatu, equitatione in frigore, curis animi, haereditate, contagio, aliisue cauſis. Res tamen, ſi ab his cauſis fiat, recidit ad unam cauſam, ad debilitatem nempe et flacciditatem primarum uiarum; unde uitium fit primae concoctionis, quod corrigi amplius nequit, hinc malus inde ſanguis, malus ſuccus neruoſus. Atque hinc illae lacrimae, cum nerueum liquidum acrimonia et tenacitate peccans, facilime in partibus neruorum durioribus haereat, hoc eſt, tendinibus. Ideoque GALENVS, *Comment. 38. in 6. Aphor. Hipp.* tempeſtate Hippocratis paucos fuiſſe podagricos,

cos, narrat, propter uitam moderatam, ſuo uero, usque adeo auctis eduliis, ut nihil eis addi poſſe uideretur, infinitum eſſe eorundem numerum. Quid ergo hoc tempore dicendum? Sed raro hic morbus curatur, propter generationis uarietatem, adſtruente hoc ipſum TRALLIANO, *l. 11. c. 1.*

Theſ. 37. Praeterea, cum ille, tam multis longe expetitus uuarum cruor, acredine magna praeditus ſit, contingere etiam poterit, acria iſta uini ſpicula, non tantum pro ratione ſui tartari, anguſtiis traiiciendis inhaerere, et adnaſci, ſed ipſos etiam globulos ſanguineos transfigere, ſerumque coagulare, ut in heluonibus pallidis, et uiſcida ac craſſa exſpuentibus, uidere contingit. Qui demum grumi ſanguinis, et mucagines ſeroſae, ad anguſta articulorum ſpatia, ope circulantium liquidorum, delatae, ibi concreſcunt, eodem modo, ac alia uiſcida et mucilaginoſa, quae *Pelleam* ſeri *Cruſtam*, cl. MALPIGHIVS, *de Polyp.* adpellauit, intime ſibi combinata, uel in narium polypos faceſſere, uel ſcabris uentriculorum cordis lateralibus adnata, palpitationes et moleſtias, ex liquidis circumferendis, non perfecte exoneratis, creare, aut magis magisque in dies aucta, canales maiores omnino obthurare, minoresque, praeſertim cerebri, comprimere, aut per uehementiorem ſanguinis motum, ob animi affectum, uel corporis exercitia, uenerisque amplexus, ut HENRICVS *ab* HEER, *Obſ. 9.* habet, aut ad-

ſumta copioſe calida, excitatum, in fruſtula, praecipue ſi haec materia fracida fuerit, diſrupta, uaſa minora infarcire, ſicque apoplexiam cauſari; uel in pulmonibus haerentia, pleuritides, peripneumonias, et ſuffocationes conciliare, ut putauit MALPIGHIVS, aut in uaſis lymphaticis detenta, ipſum illum intercutem morbum ſeu hydropem, producere, animaduertimus. Videatur WEPFFERVS, *de Apoplex. p. m. 197.* et BELLINVS, *de Morb. Cap. de Apopl. p. 437. et ſequ.*

Theſ. 38. Namque, ubi in corpore alicubi haerere incipit corpuſculum aliquod, neque ab impellente liquido, neque a motu uaſorum oſcillatorio diſſolubile, ei cruſta mox et lamina calculoſa quaſi per ſtratificationem ſeſe adproximat. In ueſicae uero calculo, iſtas coalitiones, per orbes oppoſitos, caepae ad inſtar foliatos, factas eſſe, conſpicimus, diuerſi ſane coloris, in intimis deliteſcente re quadam dura, uel, ut ſemper, nucleo, ſeu ſemine calculi rubro, quod nihil niſi grumulus quidam ſanguinis eſt, poſt abſceſſum renis ſuppuratum, remanens, uel obſtructae cuiusdam ibi glandulae exiliſſimae ſimilitudo et rudimentum. *f*) Primus hoc obſeruauit, ni fallor,

f) Videtur auctor noſter Fernelii Nuckiique aſſecla eſſe, omnis in ueſica urinaria calculi originem, a nucleo in renibus generato, deriuantium, ita ut, huiusmodi principia ex renibus per ureteres ad ueſicam deriuata, in medio uri-

lor, BONTIVS, *de Med. Indor. lib. 1. de Lap. Porcin.* in Lapide Bezoardico.

nae ſedimento, iisdem, ex quibus coagmentata ſunt, particulis, perpetuo appoſitis, nouum incrementum capiant; conf. FERNELIVS, *lib. 6. Patholog. cap. 12.* et NVCKIVS, *Adenographia Curioſa p. 54.* Sed, uti nullum eſt dubium, frequenter in renibus, eroſione, inflammatione, aut alio modo laeſis, fundamenta calculorum poni, eaque deinceps ad ueſicam amandari, amandata ſimilis acceſſu ſubſtantiae augeri, ita per ſe quoque clarum certumque eſt, quod perſaepe, renibus bene conſtitutis, nulloque uitio affectis, calculi, ſine nucleis renalibus, in ueſica urinaria, iam ex ſalis terraeque, iam ex uiſcidi aliusque ſimilis materiae combinatione, generentur. Quod eo magis fide atque applauſu dignum, quo maior in calculis, e ueſica excretis partim, partim per ſectionem extractis, differentia obſeruatur; ita enim alii multis lamellis ſibimet inuicem iunctis, compoſiti, in ſubſtantia interiori nucleum poſſident, alii uero meris conſtantes arenulis, omni nucleo corticeque deſtituuntur; alii admodum ſolidi ſunt, alii maxime friabiles. Quid pluribus opus? ea certe ratione, uti extra corpus, in matula, ex lotii ſedimento, uel in omnibus corporis partibus, ex ſalium terraeque combinatione, calculi generati fuerunt, ſic idem peraeque, ſine nucleis, ex renibus ad ueſicam deductis, fieri poteſt. Calculos uero in cerebro, glandula pine-

Theſ. 39. Non tamen credendum eſt, renum calculos, qui uel per urethram exeunt, aut exſcindi ſolent, ad id magnitudinis in renibus perueniſſe, ſed illis adhuc minores demiſſos, in ueſica ſenſim mole augeri ex noua congeſtione circa prima ſtamina, ex pari partium ſecedentium implicatione, et quiete. Verum, ſaepiſſime in iſto maximo nephritidis dolore nullus adeſt calculus, ſed tantum renum inflammatio. g) Sic HIPPOCRATES, *de Intern. Affect. n. 15.*

ali, oculis, ſub lingua, in pulmonibus, pericardio, corde, hepate, liene, pancreate, uentriculo, inteſtinis, utero, et omnibus fere corporis humani partibus, generatos, ac repertos fuiſſe, *A. N. C. Cent. 1. p. 208. in append. et Dec. 2. ao. 1. obſ. 33. item. Dec. 3. ao. 7. obſ. 75. et ao 9. obſ. 89.* BLEGNY, *Zodiaco Gallico, Ao. 1688. menſ. Iunij, obſ. 1.* ZACVTVS LVSITANVS, *Prax. Admir. lib. 1. obſ. 141.* PLATERVS, *obſ. lib. 3. p. 841.* TIMAEVS *a* GVLDENKLEE, *lib. 1. caſ. 35.* BORELLVS, *Cent. 2. obſ. 17.* HAGENDORNIVS, *Cent. 2. hiſt. 38.* SALMVTHVS, *Cent. 1. obſ. 7.* BARTHOLINVS, *Cent. 1. hiſt. 33.* TVLPIVS, *Obſ. lib. 1. cap. 59.* RHODIVS, *Cent. 2. obſ. 3.* HILDANVS, *Cent. 6. obſ. 57.* ut innumeros alios ſilentio tranſeam, teſtantur.

g) Nephritis, omne renum incomodum, omnem, qui has affligit pares, dolorem, in ſpecie inflammationem, notat; nam, uti pleuritis, lobi unius pulmonum, uel membranae pleurae, inflammationem, aut hepatitis, hepatis, ſplenitis, lienis

n. 15. et 16. et a pituita obſtrui renes, et a laboribus rumpi uenas, dixit. Hinc nullus unquam in rene calculus, niſi antea ibi fuit inflammatio. Sic Ao. 1708. menſe Februario, curandam habui annoſam uirginem, G. S. Stockholmiae, quam Medici aliquot, medicaſtrae et propin-

inflammationem, ita peraeque nephritis, renum ſignificabat inflammationem. Hodie uero cauſa cum effectu confunditur, et per nephritidem, dolor renum, a calculo productus, intelligitur, licet perſaepe culpa in calculos inique coniiciatur, quibus omnino deficientibus, renes, uel ex ſanguinis uiſciditate aut acrimonia, uel abundantia, uel flatibus, uel uicinarum uitio partium, afficiuntur, affecti ad calculorum generationem diſponuntur; unde inflammationi renum, male praeſertim curatae, calculus renum ſuccedere ſolet. Non uero, uti auctor noſter, uerbis mox ſequentibus, perhibet, cum ueritatis et experientiae ſuffragio dici poteſt, quod nullus unquam in rene calculus, niſi ante ibi fuerit inflammatio. Contrarium quippe, non calculis ſaltem, in uniuerſi patibus corporis repertis, ſed innumeris aegrotorum, renum calculo laborantium hiſtoriis demonſtratur, qui, generato ſucceſſiue calculo, eoque ſenſim aucto, nulla prius renum inflammatione laborarunt, donec tandem, ex calculi incremento, preſſis, irritatisque renum uaſis, dolor, inflammatio, exulceratio, et alia mala propullulauerint.

qui clamabant laborare uero calculo renali, ex dolore iſto ſummo lancinatorio in dorſo, de quo querebatur noctes diesque. Ego contradicebam, ibi ſolummodo eſſe inflammationem, in ſuppuratum tendentem, aſſerens. Ideoque, multis ſtupentibus, uenam ſecari iuſſi, et antiphlogiſtica uaria interne atque externe adhibui, per quae, benedicente Deo, ſanitati fuit reſtituta, ac per urinas craſſas, albas, coctas, iudicata. Nulla tamen re melius ſe habere dixit, quam cum hydromel biberet. Conf. CAMERARIVS, *Memorab. Med. Cent. 8. partic. 78.*

Theſ. 40. Hoc in adſerto de generatione calculi, mihi contrariam fouet opinionem HELMONTIVS, *de Lithiaſ. cap. 2. 3. 4. et 5.* cauſam calculi, ſeu, ut ipſe cum PARACELSO nominat, *Duelech*, non mucaginem quandam, eius potius effectum, partemque alimenti ueſicarii indigeſtam, agnoſcens, ſed urinam ipſam ſabulumque in ea contentum, quod lateribus matulae adhaerere ſolet, hincque a podagra cretacea calculum differre; ita quidem, ut, ſi *lotium cum ſuo ſalis ſpiritu habeat ſpiritum terrae uolatilis, neceſſario ex iis generetur Duelech*, non ſecus ac ſpiritus urinae cum aqua uitae dephlegmata in offam albam coagulatur. Terra autem iſta uolatilis procreari debeat a ſemine ac fermento fracido et putreſcente; Spiritus uero urinae ſuſcitet occultum adhuc in potentia uini ſpiritum, qui cum terreo

urinae

urinae ſpiritu concurrens, ſit coagulator. Renibus inſuper ineſſe *Fermentum Stercoreum* autumat, quo deuio, lotium tendat in ultimatam ſui putredinem, terraque illa uolatilis efficiatur, atque ita lotii fermentum corruptiuum, ſit excitatiuum ſeminis calculoſi. Quae certe mihi ualde ſunt obſcura, et Oedipo digna.

CAPVT NONVM.

Perquirit Venenorum, Obſtructionem facientium, uaria genera, uaria principia, uariamque ob oculos ponit illorum nocendi uim et facultatem.

Theſ. I. Diſtinguere placuit Venena in Obſtruentia, et Obſtructionem facientia, cum illa ſemper aliquid materiale ſecum habeant, haec uero non ſemper, ſed alio adparatu, ad unum eundemque effectum producendum, concurrant. Maxima tamen et praecipua horum pars materiem quoque infundit, quamuis a ſummis Philoſophis, ueteribus et recentioribus, aliter ſit putatum. Atque talia uenena eiusdem generis ſunt, cum illis, quando peſtis ab aere tenui, graui, frigido, calido, uel humido, oritur, ut ſupra ſuo loco fuit dictum. Quod autem hic ulteriori examini res eadem ſubiiciatur, facit elegantia ar-

 gu-

gumenti, antea, ut puto, non ſatis, et prout debui, examinati.

Theſ. 2. Ponam primo loco *Frigus*, peſſimum in hac claſſe uenenum, de cuius natura tam uariae ſunt auctorum opiniones, in eo quidem omnino conſentientium, materiale nullum frigori ineſſe, ſed omnes eius effectus, per ſolam partium quietem, fieri, ſicuti calorem, ex earundem motu, prout RENATVS *des* CARTES, PICARDVS, Philoſophi ſummi, putant, atque huic opinioni praecipuum fundamentum iecerunt, in principiis Philoſophiae, quam ſinguli fere nunc profitentur. Sed mihi ſaltem adparet, quietem partium, in hoc caſu, non totum abſoluere negotium. Cogitandum ergo mihi eſt, particulas frigus componentes, ſeu materiale frigoris, eſſe lanceolatas et acres; quae, dum per alia corpora penetrant, illa inſtar clauorum alligant, et cum illis demum quieſcunt, donec fuerint ab alio expulſae, Ammoniaco forte non abſimiles ſali, qui ſalium omnium, quantum nouimus, frigidiſſimus, ſi in ſubtilem teritur pollinem, et aqua ſoluitur, quaeuis ingeſta in frigore detinet, ad conglaciationem quam proxime accedente.

Theſ. 3. Hoc adſertum demonſtrant experimenta ſequentia: ſi ſumſeris niuem uel glaciem, et nitrum anatica proportione, uaſique uitreo uel terreo impoſueris, atque illud uaſculum alii uaſi aqua repleto immiſeris, deinde per feſtucam moueris materiam, et contriueris bene, particulae

ticulae frigoris per uitri poros expulſae, cruſtam glacialem lateribus uaſculi adponent, ex aqua in uaſe exteriori contenta, etiam ad ipſum foci calorem ſolisque. Porro, ſi ſumitur mercurii ſublimati et ſalis Ammoniaci pars anatica, et aceti deſtillati ad partem quartam, mixta haec euadent frigidiſſima. Sic, quando peregrinantes uina uel cereuiſias conſeruare cupiunt, uaſa et doliola aliis includunt uaſis, et per omnia deinde latera, nitrum uel glaciem circumponunt, et ſic frigidiſſima habent, ut fit in Italia, et alibi. Et poma, uel oua congelata, ſi in frigidam immittantur, frigoris particulae e pomis tranſeunt in aquam, et cruſtam glacialem exterius in ouis pomisque efficiunt, notiſſimo mulierculis experimento, recipiuntque bonitatem priſtinam, quam in aqua calenti, aut ad ignem omnino deperderent, et putreſcerent.

Theſ. 4. Hae particulae frigoris, ſeu tot lanceolae, ſi partem aliquam corporis confertim penetrauerint hiemali tempore, eam reddunt inſenſilem; ſed, ſi calor maior ſtatim ſuperuenerit, incipiunt iſtae acicolae moueri et rotari, ſenſumque doloris acutiſſimi excitare. Quae exeſio, ſi intenſior fuerit, pars affecta primo rubeſcit, dein liueſcit, in puſtulas exſurgit, et gangraeneſcit, hinc tumet, nigreſcit, frigeſcit, et ſphaceleſcit. Sed ruſtici Noſtrates, hoc malum quouis fere anno experientes, pedem frigore laeſum repente in frigidam immittunt, uel niuem, prout Iacobo, Scotiae, poſtea totius Britanniae Regi, exani-

animato per frigus indice digito ad littus Norwegiae, ex praecepto incolarum, nix iam ſeſe reſolutura ſanitatem et digiti ſenſum reſtituit, quemadmodum BARCLAIVS refert, *Satyr. part. 4. ſ. Icon. Animor. cap. 8.* Et, ſi maximis uiris componere in exempli ſimilitudine minimum me audeam, mihi quoque aliquando contigit in calcaneo, dum adhuc ſcholaris puer cogendis ſtipendiis per rura diuagarer. Obſeruaturque tum idem in extremis loci adfecti, quod in pomo conſpeximus. *b*) Vnde Latini ſermonis ſcriptores non male dixerunt, partes *frigore aduri.*

Theſ. 5. Confirmatur porro haec frigoris explicandi mechanica exinde, quod caro recens, in aere ſuſpenſa, et denſo frigore rigefacta, ſi deinceps in olla coquitur, lanceolae frigoris ei inhaerentes, illam in pultem diſſecant ac reſol-

b) In tali rerum ſtatu etiam uenae ſectionem ualde proficuam deprehendit BORELLVS, *Cent. 1. obſ. 84.* Eodem autem loco, idem, alia hiſtoria, perniciofum effectum fimi calentis, in frigore congelatis, ob oculos ponit, referens, quod famulus ciuis caſtrenſis, frigore laeſus, et fimo, calorem reuocandi ergo, mandatus, prolatis obſcoenis quibusdam uerbis, irae indicibus, mox animam exhalarit. Adde his ea, quae idem *Cent. 3. obſ. 32.* de frictione, fragis perficienda, uerno tempore, ſcopo congelationes et alia frigoris incommoda praecauendi, affert.

ſoluunt; ſicuti et fit, dum caro, uel poma, ſic frigore conſtricta, tam diu in gelido coelo permittuntur, donec auſtrinus aer calidior cultellos frigoris in motum ualidum perduxerit. Et experiri quiuis incredulus uel mecum poteſt, in mea patria, per planitiem lacuſtrem, aut campeſtrem, aerem borealem, tanquam tot ſpicula, aut aciculas, tempore hiemali, faciem et quasuis partes nudiores inſigniter ferire, pungere, et non raro diſſcindere, atque adurere: ſicuti et Noſtrates hiberni frigoris uehementiam expiicare ſolent per quaſi cultellos faciem incidentes.

Theſ. 6. Eſſe autem ſalia quaedam nitroſa *i*) et Ammoniacalia, quae materiale frigoris componant, nullus iam poſt experimenta ſuperius allata dubito. Conſtat enim, uentos, qui ex terris pinguioribus et nitroſis oriuntur, frigidiores eſſe, quam qui ex mari. Omnes tamen uenti,

i) Recordor, in horum contemplatione occupatus, fortuiti experimenti, quod auctoris ſententiae confirmandae maxime ſeruit; praeſcripſeram aegroto, hectica febre decumbenti puluerem nitroſum, aqua florum tiliae adhibendum; impoſuerat aegrotus aquam, uitro contentam, fornaci, a quo ſenſibilem calorem, uitri fundus contraxerat, qui tamen, iniecto puluere, mox euaneſcebat, et in frigus, admota manu percipiendum, mutabatur. De frigore, cauſa ſalutis, lege *A. N. C. Cent. 1. obſ. 139. p. 281. et Cent. 3. p. 244.*

uenti, non ſunt eiusdem efficaciae, nec aeque ſalium eiusmodi feraces. Illi enim, qui ex Septentrionali et Orientali plaga decurrunt, obſeruato ſemper terrarum ſitu, et marium, ut Boreas, Corus, Caecias, itemque Circius, ſalia eiusmodi ſecum ferunt, maxime uero omnium Boreas; *k*) praeſertim, ſi ex terris ueniunt, ſed

k) Salia, quae Boreas ſecum gerit, nitroſa, multis admodum ſalutaria eſſe, innumerorum ſub Zona boreali uiuentium longaeuitate abunde euictum eſt. Addo his, ut exemplum in promtu poſitum, rei robur addat, quae RHODIGINVS, *Antiqu. lect. lib.* 2. *cap.* 8. affert, ſcribens, quod Laeſſai et Mitelenes inſularum incolae, flantibus auſtris, quibusdam morbis obruantur, flante coro, tuſſi uexentur, flante borea, ab ea liberentur. conf. BRAVO, *Reſol. et Conſult. Med. Tom.* 1. *Part.* 1. *diſp.* 3. *Sect.* 2. *Reſol.* 4. §. 1. *p.* 94. Stupenda plane, ac neſcio, an fide digna, ſunt, quae ex AVENTINI *Hiſtoria Bauariae*, BORELLVS *Cent.* 1. *hiſt.* 5. *p.* 11. allegat, referens: a uento, e cauernis erumpente, quadraginta paſtores cum uaccis in lapides fuiſſe mutatos. Maiorem fidem merentur, quae habet VINCENTIVS *le* BLANC, *Vogag. chap.* 2. *part.* 3. indicans, quod in Peruano Americae regno ſit mons, *Peleaca* dictus, mirae altitudinis, cuius aer adeo frigidus et penetrans, ut maximam partem tranſeuntium, uomitu cruento, atque immanibus excitatis torminibus, necet; ubi tamen cadauerum cor-

ſed ex mari non item. Hinc ſalis petrae coctores in Italia nitrum colligunt, flante Borea, in Septentrionali murorum parte. Atque hanc ob cauſam lapides citius in boreali, quam alia parte ibi corrumpuntur. Ex Coro deſtillationes, in Mitilene, oppido, obſeruauit VITRVVIVS. Noſtris *Nord-Weſt* dicitur, et maximum frigus adportat, atque hinc oriunda mala. Belgicae quoque plagae ualde noxium obſeruaui, grauedines et tuſſes ſecum adportantem. Et Circius, quem Nord-Nord Weſt, nautae nominant, Gallicae orae tam exitialis, ut Auguſtus Imperator, referente SENECA, *Nat. quaeſt. lib. 5. cap. 17.* templum illi et uouerit, et fecerit. Hinc quoque a Turbine dictum putat GELLIVS, *Noct. Attic. lib. 2. c. 22.* Atque idem Circius uentus, et maximum frigus, atque ingentem procellam, portui Rewalienſi quotannis inſpirat, non ſine damno, uel ſine periculo nauium, ut Ao. 1709. expertus ſum, cum claſſis Riga rediens ibi anchoris tenebat-

---

pora integra, ac corruptionis expertia, Aegyptiacarum inſtar mumiarum, permanent. In Guinea pariter, Africae regione, uentum ex uulturno flantem, incolis *Harmatan* dictum, omnium uentorum frigidiſſimum, penetrantiſſimum, et perniciosiſſimum, pleuritidem, peripneumoniam, aliasque febres inflammatorias, et catarrhales malignas generantem, eſſe, DAMPIER, *Itiner. Tom. 2. Part. 3. p. 49.* teſtatur.

batur; quare et incolae illum uentum uulgo *Borgmeſtaren* adpellant. Dantur et uenti, qui certis anni momentis ſpirant, ut Eteſiae, ſeu Boreales in Graecia, de quibus ARISTOTELES ſcripſit, *lib. 2. Meteorolog. cap. 5.* et ex niuibus ſolutis deriuauit. Ad oram pariter Norwegiae maritimam, ex Maio in Septembrem, uentus flat ex Circio diurnus, quem incolae *Hafgull* uocant; ſicut et, quando niues Islandicae ſoluuntur, uentus ex Borea per dies caniculares ſpirat, incolis *Hombackiem* dictus.

Theſ. 7. Salia autem eiusmodi a ualidis uentis deportata, tempeſtate anni ad brumam inclinante, non ſolum facile aquas conglaciant quasuis, ſed etiam ſaepe rapidiſſima ſiſtunt flumina, aquam procurſuram inſtar ſebi coagulando, prout hoc nuperius Ao. 1708. in flumine Oſtrogothiae, Motala, clariſſimis argumentis euicit Medicus Noſtras Experientiſſ. et Nobiliſſ. MAGNVS GABRIEL BLOCK, peculiari de hac re patrio idiomate edito tractatu. Qui liber meo quidem iudicio meretur latinam in linguam transferri, quo ſic a pluribus legi poſſet, cum nulli prope ſint exteri, qui Suecicam callent, nec callere amant, putantes falſo, nihil in ea eruditi editum eſſe, uel edi poſſe, cum contrarium demonſtrari queat. Eſſetque fortaſſis res exteris non parui momenti, ſi uellent cogitare, ingens hic deliteſcere antiquitatis penu, qua literas ueteres, qua ueterem Idololatriam, plurimarumque gentium originem, quae ſine linguae

linguae ipſius optima cognitione diſci nequeunt. Nec deſunt hic ingenia, Phoebo Martique aeque grata, ſi culturam acceperint, horrido licet ſub axe, qui, uti niues hiberna tempeſtate ſpargit, ita flores uarios aeſtiuis ſolibus ſerit, et Aloe Americana, quod rarum eſt, in hortis Illuſtriſſimi Comitis Nicolai Gyldenſtolpe Ao. 1709. et 1710. in praedio *Noor*, ſex milliaribus Stockholmia ſito, floruit. Alia quoque Aloe, Ao. 1715. in praedio Regio, *Vlricsdahl*, florere uiſa eſt. Sed tenuioris coeli feliciorisque ſoli homines fruſtra cogitabunt, ſicut olim IVVENALIS cecinit, *Sat.10.*

Summos poſſe uiros, et magna exempla daturos
Veruecum in patria, craſſoque ſub aere naſci.

Reuera uero inuenient, qui quaerent, ueram Platonis in *Critia* Atlanticam terram, hominesque deſcriptos ibi adhuc reperiri, iisdem coloribus et animis etiamnum ſignatos, non ſolum qua terrae genium, orichalci felicitatem, montiumque Phelleorum, quos adhuc *Fiellen* uocamus, ſiluas, fluuiosque, ſed hominum quoque ingenium et mores in nepotibus relictos. Prout noſtrae hoc ipſum Patriae firmiſſimis argumentis uindicauit uir ſupra inuidiam doctus, et in omni Antiquitate eruditus, OLAVS RVDBECK, Pater, Medicinae Doctor et Profeſſor, in ſuae Atlantices libris ſane aureis ac eruditiſſimis. Sed e diuerticulo in uiam.

Theſ. 8. Huc pertinent *pauimenta lapidea*, damnoſiſſimi inuenti, quae Hollandi, periculo ſuo

edocti, iam coeperunt reſpuere. Videſis HIPPOCTATEM, *Epidem. lib. 4. n. 23.* de ſene in lapideis ueſtibulis. Et plurimas noui foeminas, quibus ex hac cauſa ſuppreſſi ſunt menſes. Multiplici porro conſtat experientia, ſcorbutum, pallores, tuſſes, ſurditatem et colicam intenſam, (quod mihi ſaepe contigit,) hinc excitari. Sic B. F. Baronis filia, puella ſeptennis, pallida, et ſubinde tuſſiens, multorum effato dicta fuit habere lumbricos, aliorum, laborare pulmonum uitio, quod quidem uerum: ſed, ſublato pauimento lapideo, per uſum martis et corticis Peruuiani conualuit Ao. 1708. menſe Iulio.

Theſ. 9. Dum enim ex frigore pauimentorum conſtringuntur uaſa pedum tibiarumque, ſanguisque ſic non libere tranſire poteſt ex arteriis in uenas, per ſuperiora loca liberalius cogitur deferri, et quidem cum expanſione uaſorum, unde circa uitalia excitat tuſſes ſiccas et aſthmata, circa uentris regionem, colicam. Conf. BAGLIVIVS, *Prax. Med. lib. 1. cap. 9. de Colic. et de Fibr. Motric. lib. 1. cap. 7.* ubi habet exemplum ſculptoris, ex marmoris frigore colicam grauem paſſi. Conf. *c. 9. et 10.* Sequi et inde ſolet, quod humores per inferiora fluxuri, ex frigore lapidis coagulentur, et redigantur in quandam immeabilem pituitam. Hinc et facile haerent per loca anguſtiora, maxime uero in glandulis. Inde fiunt grauedines, et ex pituita in pulmones depluente, tuſſes. Cum uero haec pituita maxime tempore ſomni in pulmonem il-

labitur,

labitur, dum homo ſupinus dormit, hinc tuſſes iſtae fiunt periodicae et matutinae, durantque tam diu, donec illapſa per noctem in pulmones materia tuſſi expurgetur. Belgae, quando ab aere oritur frigido, *Sinkingen* uocant. Sed ſubit animum explicatio huius phaenomeni, quam Profeſſor olim Publicus dedit ex cathedra, frigus ſcilicet ſanguinem pedum coagulare, coagulatum aceſcere, acidum, ſanguinem cogere. Subtilitas, cathedrae accommoda, non lectis decumbentium!

Theſ. 10. At quaeri poteſt, quam ob rationem lapidea pauimenta ſint adeo noxia? Dico, ideo eſſe pernicioſa, quod lapides omnes ſalem quendam habeant frigidum, quem exhalant continuo. Hinc tempore hiemali in fundo aquarum lapides glaciantur. Omnes tamen lapides non pari ſalium copia abundant, hinc omnes lapides non ſunt aeque frigidi, quod bene notandum. Sed Marmora Paria, Italica, Gothlandica et Oelandica noſtra, inſigniter frigent, adeoque magis ad ornamentum, quam ad utilitatem domorum adhibentur. In cubiculis ſaltem quam maxime uitanda ſunt, ne mala iam recenſita inde exſurgant.

Theſ. 11. Ergo Frigus minus uehemens, quamuis non ſic inducat partium gangraenam, easque, ut tempore hiemali fit, adurat, pulmonibus tamen cum aere inſpirando exceptum, peripneumoniam facit, ſanguinisque per ea loca ſtagnationem; unde fit ſaepe uomica, ſeu ulcus

 pul-

pulmonare, quod excipit phtiſis, et pulmonis empyema; hinc atrophia, et purulentia iſta per actionem cordis et uentilationem pulmonis in acre alkalinum uehemens commutata, et in partes ſolidas graſſata, diarrhoea tandem ſuperueniens colliquatiua ultimam ſcenam humanae fabulae in deliquio abſoluit. Prorſus ut optime et ueriſſime pronunciauit NASO, de pulmone uulnerato, *lib. 1. de Pont. Eleg. 4.*

Cernis ut e molli ſanguis pulmone remiſſus,
Ad Stygias certo limite ducit aquas.

Theſ. 12. Sed intellige diarrhoam ſymptomaticam, poſt pedum, tibiarum, et uentris tumorem, nullo medicamine ſiſtendam, non criticam, quae in principio morborum pulmonalium ſalutaris fuit. Hinc HIPPOCRATES, *de Morb. lib. 1. n. 14.* aluus turbata in pleuritico, aut peripneumoniaco, aut ſuppurato, malum portendit. Idem *lib. 2. de Morb. n. 50.* Idem ex tabe pulmonari, *n. 53.* item ex hydrope pulmonis, *n. 66.* et *in Coac. 669.* diarrhoea uitam finiens, cum hydrope pedum, *Praenot. n. 8.* et *in Coacis d. l.* Sic ex morbo diutinus alui fluxus, malum. *Sect. 1. Aphoriſm. 84.* et *in Coac.* In ſumma, *omnes, et qui longis morbis aegrotabant, et qui ex acutis, maxime ex his, quae per aluum ſecedebant, mortui ſunt. Omnes enim aluus ſuſtulit,* ut idem habet, *Epidem. lib. 3. Sect. 3.* Cogitandum namque eſt in hoc negotio, totum ſanguinem eſſe acerrimum, alkalinum,

num, purulentum, et uiam ſibi per inteſtina corrodendo praeparantem. Sed in initio talium morborum, reclamantibus licet plurimis, diarrhoea ſemper bona et critica eſt, ut HIPPOCRATES habet exemplum in caupone, *Epidem. lib. 7. n. 11. et in Coac. Praenot. n. 1. p. 666.* et ego tria inſignia huius rei exempla uidi, in pleuritide per celerem diarrhoeam curata.

Theſ. 13. Bene HIPPOCRATES, *Epidem. lib. 6. Sect. 3. et Sect. 5. Aphorism. 24.* dicit, frigidum ualde, uenas rumpere, et tuſſim mouere, ſicut niuem glaciemque. Et, ex immenſo frigore, Ao. 1708. quot tuſſes, quot peripneumoniae, quot phtiſes pulmonares? Sane in nautis ſub autumnum eodem anno ſupra centum uidi, inde phtiſi laborantes. Quot quoque pleuritides? ſicut NASO, ſuae tempore relegationis, homo Italico aeri adſuetus, ex Ponti frigore contraxit pleureſin, cui quoque ſymbolum addidit moeror. Ita autem canit, *Triſt. lib. 5. Eleg. 13.*

Perque dies multos lateris cruciatibus uror.
Sed quod non modico tempore laeſit hiems?

Et ſane, ſi unquam frigus erat per totam Europam, hoc certe anno erat, praeſertim uero in noſtra Suecia, adeo, ut hinc multae arbores, animantia, et homines, frigoris *l*) uehementia perierint.

l) Huius frigoris hiſtoriam, incommoda praeſertim hinc enata, deſcripta leguntur, *A. N. C. Cent. 1.*

Theſ. 14. Quin et ex immenſa illa frigoris ui, totam penitus Europam adurente, arbores ipſas hiſcere uidi, et gangraena affici, ipſamque abietis, frigoris patientiſſimae arboris, barbam eſſe corruptam, in liueſcentem aut rubellum colorem, ut obſeruaui, Ao. 1709. menſe Martio, cum Coronas peterem Carolinas. Pariter in quibusdam Galliae Narbonenſis ac Italiae locis, praecipue uero regno Neapolitano, et Romae territorio, uentus e montibus ſpirat frigidus, quem *Serenas* uocant, peripneumoniam et pleuritidem inducens, ac reliquos acutos morbos. Idem fit ad Alpes noſtros Wermelandicos, Dalakarlicos, Iemtios et Lapponicos, inſuetis. Neque frigidior in noſtro Septentrione uentus ſpirat, quam qui ex hiſce deſcendit montibus, Corus nempe, Noſtris *Nord-Weſt*.

Theſ.

p. 15. *et* 41. 74. 78. *et ſequ. in append.* Tantae ſane tum frigoris erant uires, ut merito eidem accommodare queamus ea, quae de intenſiſſimi effectibus frigoris, apud Scythas graſſantis, dixit VIRGILIVS, *lib.* 3. *Georg.* concreſcunt ſubitae currente in flumine cruſtae, undaque iam tergo ferratos ſuſtinet orbes: puppibus illa prius patulis, nunc hoſpita plauſtris. Aeraque diſſiliunt uulgo, ueſtesque rigeſcunt indutae, caeduntque ſecuribus humida uina, et totae ſolidam in glaciem uertere lacunae, ſtiriaque impexis induruit horrida barbis.

Theſ. 15. Simili modo ſub quamcunque frigidam anni tempeſtatem catarrhi oboriuntur, et deſtillationes, unde caput dolet, naſus obſtruitur, et dolet, uuula inflammatur, et dolet, palatum, glandulae quoque interdum amygdalae et ſublinguales. *m*) Adeſt ſaepe horror et frigus,

m) Morborum frigori tribuendorum catalogum ſuppeditat HIPPOCRATES, τοῦ δὲ χειμῶνος, ſcribens, *Sect. 3. aphor. 23.* πλευρῖτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, κόρυζαι, βράγχοι, βῆχες, πόνοι στηθέων, καὶ πλευρέων, καὶ ὀσφύος, καὶ κεφαλαλγίαι, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι. Hoc omnino certum, quod frigus hoſce morbos, inſenſibilem transſpirationem ſufflaminando, ſolida contrahendo, ſuccos condenſando, excitet; quod uero frigus, prae aliis partibus, maxime afficiat pulmones, ab huius uiſceris peculiari ſitu, conſtitutione, et functione, repetendum eſt. Perpetuo quippe pulmones aer inſpiratione ſubiens atque ex iisdem iterum egrediens, uarias pro ſua indole in iisdem producit mutationes, quae eo grauiores et perniencioſiores, quo laxior huius uiſceris eſt compages, et quo minor in eodem uiget reſiſtentia. Ad quod ſuum ſymbolum contribuit ipſe ſitus, nam liberum hoc uiſcus eſt et ſolutum, ab aſpera pendulum arteria, mobile, nullisque ſtabilitum fulcris; unde aeris frigidi pulmonibus recepti impetus et uis tanta, ut, retento poris occluſis perſpirabili, repentina

gus, et poſtmodum calor. Et crediderim ego, nautas *Scorbuto* non tam ideo laborare, quod deſides ſint, hoc enim raro ipſis eſſe permittitur, nec tam ideo, quod uiſcidis alimentis et ſalſamentis ueſcantur, ſed quod frigido et ſalſo aeri exponantur. Hinc bene canit MARO, *lib. 1. Aeneid. Troas ſale tabentes artus in littore poſuiſſe.* Ita autem habet:

- - magno telluris amore,
Egreſſi optata potiuntur Troes arena,
Et ſale tabentes artus in littore ponunt.

Et ſicut mutationes tempeſtatum multum faciunt in morbis tum faciundis, tum abigendis, uel exaltandis, *n*) ita animos quoque ex corporis

uaſorum pulmonalium obſtructio, inflammatio ac ſuffocatio oriatur.

n) Monet hinc HIPPOCRATES, ut, in morbis chronicis, aeris mutatio ſuſcipiatur, γῆν μεταμείβειν ſunt illius uerba, σύμφορον, ἐπὶ τοῖσι μακροῖσι νȣσήμασιν. conf. SPONIVS, *lib. cit. Sect. 4. aphor. 82. p. 278.* Ita, ſi uera ſunt, quae notauit PARAEVS, *lib. 10. cap. 8.* uulnera capitis difficulter ſanantur Bononiae, pedum contra uulnera facilius Lutetiae; licet hoc peraeque ubiuis gentium et locorum eadem ratione euenire crediderim. De Britannis uero notum eſt, quod catarrhi, eosdem frequenter affligentes, omnium optime peregrinationis miniſterio tollantur. Eandem ob cauſam aegrotos catarrhis affectos ad loca ſalubriora Italiae cum fructu ablegatos fuiſ-

ris diſpoſitione dependentes mutant uel in triſtes, uel laetos, ſecundum illa MARONIS, *lib. 1. Georg.*

Vertuntur ſpecies animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila uentus agebat,
Concipiunt. - - - -

Theſ. 16. Haec erant nocumenta ex aere frigido. Sed non leuius malum exſurgit, dum homo ardentiſſimis caloribus exuritur, ex Frigidae potu. Tum enim hauſtus gelidae aquae ſaepe inſtar ueneni praeſentiſſimi eſt repertus, uel et in eandem corporis calentis repentina immiſſio. Ad minimum inde fit pleuritis ſatis ſaeua. Et uel unicum Magni illius Alexandri

ſe, commemorat SCHNEIDERVS, *lib. 5. de Catarrh. cap. 1. p. 29.* Et, SYMMACHO, *lib. 6. Epiſt. 18.* ac CASSIODORO, *lib. 11. cap. 10.* teſtibus, Neapoli hydropicos ad agrum Puteolanum transferunt, ſicut Galeni temporibus phtiſicos, ad montem Tabias, inter Surrentum et Neapolim ſitum, aeris bonitate et herbarum odoriferarum copia eximium, menſibus aeſtiuis, lacte curandos, mittebant. Eadem conſuetudo adhuc hodie a multis ad thermas acidulasque abeuntibus approbatur, ubi tamen ſaepius aeris mutatio, una cum mentis quiete, corporisque motu, plus emolumenti praeſtat, quam acidularum thermarumque uſus.

exemplum, ut CVRTIVS, *lib. 3. c. 5. et 6 et* IVSTINVS, *lib. 11.* narrant, abunde hoc docet. Eiusdem quoque milites in Bactriana regione, ipſa Solis luce, omni abſorpto naturali humore, uiſceribusque penitus aduſtis, ex Oxo amne intemperantius haurientes, intercluſo ſpiritu, extincti ſunt, multoque maior horum numerus fuit, quam ullo Alexander amiſerat proelio, memorante CVRTIO, *lib. 6. cap. 5.* Ex multis uero exempla collegit MARCELLVS DONATVS, *de Med. Hiſt. Mirab. lib. 4. cap. 6.* Optime ergo HIPPOCRATES LATINVS, *lib. 1. cap. 3.* dicit: *ex labore ſudanti frigidae potio pernicioſiſſima eſt.*

Theſ. 17. Sic Tripudia, uel quaecunque uehementiora exercitia, per aliquot horas deducta, et pocula uini frigidi uel aqua intercalata, hos morbos iam dictos adferunt, praeſertim ſi frigori ſeſe exponunt aeſtuantes. Pleuritide enim primo corripiuntur, adſunt uigiliae iuges, ſitis, febris ardens, delirium ſaepe, rapta in cerebrum ex pulmone materia, uel eadem in inteſtina depoſita, deiectiones merae, ſincerae, bilioſae, foetidae, frequentes, herbacei coloris, ſpumoſae; lingua ſcabra, interdum petechiae, pulſus intermittens, tandem lethargus mortem adferens. Plurimi ſane homines hoc mortis genere obierunt. Referam ſaltem exemplum unum celſiſſimi Britannorum Principis, Henrici Friderici, Iacobi VI. filii, qui poſtquam pilae

luſu

luſu multum incaluiſſet, incidit in febrim, qua mox periit. Et SCALIGER, *Exercit.33. §. 2.* exemplum habet meſſoris, qui ex laboribus incaleſcens, et ſitibundus, poſt auide hauſtam frigidam, mox interiit. Nec minori caret uitae periculo, in balnea calida pleno ruere ſtomacho. Quot enim inde fiunt pleuritides, capitis dolores intenſiſſimi, et cetera id genus mala? Quem morem quoque IVVENALIS perſtrinxit, *Satyr. 1.*

- - Quanta eſt gula, quae ſibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum?
Poena tamen praeſens, cum tu deponis amictus
Turgidus, et crudum pauonem in balnea portas:
Hinc ſubitae mortes, atque inteſtata ſenectus.

Theſ. 18. Ad Venena obſtructionem facientia absque alio materiali, merito refertur *Triſtitia*, *Dolor*, et *Deſiderium*. Pallent iſti homines, totusque ſanguis fit pituita immeabilis, obſtructiones uariae menſium, haemorrhoidum, deſtillationes, grauedines, capitis dolores, atrophia, conſtipatio alui, debilitas. Sed inter immaterialia uenena huius claſſis, et affectus, nullus certe pernicioſior eſt, quam quidem *Deſidia*, damnatiſſimum illud humani generis nocumentum, atque ultra Garamantas perpetuo exilio relegandum, tantum aeque nocens, ac quidem *Violentior Motus* in cogendis humoribus per corpora

fluxuris

fluxuris, et ſolidis debilitandis. Bene ergo VIRGILIVS, *lib. 4. Georg.* de Fuco, mel ab aliis collectum per ignauiam conſumente:

- - - Ille horridus alter
Deſidia, latamque trahens inglorius aluum.

Quae deſidia, ni fallor, multum ſane contribuit ad illam pinguedinem, qua Aegyptii Cayrenſes adeo ſunt infames, ut uiri mammas habeant, mulierum mammis maximis longe maiores, referente oculato teſte, PROSPERO ALPINO, *de Med. Aegypt. lib. 1. cap. 9.*

Theſ. 19. Sic uere adhuc naſcente paulo habitiores et craſſos occupare ſolet *Peripneumonia* notha, eos praeſertim, qui ſpiritu uini, et calidioribus potulentis ac cibis optimis delectantur. Vnde ſanguis magis magisque in pituitam uertitur. Calore uero oboriente anheloſi fiunt, erecta ceruice reſpirantes, aſthmatici, et tuſſiculoſi, cum febri et pulſu debili, frequenti, dolore capitis, anxietate inenarrabili, rubra facie. Pulſus autem debiliſſimus hic eſt, quia obſtructo per immeabilem pituitam pulmone, minus ſanguinis tranſit cor ſiniſtrum, ideoque minor impetus. Et, cum is, qui transmiſſus fuit, in caput regredi nequit, hinc facies rubra, uultuoſa. Dolor quoque ſub omoplatis et in tergo adeſſe ſolet, quia et maximus tergo lobus pulmonis incumbit, et maxima ſub omoplatis uaſa. Pulmo tunc grauiſſimus ſentitur, quia repletus eſt. Anxietas fit, quia ſanguis circa

cordis

cordis regionem ſtagnat. Talis autem morbus ex aliis quoque cauſis fit, exhalationibus nempe phlogiſticis, uenenatis, aliisque. Sed nunc tantum illam loquor, quae ex uiſcidis et obeſitate fit. Cadit uero haec aegritudo praecipue in literatos, et uitae ſedentariae homines; hinc FLACCVS bene, *lib. 1. Epiſt. 1.*

Ad ſummam, Sapiens uno minor eſt Ioue diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Praecipue ſanus, niſi cum pituita moleſta eſt.

Theſ. 20. Venenum uero *Hydropis*, ſaepe eſt uiſcidum, atque immeabilis pituita, quae obſtruit uel exiliſſimos in ſuperficie canales, ad glandulas euntes, ſicque *Anaſarcam* producit: uel obthurat uaſa lymphatica partium cauatarum, ut ſequens a tergo lympha, et motum cordis conſeruans, adeo diſtendat tenuiſſima uaſcula, ut rumpantur. Hinc hydrocephalus, pectoris hydrops, aſcites, ſeu utricularis, hernia aquoſa. Fit tamen hydrops ſaepe ab aliis cauſis. Hinc omnia, quae quocunque modo generant pituitam, ſiue alimenta uiſcida, ſiue deſidia, ſiue medicamenta acria et coagulantia, ut ſumma acida, ſumma alkalina, fermentati ſpiritus, frigus magnum, eiusmodi hydropes uel uniuerſales uel particulares producunt. Sed hydrops tympanites aliam aliquando agnoſcit cauſam, uel flatum inteſtina diſtendentem, uel, quod plurimum, inflamma-

mationem muſculorum abdominalium, et fibrae motricis maiorem in illis elaterem, quam quidem in antagoniſtis. Coniunctus tamen ſemper morbus eſt cum ſiti, quia uel tota lympha in pituitam concreuit, uel in cauo aliquo collecta, reliquum ſanguinem immeabilem reddit. Hinc NASO, *lib. 1. Faſtor.*

Sic, quibus intumuit ſuffuſa uenter ab unda,
Quo plus ſunt potae, plus ſitiuntur aquae.

Pertinaciſſimum ſane malum, et raro curatum; in uanum ſaepiſſime facta paracentheſi, niſi quod interdum ſaliualis cura, aut ſumma purgantia, profuerunt. Bene FLACCVS, *Carmin. lib. 2. Od. 2.*

Creſcit indulgens ſibi dirus Hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit uenis, et aquoſus albo
Corpore languor.

Theſ. 21. Atque ſic uidimus, quatenus uel fluida noſtra uiſcida, uel partes immeabiles extra aduenientes, aut uenena materialia et immaterialia, ad obſtructiones faciundas concurrant. Sed ſaepe fit obſtructio liquidorum, atque eorundem coagulatio, nullo in ipſis praeexiſtente uitio. Ergo uidemus, quid in tali opere ſolida ipſa et motores ſanguinis efficiunt. Illud autem in ſolidis uitium, multiplici ratione contingit, ex uirtute contractilitatis ſolidorum deficiente. Contractilitatis ſeu Elaſticitatis defectus uel poteſt alicui accidere naturaliter, et

a pri-

a primis ortus initiis, tumque malum raro ſuperabile eſt. Vel fit ab otio, uita quieta, et ſegnitie. Ex quo fundamento ſupra deductum fuit, ruſticanam gentem, laborioſam, robuſta corporum textura praeditam eſſe, minus tolerare medicamenta acria, minusque obſtructionibus eſſe obnoxiam, quatenus ex hac cauſa fiunt. Aut quando uilli uaſorum muſculares, uiſcidis particulis iam deſcriptis, quoad interſtitia nimium repleti, ad oſcillandum ſegnes euadunt et debiles, non ſecus ac chordae muſicae appenſo pondere ſegnius ſeſe explicant, et ſonos non ita ualidos efficiunt; ex quo liquida contenta in conuolutis et conglomeratis uaſis, ſeu curuaturis arterioſis, hoc eſt, glandularum anguſtiis, ſiſtuntur.

Theſ. 22. Aut quando fibrae canalium ſolidae, nimia quaſi aqua madefactae atque imbutae, flacceſcunt, elumbes fiunt, eumque amittunt tenſionis gradum, contractilitatisque, qui neceſſarius eſſet fluiditati humorum conſeruandae. Quam flacciditatem nimio *potu Theae* ſibi accerſere foeminas Belgicas fere in uniuerſum, aliasque, notiſſimum eſt: hinc etiam leucophlegmatia laborant, iſtoque pleraeque genarum carent naturali offucia et purpuriſſo, quae laudare ſueuerunt et celebrare in ſexu ſequiore, diſſimiles plane illi Pani, quem Muſa Maronis

Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem

introducit. Et uentriculus ipſe per quam miſe-

re

re queritur apud cl. SWALVE, *Ventr. Querel. p. m. 160. et ſequ.*

Theſ. 23. Obſeruat quidem PLINIVS, *Hiſt. Nat. lib. 23. cap. 1.* ſolos homines non ſitientes bibere; nec uidetur male in hac re nobis increpaſſe. Idem quoque PLINIVS, *lib. 28. cap. 4. notandum*, inquit, *nullum aliud animal calidos potus ſequi, ideoque non eſſe naturales*, pari certe ueritatis felicitate. Conſuetudo tamen calidam potandi apud plurimas gentes diu inualuit, ut ATHENAEVS ſcribit, *Deipnoſoph. lib. 3. cap. 21.* uidenturque loca quaedam PLAVTI, *in Curcul. Act. 2. Sc. 3. Coſin Act. 2. Sc. 3. Rudent Act. 2. Sc. 6. Trinumm. Act. 4. Sc. 3. et Pſeudol. Act. 2. Sc. 4.* hoc ipſum indigitare, eamque, uel myrrhinam, uel paſſum, uel defrutum, melinam, uel mel, fuiſſe, ſicut et COSTAEVS, *de Potu in Morbis, l. 1. c. 52.* fuiſſe Romae publicas calidae tabernas, ſeu θερμοπώλια, ſcribit. Chinenſes quoque a longiſſima ſeculorum memoria potui calido Theae adſueuerunt, et Troglodytae ἀπόβρεγμα παλιέρυ biberunt, ut narrat STRABO, *Geograph. libr. 16. p. m. 758.*

Theſ. 24. Et, licet facile conceſſerim, potum calidum uiſcidam et ſcorbuticam pituitam diuidere, ac meabilem reddere, Theaeque uim adſtrictoriam fibris ſoliditatem ac robur conciliare, ſi debita quantitate ac opportune bibatur. Dum uero, uti nunc mos increbuit, non in caſu neceſſitatis, nec ad iuſtam menſuram, ſed ter quater-

terque de die hae pitiſſationes, et immodicae ſorbillationes, inſtituantur, non dicam, ualetudinis ergo, ſed officioſae cuiusdam, uſu iam receptae, tractationis, ac hoſpitalitatis, non difficulter quiuis in eam ibit ſententiam, indigitante id ipſum pallidiſſima muliercularum experientia, eiusmodi Theaphilas bibaculas, contra Comici monitum, *ne quid nimis!* perbelle peccare. Videſis PECHLINII *Theaphil. Bibacul.*, opuſculum elegans, et curioſum.

Theſ. 25. Tantum enim abeſt, ut aqua, quemadmodum cochleares funium fibras retorquet, ſeſe inter illas inſinuando, funem uero contorquet abbreuiatque, atque obeliſcum ſic aliquando Conſtantinopoli eleuari fecit, ut refert BVSBEQVIVS, *Legat. Turcic. Ep.* 1. *pag. m.* 69. Et ſanguis, quatenus fluidus, dum cordis arteriam coronariam una cum ſucco neruoſo illapſus, eius ſpiralem ſequendo ductum, illud retorquet, elongatque, eodemque protenus momento per innumeros eiusdem arteriae ramulos ſanguinem inter quasuis uentriculorum cochleares fibras immittendo, eas retorquet, et a ſe inuicem remouendo, thalamos cordis extendit, moxque eundem muſculum contorquet, ut cl. STROEM, Medicus Noſtras, *Nou. Theor. Machin. Animal. Propoſ.* 5. demonſtrauit; ut, inquam, aqua copioſe hauſta, fibris uaſorum, praecipue inteſtinalium, longitudinalibus adpulſa eas uigoret, retorqueat, adſtringat, ro-

 boretue,

boretue, quin potius hinc eaedem protendantur magis, penitusque flacceſcant, et paralyticae fiant.

Theſ. 26. Quales noxae et paralyſes in Belgio ſaepe obſeruatae ſunt, et ipſe Vpſaliae uiro cuidam non illiterato Ao. 1704. contigiſſe, memini. Eleganter ergo HIPPOCRATES, *de Vſ. Humid. n. 3.* inquit: *calida quidem, amplius ea utentibus, has laeſiones inducit: carnium effoeminationem, neruorum debilitatem, mentis ſtuporem, ſanguinis eruptiones, animi deliquia.* Conf. *Aphoriſm. 16. Sect. 5.* GALENVS, *de Loc. affect. lib. 1. cap. 6. et lib. 4. cap. 7.* BELLINVS, *de morb. cap. de Paralyſ. p. 523. et ſequ.* et WILLIS, *Pharmac. Rat. Sect. 7. c. 3. p. m. 329.* qui ex potu Coffeae, ut crediderim ego, propter aquam ſimul immodice ingeſtam, diſpoſitionem ad paralyſin exſurgere prodidit; *ſolent enim morbi ex paruis occaſionibus magni ac diuturni fieri*, ut HIPPOCRATES dixit, *de Affect. n. 32.* Coffea autem uidetur eſſe *Orobus Hippocratis*, cuius decoctum in febribus laudat, *de Morb. lib. 3. n. 31.* inuentaque huius ſorbitio ad refraenandum acidum uentriculi in helluonibus. Hinc, dum illi dicunt, Coffeae infuſum paralyſin et tremores adportare, ueritati parcunt, cum ſit ex crapula.

Theſ. 27. Sed hoc erat uitium ſolidorum nimis madefactorum, atque ſic flacceſcentium. Quando uero ſtamina haec uaſorum neruea e

contrao

contrario ex inopia ſeroſae partis, ipſa inuncturae et lubricaturae, uel diuturna et uehementi oſcillatione, aut naturali indole, uel frigore, ſicceſcunt et areſcunt, inde aucta ſolidorum prae liquidis reſiſtentia, et conſequenter eorundem pereunte motu contractionis et reſtitutionis, humores uariis in locis congeruntur et ſtagnant, uariaque illa inducunt ſymptomata, quae obſtructionem comitari ſolent. Fit hoc ſemper in ſenibus per aetatem arefactis, foeminis aliquando ad uteri loca, item in illis, qui ueneri uel bacho nimis indulgent, tum curis animi, corporisque frequenti labore: non ſecus ac uidemus in laborioſa plebe uolas manuum pedumque ſicceſcere, et in corneam ſaepe ſubſtantiam occalleſcere. Sic calli poſt aures in foeminis Belgicis quibusdam, ex capillitii quodam genere; etiam callus ſub corrigia in metatarſo, qualem in populari perdilecto Ao. 1710. obſeruaui Vpſaliae.

Theſ. 28. Vita autem noſtra, ex ſolidis aeque ac ex fluidis dependens, adſimilatur bene horologio, in quo ſolidae partes conſtituuntur ex rotis, uectibus, aliisque inſtrumentis, appenſum uero pondus, rationem liquidi habet. Sed, quo plus mouetur, eo magis deteruntur rotulae, et per hunc detritum, omnino tandem eius motus ceſſat, omnibus conſumtis. Pariter ipſa hominis uita, ipſo attritu fluidorum ad ſolida neceſſario perire debet et annihilari, ut ſit in homine aliquid extremum, et tanquam in arborum baccis terraeque frugibus, maturitate

tempeſtiua quaſi uictum et caducum. Bene ergo apud NASONEM, *lib.* 15. *Metamorph.* PYTHAGORAS:

Noſtra quoque ipſorum ſemper, requieque ſine ulla,
Corpora uertuntur, nec, quod fuimusque, ſumusque,
Cras erimus.

Theſ. 29. Hinc omnes res, quae talem attritum quocunque modo excitare poſſunt, uitam abbreuiant. Hinc omnia medicamenta acria, omnia uenena, omnes affectus febriles, amor, odium, deſiderium, triſtitia, et ira, corpus atterunt, pallidum reddunt, exſuccum, aridumque. Poſſemus ideoque optimo iure dicere, omnia animalia ipſo illo, quo uiuere dicuntur, ſenſim mori. Atque hunc uitae neceſſarium interitum uenuſtiſſime expreſſit TVLLIVS, *de Senect.* his uerbis: *Adoleſcentes ſic mihi mori uidentur, ut, quum aquae multitudine, flammae uis opprimitur: ſenes autem, ſicut cum ſua ſponte, nulla adhibita ui, conſumtus ignis extinguitur; et quaſi poma ex arboribus, cruda ſi ſunt, auelluntur, ſi matura et cocta, decidunt. Sic uitam adoleſcentibus uis auffert, ſenibus maturitas.* Et SENECA, *epiſt.* 58. *nemo noſtrum eſt idem in ſenectute, qui fuit iuuenis. Nemo eſt mane, qui fuit pridie. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more. Quicquid uides,*

des, currit cum tempore. Tum poſtea: *Ideo admiror dementiam noſtram, quod tantopere amamus rem fugaciſſimam, corpus, timemusque, ne quando moriamur, cum omne momentum, mors prioris habitus ſit. Vis tu timere, ne ſemel fiat, quod quotidie fit.* Bene ergo MANTVANVS VATES, *lib. 3. Georg.* cecinit:

Optima quaeque dies miſeris mortalibus aeui
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtisque ſenectus,
Et labor, et durae rapit inclementia mortis.

Sed ſicut amplae et regiae opes, ubi ad malum dominum peruenerunt, momento diſſipantur; at, quamuis modicae, ſi bono cuſtodi traditae ſunt, uſu creſcunt, ita aetas noſtra bene diſponenti multum patet, uerba ſunt SENECAE, *de Breuitat. uit. cap. 1.* Quid autem in omni pomorum genere aliud eſt, quod ex acidis, auſteris, crudisque in dulcia, matura, et ſapidiora tranſeunt, quam attritus quidam particularum ſucci abſorpti mutuus, et circulatio per glanduloſas pomorum partes ſaepius frequentata, ſicque leuiſſimae cuiusdam putrefactionis, non uero fermentationis, principium.

Theſ. 30. Viſcoſitates uero, et areſcens iam ſanguis, quoniam per duros, anguſtos et aridos canales deportari nequeunt, neceſſe etiam eſt, ut ibi haereant, ſiue fuerint maiores canaliculo

traiiciendo, in ipſis iam maiorum arteriarum alueis, ſiue quod duae particulae, alias ſolae facile fluxurae, in conica arteriae extremitate coeant, ſicque uaſis diametrum ſuperent, cumque ex ſuo ingenio, ut ſupra notaui, ad mutuos contactus inclinent, coaleſcunt firmiter, uaſorumque lateribus reciproce in liquida impellentibus, atque tenacia in anguſtias propellentibus, magis magisque indureſcunt. Ideoque ſenum morbi rarius curantur, quia ſolida, per aetatem arida et dura, amplius molleſcere nequeunt. Sic T. Pomponius Atticus, Ciceroni et Cornelio Nepoti tam multum celebratus, in arida ſenecta ſua, *nactus eſt morbum, quem initio et ipſe et medici contemſerunt, nam putarunt eſſe teneſmum, cui remedia celeria faciliaque proponebantur. In hoc, cum tres menſes, ſine ullis doloribus, praeterquam quos ex curatione capiebat, conſumſiſſet, ſubito tanta uis morbi in unum inteſtinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fiſtula putris eruperit*, uerba ſunt CORNELII NEPOTIS, *in Vita Attici, cap. 21.*

Theſ. 31. Etiam haeſitantia liquidorum, licet optimorum, ſaepe fit ab eorum copia nimia, ſeu *Plethora. o)* Quando ſcilicet maior humorum in

o) Notiſſima quidem, ſed non ſatis fundata ac demonſtrata eſt diſtinctio in plethoram puram atque impuram; nam excedens humorum copia,

in corpore regnat quantitas, quam uel cor rite protrudere, uaſaque arteriarum elaſtica reciprocis contractionibus propellere ualent, alueo

ordinario cum harum illarumue particularum, in ſanguine praedominantium, exceſſu, eſt coniuncta. Nec aliter hoc concipi poteſt, cum plethora, tum uberioris et lautioris uictus, tum imminutarum ſuppreſſarumque ſecretionum atque excretionum ſolemnium ſit effectus. Ea etiam de cauſa neceſſarium eſt, ut in malis, a plethora excitatis, ſanguinis copiam, uenae ſectione, ſcarificatione, hirudinum applicatione, abſtinentia a cibo potuque, ante omnia auferamus, ac his peractis, malam humorum qualitatem congruis alterantibus emendemus, illudque, quod emendari non poteſt, aut prae aliis abundat particulis, auctae ſubſidio tranſpirationis, aliusue ſecretionis, e corpore prorſus eliminemus. Hic uero ſedulo atque attente caueas neceſſe eſt, ne demens illa te occupet perſuaſio, qua plures huius ſeculi medici faſcinati tenentur, credentes, affirmantes, quod omnis morbus a plethora dependeat, et dehinc certiſſimum eorum, tum praecauendorum, tum curandorum ſubſidium ſit, fluxus haemorrhoidalis, aut menſtruus foeminarum, aut uenae ſectio; cum tamen multae uirgines foeminaeque, ſine hac excretione, et bene ualeant, et concipiant, uteroque gerant, ac diuerſiſſima multorum morborum origo contrarium omnino doceat, ac demonſtret.

ſuo iam receptam; reſiſtentia liquidorum ſupra ſolidorum potentiam ita aucta, ut uaſa diſtenta crepaturam minitentur, ultimis eorum finibus, ex copia ſuperius premente, ad ſe inuicem redeuntibus; uel ad minimum lateralia premantur, inque illis uariae obſtructiones naſcantur. Vnde natura duas euacuationis uias dedit, unam in uiris per haemorrhoides, alteram in foeminis per menſtrua, uel in utrisque per ſudores.

Theſ. 32. Haemorrhoides, Noſtris, *Gyllen adran*, quaſi auream uenam dixeris, loco menſtruorum in plethoricis uiris ſunt, et, ſi ſteterint, non minimam inferunt infortunii ac periculi aleam. Et ficus iſti anus tantum ſaepe dolent, ut neceſſe ſit, illos ſcalpello aperire. Atque tales compreſſiones ex plethora uteri lymphatica in foeminis ſaepe obſeruantur, ut non ſolum menſtrua ſufflaminentur, ſed etiam hydropes, phtiſes pulmonares, et infinitum morborum genus fiant. Namque in morbis, cum alter alteri ſuccedit, plerumque occidit, iuxta HIPPOCRATEM, *de Affect. n. 23. p)* Vterus etenim, uehe-

p) Hoc non de omnibus morbis, ſed de acutis ſaltem intelligendum; ita delirium et conuulſiones, ſanguinis profluuio ſuccedentes, malae et pernicioſae ſunt, teſte HIPPOCRATE, *Sect. 7. aphor. 9.* dicente: *ἐπὶ ἅιματος ῥύσει παραφροσύνη, ἢ καὶ σπασμὸς, κακόν.* Similia praeſagia ab eodem annotata inuenimus, *aphor. 10. 11. et 12. cit. Sect.* ubi ſequentia leguntur: *ἐπὶ ειλεῷ ἔμετος,*

uehemens illud malum, et infinitarum aerumnarum in muliere cauſa, a DEMOCRITO ſic dictus, *in Epiſt. ad Hippocratem*, et ab HIPPOCRATE eodem titulo conſignatus, *de Loc. in Hom. n. 59. de intern. affect. n. 1. et 2. de Morb. mulier. lib. 2. n. 20.* multorum quoque adhuc malorum origo deprehenditur, multum ſaepe laboris Medico facientium. Atque idem HIPPOCRATES, *de Morb. mulier. l. 1. n. 74. 75.* et ipſam hiſtoriam menſtruantium delineat, et mala, a retentione ſanguinis, oborta, hydropem ſcilicet, et fictitiam ingrauidationem. Curari uero difficilius, ſcribit, quia neque ipſae ſciunt, quod aegrotant, neque dicere uolunt, hoc dependere a menſibus. Jubet ergo Medicos, ut exacte ſeſe inſtruant de morbis foeminarum, cum differat multum uirilium et muliebrium morborum curatio. *q*)

ἢ λύγξ, ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν. Επὶ πλευρίτιδι δε, περιπνευμονίη, κακόν. Επὶ περιπνευμονίῃ, φρενῖτις, κακόν. Contrarium uero, exemplo inſaniae, cui alui fluxus cruentus, uel hydrops ſociatur, ob oculos hiſce ponit Cous noſter, *Sect. cit. aphor. 5.* Επὶ μανίῃ, δυσεντερίη, ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν.

q) Differunt quidem haud raro morbi mulierum et uirorum, ſi diuerſam originem et ſedem reſpicias, ſed ridiculum ſaepe et a ſana ratione at-

Sed iſta prolixe deſcribere huius non eſt loci. Qui autem plura deſiderat, adeat Cl. FREIND *Emmenologiam*, geometricis Naturae fundamentis ſuperſtructam, et libellum exiguae molis, ſed magni tamen ponderis, GVILIELMI COCKBVRN, *Oeconomiam Animalem, a p. m. 171. usque ad 189.*

Capvt Decimvm.

Venenorum Narcoticorum et Soporiferorum tradit notitiam.

Theſ. 1. Peruentum eſt ad tertium Veneni Genus, *Narcoticum*, et *Soporiferum*, quod ex Vegetabili maxime Regno deſumitur. *Flores* quidem *Haematidis* cum ammoniaco ſale parati, ui-

que experientia alienum diſcrimen morborum, diuerſum ſexum affligentium, effingitur; quale eſt inter colicam et paſſionem hyſtericam, dum affectum, qui in uiris colicae termino paſſionis indicatur, in foeminis paſſionem hyſtericam eſſe, perhibent; ſed, prouti libere concedo, quod uteri uitio, frequenter inteſtina, colon in ſpecie, per conſenſum afficiantur, et hinc colica ſympathica excitetur, ita frequentius, ſine ulla uteri labe, morboque, ex iisdem, quas in uirorum colica deprehendimus, cauſis, inteſtinum colon in foeminis premitur, diſtenditur, irritatur, aliaque afficitur ratione, ita, ut uterus,

uitriolique ſulphur narcoticum, ſeu ſal uolatile, eandem uim habere perhibentur. *r*) Tum ex animalibus, cornu ceruini ſpiritus, torpedo, piſcis ex Raiarum genere, Noſtratibus *Krampe-Fiſk*, Belgis uero *Suimelaer* et PISONI, *hiſt. Braſil. lib. 5. cap. 14* deſcriptus, Indicis piſcis *Amoreatim*, Luſitanis *Peize Sola* dictus, qui pedem piſcatoris, licet optime calceatus fuerit, ſi incaute conteritur, paralyſi et ſtupore afficit. *s*) Qualis

hic plane inſons, ſine omni culpa, in crimen uocetur, uti pluribus argumentis, *diſſertat. de Vtero inſonte*, probaui.

r) Optima certe remedia antacida, uiſcidum ſucceſſiue reſoluentia, et tonica, conſtituunt flores ſalis ammoniaci, haematitidis puluere parati, aut, qui eiusdem ſunt indolis, martiales. Adeoque ſolus horum remediorum abuſus, minime uero ipſa eorundem natura accuſanda; quod peraeque de ſpiritu cornu cerui, optimo ſubſidio morborum, a ſeroſa colluuie et dyſcraſia acida dependentium, tenendum,

s) Tantam torpedinis uim narcoticam eſſe, ut etiam procul et e longinquo, uel, ſi haſta uirgaue attingatur, quamuis praeualidos lacertos torpeſcere, quamlibet ad curſum ueloces alligari pedes, PLINIVS, *H. N. lib. 32. cap. 1. ed. cit. p. 558.* teſtatur. Vnde CICERO, 2. *de Nat.* tutantur ſe torpore torpedines. Et CLAVDIVS, *de torped.* quis non indomitam mirae torpedinis artem audit, et e merito ſignatas nomine

Qualis quidem ſtupor partium poſt omnem morſum uenenatum ſentitur, etiam poſt puncturam mechanici alicuius ueneni. Ergo uegetabilia ſola hoc uenenum largiuntur efficaciſſimum.

Theſ. 2. Equidem omnia medicamenta acria et adurentia, quaecunque fuerint, ſunt narcotica, quatenus dolores tollunt, et eatenus ſoporifera, quatenus, cauſa uigiliarum ſublata, ſomnus obrepit. Sed alio reſpectu neque ſoporifera ſunt, neque narcotica. Sic ignis, quem acribus ſupra uenenis bene adnumeraui, narcoticum ſaepe eſt potentiſſimum, quando, uel parti amputatae dolenti, uel denti dolenti, uel alicui alii loco, aut in ferro incluſus Vulcanus, aut moxae ſpecie, uel alia methodo, adhibetur. Sic cantharides, excitatis in nucha ueſiculis, et per hoc ſedato dolore dentium tenſiuo, ſaepe ſunt et narcotica et ſoporifera. Atque ſic de caeteris. *t*)

Theſ.

uires? Torpedinem nihilo ſecius ad diutinos capitis dolores profligandos, ac curandum prolapſum inteſtini recti, DIOSCORIDES, *lib.* 2. *cap.* 17. *ed. cit. p.* 93. ſequentibus commendat: νάρκη θαλασσία ἐπιτεθεῖσα ἐπὶ χρονίων ἀλγημάτων, τῶν περὶ κεφαλὴν, πραΰνει τὸ σφοδρὸν τοῦ ἀλγήματος· καὶ ἕδραν δὲ ἐκτετραμμένην ἢ προπίπτουσαν στέλλει προστεθεῖσα.

t) Haec, non, tam ſtuporem ſenſusque abolitionem producendo, ſed potius fortiter irritan-

Theſ. 3. Veteres medici narcoticis uenenis plurimum utebantur, quando operatio aliqua chirurgica inſtituenda eſſet, ut tibiae brachiique extirpatio, idque uel interne, uel externe. Eiusmodi potiones *Catapotia* uocabant, noſtris *Döſdrick.* Sed CELSVS inquit, *lib.* 5. *cap.* 25. *quibus uti, niſi nimia neceſſitas urget, alienum eſt. Sunt enim ex uehementibus medicamentis, et ſtomacho alienis.* Et peruerſa hominum ſolertia hiſce multoties adhuc utitur in hominibus ſoporandis, quibus uel amores extorquentur, uel pecuniae auferuntur. Hinc NASONIS fabula eſt, *lib.* 1. *Metamorph.* quod Pan a Ioue miſſus, ut Argum multoculum, Inachi uaccae cuſtodem, tolleret, eum obdormire fecerit,

Languida permulcens medicata lumina uirga.

Et Cupido Chionem uirginem ſic fefellit, quemadmodum idem fabulatur OVIDIVS, *lib.* 11. *Metamorph.*

Virgaque mouente ſoporem,
Virginis os tangit.

Hoc etenim uenenum, actione uentriculi, et fotu uicinarum partium, in ſubtiles ualde particulas

do, uellicando, ſuam perficiunt operationem, ita ut partim dolor leuior, maiori excitato, obſcuretur, partim idem, reſoluta, per fortiorem ſtimulum, materia uiſcida, ſtagnante, dolorem efficiente, plenarie et radicitus cum cauſa tollatur.

culas reſolutum, atque ad ſanguinem et ſenſus organa delatum, iſtum machinae noſtrae chara-cterem imprimit, quem ſomnum, ſenſuumque ceſſationem, nominamus.

Theſ. 4. Alterna quidem laborum requies, omni animanti eſt perneceſſaria, defatigato diurnis laboribus corpore per ſitum erectum aut obliquum, laxatisque ſolidis et flaccidis factis, fluidis autem uappidis et craſſis, uires et robur, lenitatem ac tenuitatem ſic recollecturis in plano et horizontali ſitu, cum fluida omnia in habitu corporis inclinante ad horizontem liberius et iuxta leges ſuae grauitatis ferantur, et facilius moueantur, quam in ſtatu eiusdem uarie incuruato, aut eleuato. Penelope enim Vlyſſis dicit apud HOMERVM, *Odyſ. lib.* 19.

> Ἀλλ' ȣ̓ γὰρ πῶς ἐςὶν ἀύπνȣς ἔμμεναι αἰὲν
> ἀνθρώπους

Et PLINIVS, *lib.* 17. *cap.* 23. bene: *nihil eſt in opere naturae, quod non exemplo dierum noctiumque aliquas uices feriarum uelit.* Vel, ut Ouidiana Phaedra, Hippolyto ſcribens, exclamat, de *Heroid. Epiſt.* 4.

> *Quod caret alterna requie durabile non eſt,*
> *Haec reparat uires, feſſaque membra leuat.*

Et ob elegantiam referenda huc ſunt uerba Iridis Somno *lib.* 11. *Metamorph.*

> *Somne, quies rerum, placidiſſime Somne Deorum,*

Pax

Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparasque labori.

Theſ. 5. Quando uero per narcoticorum uirus, non unius tantum noctis ſopor introducitur, ſed uitalium actionum omnimoda et perpetua quies, quod mortem uocamus, non mirum eſt, rei medicae ſcriptores ſomnifera in uenenorum numerum retuliſſe. Namque ſecundum illud NASONIS, *de Art. Amand. l. 3.*

Sunt quoque, quae faciant altos medicamina ſomnos,
Victaque Lethaea lumina nocte premant.

Id tamen inter narcotica et ſoporifera uenena uidetur eſſe diſcriminis, quod haec ſimpliciter ſomnum efficiant, illa uero ſtuporem inducant partibus ſolidis ultimis ſentientibus, mechanica in ſequentibus dicenda.

Theſ. 6. Praeſertim autem inter illa uenena mihi nominanda ueniunt ſequentia: *Mandragora*, pomiferum plantae Solani genus, cuius radix et cortex Catapotia olim ingrediebatur. Germanis *Allraun*, Noſtris *Allruna*, et *Mandragore* dicitur, a radice, ſimilitudinem femorum humanorum aemulante, bifida. Nigras fert baccas, inque hortis Noſtratum colitur. Et refert LEVINVS LEMNIVS, *de herb. Bibl. cap. 2.* ſe ex mandragorae pomis in muſeo repoſtis, adeo redditum fuiſſe ſomnolentum, ut uix ſomnum excutere potuerit; iisdem uero

ro remotis, reſipuiſſe. Vnde Belgae, Mandragorae poma, eo quod amentiam inducant, *Duel Appelen* uocant. Et ſunt hæc mandragorae poma, ut uolunt Theologi quidam, Codex Talmudicus Sanhedrin, et nonnulli Botanici, quae Ruben, filius Iacobi, Leae, matri, attulit, ex rure redux, quaeque Rachel omnino ſibi dari uoluit, ut fieret foecunda, *Exod. 30. n. 14.* *u)* Num uero Mandragorae fructus foecundas

u) Haec quoque LANGII, *epiſt. Med. lib. 2. epiſt. 2. ed. cit. p. 549.* eſt ſententia, aſſerentis: mandragorae poma, ſterilitatis antidota, monitu Dei, Ruben, filio Iacobi, oſtenſa eſſe. Quid uero de hac uirtute mandragorae ſit ſentiendum, uberiori diſquiſitione examinauit CASP. *a* REIES, *Quaeſt. 43. §. 1. et ſequ. p. 305.* Vis uero eiusdem ſomnifera et anodyna, multis confirmata exemplis atque experimentis, ſali uolatili et oleo narcotico, quod multo uiſcido intricatum haeret, adſcribenda eſt. Duas mandragorae ſpecies allegat DIOSCORIDES, *lib. 4. cap. 76. ed. cit. p. 273. et 274.* atque iisdem, praeter alias plures uirtutes, hypnoticam, et emmenagogam, tribuit. Vinum e cortice radicis mandragorae paratum, ſcopo profundum procurandi ſomnum, iis, quibus uel pars ſectione amputanda, uel igne ſtupefacienda, exhiberi, ſequentibus idem docet: σκευάζεται δὲ καὶ δίχα ἑψήσεως οἶνος ἐκ τοῦ φλοιοῦ τῆς ῥίζης· δεῖ δὲ ἐμβάλλειν μνᾶς γ΄. εἰς μετρητὴν οἴνου γλυκέος, διδόναι τε ἐξ αὐτοῦ κυά-

cundas faciant mulieres, uix credo; ſtimulum
Ll tamen

θους γ΄. τοῖς μέλλουσι τέμνεσθαι, ἢ καίεσθαι· οὐ γὰρ ἀντιλαμβάνονται τοῦ ἀλγήματος, διὰ τὸ καταφέρεσθαι. Probe uero hic tenenda cautela, quam citatus auctor, *lib. 5. cap. 81. p. 348.* ſuppeditat, monens, ut moderatus ac parcior huius uini uſus ſit, quia alias mortem afferat. Vinum, quod ex uite, mandragorae uicini, paratur, uim ſomniferam obtinere, probat PLVTARCHVS, *lib. de audiendis Poetis*, ſic loquens: ὥσπερ γὰρ ὁ μανδραγόρας ταῖς ἀμπέλοις παραφυόμενος, καὶ διαδιδοὺς τὴν δύναμιν ἐις τὸν οἶνον, μαλακοτέραν ποιεῖ τὴν καταφορὰν τοῖς πίνουσιν. Huius uirtutis, in mandragora haerentis, probe gnarus Hannibal, miſſus a Carthaginenſibus aduerſus rebellantes Aphros, cum ſciret, gentem eſſe auidam uini, magnum eius modum mandragora permiſcuit, et tunc leui praelio commiſſo, ex induſtria ceſſit; nocte deinde intempeſta, relictis intra caſtra quibusdam ſarcinis, et omni uino infecto, fugam ſimulauit; quumque Barbari, occupatis caſtris, in gaudium effuſi, medicatum merum auide hauſiſſent, ac in defunctorum morem ſtrati iacerent, reuerſus cepit eos, ac trucidauit. conf. IVLIVS FRONTINVS, *ſtratagem. ſecund.* Plura de ſuperſtit. et fraudibus, quae cum radice mandragorae inſtituuntur, uid. *A. N. C. Dec. 1. Ao. 1. obſ. 44.* BARTHOLINO, *Cent. 2. hiſt. 51.* MIZALDO, *Mirab. Nat. Cent. 5. no. 59.* BORELLO, *Cent. 2. obſ. 74.*

tamen addere uenereum, prout hoc ab omnibus narcoticis fit, maxime uero ab Opio, inebriaminum principe, facile perſuadeor.

Theſ. 7. *Semina* quoque *Coriandri* male audiunt, quanquam mulierculae ſoleant ipſa panibus immiſcere. x) Tum Turcarum *Datura* flor. purpur.

x) Vim refrigerantem Coriandro tribuit, DIOSCORIDES, *lib.* 3. *cap.* 71. *p.* 202. ſcribens: τὸ κόριον ἢ κορίαννον, γνώριμον, δύναμιν ἔχον ψυκτικήν. Quod tamen, examinatis, quibus coriandrum conſtat, principiis, locum non inuenit; abundat quippe ſale uolatili oleoſo, cuius uis reſoluens, addito aceto, acidisque aliis, mitigatur, temperatur. Atque ab iisdem elementis, uirtus anthelmintica, aphrodiſiaca, et inebrians, ſeminibus coriandri tributa, deriuanda, de qua DIOSCORIDES ita, *l. c.* τὸ δὲ σπέρμα ὀλίγον μὲν ποθὲν μετὰ γλυκέος, ἕλμινθας ἐκβάλλει, καὶ σπέρματός ἐςι γεννητικόν· πλεῖον δὲ ληφθὲν κινεῖ τὴν διάνοιαν ἐπικινδύνως· ὅθεν δεῖ φυλάττεσθαι τὴν πλείονα καὶ συνεχῆ χρῆσιν αὐτȣ̃. Depromta haec Dioſcoridis ſententia ex antiquiſſimis NICANDRI rhythmis, qui, *lib. de Alexipharmac.* ſequentibus pernicioſam coriandri indolem deſcribit: ἣν γε μὲν ȣ̓λόμενόν γε ποτὸν κορίοιο δυσαλθὲς ἀφραδέως δεπάεσσιν ἀπεχθομένοισι πάσηται, οἱ μέν τ᾽ ἀφροσύνῃ ἐμπληγέες, οἷάγε μάργοι δήϊα λαβράζȣσι παραπλῆγές θ᾽ ἅτε βάκχαι, ὀξὺ μέλος βοόωσιν ἀπαρμύκτῳ φρένας οἴςρῳ, hoc eſt, noxia quod

pureo, et *Strammoneum* fl. albo, ſiue Solanum foetidum, pomo ſpinoſo, ſemine nigro, BAVHINO dictum. Cuius ſemen, ad drachmae pondus, ſoporiferum eſt; Turcarumque muliercu-

Ll 2 lis,

ſi quis biberit coriandra, repente ablato exagitur ſenſu, ſtridenteque uoce edit acuta uelut furioſae iubila Bacchae, ſeu Stygiae iniecto quaſi percitus angue Megerae. Eadem uero apud SIMONEM SETHI leguntur, *κορίαννον*, ſcribens, *ὑπάρχει δὲ εὐστόμαχον καὶ ῥωστικόν· ἐπέχει δὲ τὰς τροφὰς ἐν τῷ στομάχῳ, ὥστε πεφθῆναι καλῶς· ὁ δὲ τούτου χυλὸς πινόμενος, δηλητήριόν ἐστι, καὶ ἀναιρεῖ· ἄφωνοι δὲ γίνονται οἱ τοῦτον πίνοντες, καὶ παράφρονες.* Hisce uero, quae modo propoſita, rite examinatis, diſtincte perſpicies, quae ſit ratio diſcrepantium, quas coriandro adſcripſerunt, uirium? et cur culpetur ab his, laudetur ab illis? uſus, atque abuſus, unius eiuſdemque remedii mutant effectus. Hac ratione coriandrum, quod ex LANZONI teſtimonio, *A. N. C. Dec. 2. Ao. 10. obſ. 85. p. 297.* febri quartanae feliciter citoque extirpandae ſuffecit, haud raro huic malo, grauioribus ſtipato ſymptomatibus anſam dedit. Et hoc modo conciliandae ſunt diuerſae, quas de coriandro, fouent, ſententiae, GALENVS, *lib. 3. ſimplic. cap. 7. p. 87. ac lib. de attenuante diaeta, cap. 20.* item, *lib. 3. de temper. cap. 9. p. 94.* SIMON PAVLLI, *Quadripartit. Botan. Claſſ. 3. p. 304. et 305.* KOENIGIVS, *Regn. Veget. Sect. 4. p. 806. et 807.*

lis, gynaeceo ſemper concluſis, uſitatum, in uiris ſuis conſopiendis, et dementandis, dum modo ipſae aliorum amplexibus exhilarentur. Sicut et tale facinus contigit ante annos non ita multos Hamburgi, ubi uetula quaedam, mercatoris uxori, in domum ſuam fraudulenter pellectae, rerum uenundarum gratia, dedit in uino daturae ſemen. Illa uero potionata et lymphata admiſit moechum, quem ante noluerat. Et, cum Indorum herba, ipſis *Dutroa* dicta, ſi potui additur, eandem uim habeat, in memoria ſopienda, et ſuffocanda ratione, et laetitia quadam amenti excitanda, inque eosdem uſus, ac quidem Strammoneum, a mulierculis adhibeatur petulantioribus, marito interim uidente, ſed neſciente, quid uideat, uel rideat, ſuſpicor, hanc herbam, eiuſdem cum Strammoneo ſortis, eſſe. *y*)

Theſ.

y) Mala, ſcribit CHRISTOPHORVS ACOSTA, teſtis *αὐτόπτης*, *cap. 53.* apud impudicas inualuit conſuetudo, ut huius ſeminis in puluerem triti drachmam dimidiam, ex uino, aut alia, quae magis arridet, materia, praebeant. Miſer, qui eum hauſit, diu uelut mente alienatus remanet, aut ridens, aut eiulans, plerumque alteri colloquens, et reſpondens, ut etiam ſana mente eum praeditum credas, tametſi mentis non ſit compos, neque eum agnoſcat, cum quo ſermones confert, et colloquii habiti plane ſit immemor, cum ad ſe rediit. Sunt uero nonnullae in hoc medica-

Theſ. 8. Praeterea *Solanum Maniacum* Scandens, flore coeruleo, Graecis στρύχνον, cum uero telis uenenandis adhiberetur, Dorycnium uocitatum, baccas fert rubras, inſtar ceraſorum, abunde per noſtram patriam ad ſepes creſcens. Alterum namque Officinarum, dictum flore albo, baccis eſt nigris, humili frutice, non adeo ſaeuum; forte μελανοκέρασον Thalii, idemque fortaſſis, ex cuius ſucco GESNERVS, *Epiſt. lib. 1. cap. 34.* ſyrupum conficere docet, in fluxionibus ſiſtendis, ſomno inducendo, doloribus tollendis, dyſenteria curanda, efficaciſſimum, parui tamen cochlearis aut ligulae quantitate, nec amplius ſumendum. Hinc, teſte PLINIO, *Hiſt. Nat. lib. 21. cap. 31.* ſolanum a DIOCLE *et* EVANORE Panegyrico decantatum, a TIMESTO carmine celebratum, a XENOCRATE, malorum omnium medela uocitatum. z)

 Alte-

mento exhibendo, adeo exercitate, idque ſic temperare norunt, ut, ad certas, easque, quot uelint, horas, quibus id propinant, mentem adimant. Plura de daturae radice, fructu et foliis, eorumque operatione et correctione, habent, GARCIAS, *lib. 2. cap. 24.* BARTHOLINVS, *Cent. 6. hiſt. 76.* MANDELSLO, *Itin. Orient. lib. 2. cap. 7.* BODAEVS, *a* STAPEL, *Not. ad Theophraſti hiſt. Plant. lib. 9. cap. 12. ed. cit. p. 1079.* HOECHSTETERVS, *Dec. 7. p. 157. A. N. C. Cent. 9. p. 206.*

z) A ſolani baccis delirium furioſum excitatum commemorant *A. N. C. Dec. 1. ao. 7. obſ. 161. et 176.*

Alterius quoque Solani, *Bella Donna* Italis dicti, baccae, Luſitanis *Poma d' Oro*, Poma aurea ſeu Amoris, cognominata, noxam adferre uiſum eſt, quamuis ab Indis et Italis, addito pipere, ſale atque aceto, impune comedantur. Quod quidem non miror, cum acetum, omnium narcoticorum uim caſtret ac debellet. Hinc quoque uir eruditiſſimus, et Pharmacopola Veronenſis, Calceolarius, cum Solano, tanquam exorciſmo, paraſitos ab eſculentorum omnium deglutitione arcuiſſet, aceti ope, eosdem ex tempore reſtituebat, appetitumque reintroducebat. Solanum hoc funeſtam edidit ſtragem, Ao. 1677. d. 31. Auguſti, Neoſtadii ad Cocharum, Ducatus Würtembergenſis urbe, ſicut hoc ipſum deſcribit, in ſua *Strychnomania*, figuris illuſtrata, IOANNES MATTHAEVS FABER, curioſo tractatu, edito Aug. Vind. Ao. 1677. in 4to. Baccae uero Solani, a noſtratibus propriiſſimo uocabulo *Willbeer* adpellantur, quod homines faciant dementes. *a*) *Theſ.*

Radix huius ſolani, uino macerata, ipſumque uinum, hinc deſumtum, deglutitionem impedit, teſte Io. BAPT. PORTA, *Mag. Nat. lib. 14. cap. 13.* Nihilo ſecius hoc uenenum, a multis ad hydrophobiae, athritidis, et aliorum morborum medelam, commendatur, uti hoc patet ex teſtimoniis experimentisque, quae FRICCIVS, *tr. cit. cap. 20. a p. 357. ad 364.* et KOENIGIVS, *Regn. Veget. Sect. 4. a p. 1021. ad. 1027.* collegerunt.

a) A Belladonnae fructu, ceraſis ſimili, comeſto,

Theſ. 9. Haec autem uenena, intra uiſcera copioſe admiſſa, horrendo ſaepe et triſti ſpectaculo miſerum hominem obiiciunt. Namque oris ardorem primo, ſiccitatem, et deglutiendi impedimentum, excoriationem, ueſiculas flauo ſucco turgidas, hinc, deglutito toxico, cardialgiam, mox adſpectum horrendum, amentiam, uociferationem, imaginationes terribiles, conuulſiones, iactationes corporis, pulſum denſum, urinae reddendae frequentiam, febrim, ſitim non facile extinguendam, uocis ſuppreſſionem, oculos igneos, membrorum demum immobilitatem, ſtuporem, hallucinationes, profundumque ueternum, conciliant; Aut, ſi mauis Graeca et Sapphica illa: *Φωνῆς ἐπέιχεσις, ἐρύθημα πυρῶδες, ὄψεων ἐπιδέιξεες, ἱδρῶτες ὀξεῖς, ἀταξία καὶ θόρυβος ἐν τοῖς σφυγμοῖς, τέλος δὲ, τῆς ψυχῆς κατὰ κράτος ἡττωμένης ἀπορία καὶ θάμβος, καὶ ὠχρίασις*, contingunt adſumenti. Quibusdam ex hoc ueneno urinae contingit ſuppreſſio, ſuperficie corporis in ſudores largos laxata, iuxta *aphoriſmum 83. Sect. 4.* HIPPOCRATIS: *οὔρησις πολλὴ γινομένη, σμικρὴν τὴν ὑποχώρησιν σημαίνει.* Qui ex hoc ueneno largius adſumto obire ſolent, aquam fuluam

delirium, cui mox tetanus, ac mors ipſa ſuccedebat, licet emeticum ſtatim exhibitum fuerit, in ſeruo obſeruaui. uid. *A. N. C. Dec. 3. ao. 9. obſ. 92.* et BOECLERVS, *Cynoſur. mat. med. contin. Part. 1. cap. 5. p. 320.*

antea euomunt, magnae acredinis, intumeſcente poſt mortem uentre, ac coeruleſcente, unguibus quoque eodem colore adſperſis. Sed, quod ego ſupra de Solani ui, ſitim inferente, dixi, non ſic quidem labitur, quod Agyrtae contra Italici, radicem extreme ſitientibus exhibeant, referente LOBELIO, *Hiſt. Stirp.* ſequente momentanea eius depulſione, ſenſu ſcilicet ſitis per uenenum abolito.

Theſ. 10. Eiusdem forte cum Solano generis herba fuit, quae in Parthorum regione, ab Antonii exercitu, prae fame comeſta, inſaniam, obliuionem, et mortem excitabat, ut prodit PLVTARCHVS, *in Vit. Antonii.* Crederem quoque, uenena iſta, quae Circe pani, Vlyſſis ſociis dato, admiſcuerat, ut patriae obliuiſcerentur, ex Solano Maniaco, uel Lolio, fuiſſe, ſi modo non omnia fabuloſa, quae Diuinus habet de hac re HOMERVS, *Odyſſ. lib. 10.* Moly autem radice, per Mercurium monſtrata, Vlyſſem ſuis reſtituiſſe perhibet. Et narrat BVCHANANVS, *Hiſt. Scot. lib. 7. p. m. 61.* Duncanum, poſtea Scotiae Regem, cum Sueno, Norwegiae Rex, urbem Scotiae, Bertham, corona cinxiſſet, de urbis deditione ſimulanter cum Suenone agentem, magnam panis uinique uim, ſolani ſomniferi ſucco contaminatam, in caſtra obſidentium miſiſſe ſub amicitiae ſpecie, militesque deinde uino ſomnoque grauatos ad internecionem omnes deleuiſſe.

Theſ.

Theſ. 11. Huc pertinet *Solanum Tetraphyllon*, ſeu *herba Paris* dictum, uel *Lycoctonon Tetraphyllon*, noſtris *Tollbeer*. Obſeruatum eſt a Botanicis, in collectione herbae Paridis, ſtupidos factos fuiſſe collectores. Et ſunt, qui putant, Paridem Troianum, Helenam Menelai, hac herba in ſuos amores compuliſſe. Solanum hoc a foliorum numero quadrifolium nominatur, conſtanter fere natura ſic uolente. *b*) Inueni tamen Ao. 1710. die 24. Iulii, in inſula quadam Wiksbergenſi acidulae uicina, Solanum dodecaphyllon, quod adhuc inter rariora adſeruo. Item Ao. 1711. d. 28. Iunii, Solanum octophyllon, ludentis interdum naturae opus. Deinde *Oxyſcoyni* ſeu Iunci acuti ſemen, quod ad drachmae menſuram propinatum, ſoporiferum eſt. Forte hic iuncus eſt, quem PLINIVS, *l. 21. c. 28.* nominat *Euripicen*, ſomnumque huius ſemine allici adſerit. Referunt quoque nonnulli *Ericam bacciferam* inter uenena huius generis noxia, cum baccae comeſtae guttur et palatum exſiccent, ac inflamment, caput turbent; impune tamen a noſtris comeduntur, copioſe per ſiluas creſcunt, dicunturque uulgo *Kraæbar*, quaſi corniculas a colore nigro uocares, Germanis Apem-beer, DODONAEO, πιθηκόκκον. *c*)

Ll 5 *Theſ.*

b) Eadem habet cum ſolano, quod maniacum uocant, principia, et hinc eadem, ab eius uſu et, abuſu, operatio, in humanis corporibus deprehenditur.

c) Ericae floribus apes delectari, mel uero mi-

Theſ. 12. Infelix *Lolium* ſatis ſuperque notum eſt per ſuum uirus. Nam, ſi quis comederit panes, quibus forte lolium fuerat commixtum, aut biberit potus ex frumento, cui lolium additum fuit, confectos, uertigine laborabit, et quaſi ebrietate, cum ſomno profundo ſubſequente, prout multi auctores teſtantur, et ipſe quamplurima exempla in populari Wermelandica plebe ſaepenumero conſpexi. Lolia oculos uitiare, omnibus in confeſſo eſt. Et PLINIVS, lolium ſic deſcribit, *lib. 18. cap. 17. Aerae granum minimum eſt in cortice aculeato. Cum eſt in pane, celerrime uertigines facit, aiuntque in Aſia et Graecia, balneatores, cum uelint turbam pellere, carbonibus id ſemen iniicere.* Sic refert POMPONIVS

nus probum hinc confici, ſcribit DIOSCORIDES, *lib. 1. cap. 117. ed. cit. p. 61.* qui pariter ericae flores et coma morſibus ſerpentum illitu mederi aſſerit, uti ex ſequentibus patet: *ἐρείκη δένδρον ἐστὶ θαμνῶδες, ὅμοιον μυρίκῃ, μικρότερον δὲ πολλῷ, οὗ τῷ ἄνθει μέλιτται χρώμεναι, μέλι ἐργάζονται οὐ σπουδαῖον· ταύτης ἡ κόμη καὶ ἄνθος καταπλασσόμενα, ἑρπετῶν δήγματα ἰᾶται.* Ericae floribus foliiſque uirtutem aperientem, lithontripticam, emmenagogam, antiſpaſmodicam, etc. multi tribuunt, de quibus lege BOECLERI *Cynoſur. mat. med. continuatam, Part. 1. cap. 6. p. 425. et 426. et cap. 7. p. 619. et 620.*

NIVS MELA, Geographus, Gethas quosdam, uini uſum ignorantes, in epulis, ſuper ignes, quos circumſedebant, ſeminum quaedam ingeſſiſſe, ſimilem ebrietati hilaritatem ex nidore producentia, ac quidem Plinianam Aeram. Hinc noſtri Lolium, non male *Suindel* et *Suimmel*, uertiginem, uocant. Eſt et alia hordeo et auenis innaſcens herba, quae uertiginem et ebrietatem inducit, *Boomus*, ſeu *Aegilops* dicta, cum Lolium triticeo agro quam maxime innaſcatur, triticumque ſimilitudine aliqua referat et ſpurium triticum a quibusdam auctoribus uocetur; multum uero ab eodem, uti Pliniana docet deſcriptio, iam allegata, differt. *d)*

Theſ.

---

d) A lolio capitis dolorem, ulcera, aliaque ſymptomata enata fuiſſe, hiſce GALENVS, *lib.* 1. *de aliment. facultat. cap. ultimo*, probat: μοχθηρᾶς μέντοι ποτὲ γενομένης ἀγωγῆς ἔτους, ἆιραι πάμπολλαι κατὰ τοὺς πυροὺς, ἐγεννήθησαν, ἃς οὐκ ἀκριβῶς οὔτε τῶν γεωργῶν ἐκκαθαράντων τοῖς εἰς ταῦτα ἐπιτηδείοις κοσκίνοις, ὀλίγον γὰρ ὁ σύμπας ἐγεωργεῖτο πυρὸς, οὔτε τῶν σιτοποιῶν διὰ τὴν αἰτίαν, ἐν μὲν τῷ παραχρῆμα κεφαλαλγεῖς ἐγένοντο πολλοὶ, τοῦ θέρους δ' ἐκβαλλόντος ἕλκη κατὰ τὸ δέρμα τῶν φαγόντων οὐκ ὀλίγοις, ἤ τι σύμπτωμα ἕτερον ἐγεγώνει, κακοχυμίας ἐνδεικτικόν. Quam maxime igitur, notandi ac culpandi cereuiſiae coctores, qui cerealibus potionibus, ſiue cereuiſiis, lolium ad-

Theſ. 13. Tum *Cannabis* Narcoticorum claſſi accen-

dunt, ut homines ebrios magis reddant; nam, cereuiſia haec aſſumta, primum inſaniam mouet, dein torpore et temulento ueterno cerebrum opprimit, et caliginem oculis inducit, reliquaque membra languida reddit, adeo ut porci uerius dicendi, qui talem potum hauſerunt, quam homines. Hinc lolio uictitare dicuntur luſcioſi et caecutientes, quos Graeci myopes uocant. Hinc PLAVTVS *in Milite Glor. Ac. 2. Sc. 3.* mirum eſt lolio uictitare te tam uili tritico. Quid iam, quia luſcioſus es, uerbero? Aedepol tu quidem caecus, haud luſcioſus. Nouit idem OVIDIVS, *lib. 1. Faſtor.* dicens: et careant loliis oculos uitiantibus agri. uid. BOD. *a* STAPEL, *not. ad Theophraſti hiſt. Plant. lib. 8. cap. 7. ed. cit. p. 942.* Lolium nihiloſecius, infelix merito ac noxium dictum, externe adhibitum, magnae uirtutis eſſe, ad ulcera putrida, gangraenam, lichenas, lepras, ſtrumas, iſchiagram, aliaque mala curanda, et conceptionem adiuuandam, docet DIOSCORIDES *lib. 2. cap. 122. ed. cit. p. 127. et 128.* hanc praeſcribens methodum lolio utendi: *αἶρα δύναμιν ἔχει περιχαρακτικὴν νομῶν, καὶ σηπεδόνων, καὶ γαγγραίνης, μετὰ ῥαφάνων καὶ ἁλῶν καταπλασσομένη· καὶ λειχῆνας ἀγρίους, καὶ λέπρας, σὺν θείῳ ἀπύρῳ καὶ ὄξει θεραπεύει· σὺν κόπρῳ δὲ περιστερᾶς καὶ λινοσπέρμῳ ἑψομένη ἐν οἴνῳ χοιράδας διαλύει, καὶ τὰ δύσπεπτα ῥήσσει· ἰσχιαδικούς τε σὺν*

accenſetur, iure quodam ſuo, cum non ſolum quoscunque dolores mitiget, internos, exter-nosue, ſed etiam, ſi quis in cannabino agello diu ſederit, aut dormiuerit, non ſolum inde luſcus euadit, ſed etiam uertiginoſus, et ebrius: quod mihi ipſi puero ſaepe contigit. Ex cannabis autem foliis, in pollinem tritis, Aegyptii bolos Caſtaneae magnitudinis, et placentas, conficiunt, quibus, quinque uel pluribus comeſtis, ſe ſe exhilarant, atque inebriant, ut PROSPER ALPINVS, uir curioſus, meminit, *lib. 4. de Med. Aegypt. cap. 2.* uocantque cannabem κατ' ἐξοχὴν, *Aſſis*, id eſt, herbam; Turcae uero *Aſrar* dicunt. Et GALENVS, *de Aliment. Facult. lib. 1. cap. 41.* largius ſumtam cannabim, caput ferire et grauare perhibet. Turcae autem cannabim eligunt, quae unici ſtolonis eſt, et ſterilis, Noſtris *Galla*, quaſi caſtratam dictam, eamque in fumo ſiccatam terunt in puluerem, quem melle excipiunt in formam Electuarii, quod appellant *Bengilik*, et pro uenere irritanda, laetitia excitanda, et ſomno conciliando, adſumunt. *e*)

Theſ.

μελικράτῳ ἑψηθεῖσα καὶ καταπλασσομένη ὠφελεῖ· σὺν ἀλφίτῳ δὲ ἢ σμύρνῃ, ἢ κρόκῳ, ἢ τῷ λιβάνῳ ὑποθυμιωμένη, συνεργεῖ ταῖς συλλήψεσιν.

e) Cannabi, uirtutem dilatandi cranii fiſſuras, ineſſe, teſtatur LENTILIVS, *Miſcell. med. p. 223.* Duas cannabis ſpecies, ſatiuam et ſilueſtrem, al-

Theſ. 14. Huc refertur *Lupulus*, qui non tantum

legat DIOSCORIDES, *lib. 3. cap. 165. et 166. ed. cit. p. 240.* de ſemine referens, ὅτι ἐσθιόμενος πλεῖον, σβέννυσι τὴν γονήν. Eandem ſententiam, ex HERODOTI *lib. 4.* deſumtam, fouet, et ſequentibus confirmat HESYCHIVS: καννάβις, Σκυθικὸν θυμίαμα, ὃ τοιαύτην ἔχει δύναμιν, ὥστε ἐξικμάζειν πάντα τὸν παρεστῶτα. ἐστὶ δὲ φυτόν τι λινῷ ὅμοιον, ἐξ οὗ αἱ Θρᾶσσαι Θράκες ἱμάτια ποιοῦσιν· Ηρόδοτος τοῦτο τὸ σπέρμα θυμιῶσιν. Fatetur ſimiliter PLINIVS, *lib. 20. cap. 33.* quod ſemen cannabis genituram uirorum extinguat. Clariora haec redduntur ex uerbis, quae GALENO, *lib. 7. de ſimplic. facultat.* leguntur: καννάβεως ὁ καρπὸς ἄφυσός τε καὶ ξυραντικὸς εἰς τοσοῦτόν ἐστιν, ὡς, εἰ πλείων βρωθείη, ξηραίνειν τὴν γονήν. Aquam lacuſtrem, in qua faſces et manipuli cannabis macerati, ac ſufficiente maceratione ad reliquos uſus praeparati fuerunt, adeo uenenatam eſſe, ut epota praeſentiſſimo ſit ſitientibus exitio, SIMON PAVLLI, Penae ac Lobelii ſuffultus teſtimoniis, teſtatur, *Quadripart. Botan. Claſſ. 3. ed. cit. p. 258. et 259.* Perhibet nihiloſecius citatus modo auctor, *l. c.* quod eidem, medicamentorum ex cannabe paratorum, apprime arrideat, euporiſton ruſticorum Belgarum, qui ſeminis cannabis contuſi medullam, ac liquido aliquo expreſſam, ictero laborantibus, initio ipſius mali, exhibent, et crebro non absque praeſidio, ſi quando ex ſola

tum dolorem omnem impoſitus ſedat, ſed et polentae incoctus facit cereuiſiam inebriantem. Etiam ſaccis lupulo plenis, ſi quis indormiuerit, ebrius euadit, et longo ſomno obnoxius. Hinc, quo magis cereuiſiae lupulatae fuerint, eo magis inebriant et ſoporant, ut Wiſmarienſis illa, quam uulgo *Wiſmars-Momma* nuncupant. Mulierculae noſtrae in doloribus uaginae poſt partum ſaeuis, lupulum lacti incoquunt, et colaturam ſiphone iniiciunt cum emolumento. *Lupulus* equidem *Salictarius*, Noſtris *Sice Humbla* dictus, pariter in defectu alterius, uſurpari ſolet, ſed non aeque inebriat. Fragrantiſſimi eſt odoris, et ſi torretur, pulueriſatur, ac tabaco pulueriſato miſcetur, odore ſuo pergrato uel optimos fallere poterit, ut ſaepe probaui. *f*) Sed

obſtructione, citra febrim, oritur. Ita quoque ſuccum cannabis in otalgia commendat DIOSCORIDES, c. l. ſcribens: *χλωρὸς δὲ χυλισθεὶς, ἁρμόζει πρὸς τὰς τῶν ὤτων ἀλγηδόνας ἐνσταζόμενος*. Plura de cannabis uiribus, et remediis exinde parandis, ac prudenter et cum fructu applicandis, habent KOENIGIVS, *lib. et Sec. cit. p. 767.* et HERMANNVS, *Cynoſ. mat. med. ed. cit. Part. 1. cap. 5. p. 367. ad 369.*

f) Lupulum ſalictarium, qui lupus PLINIO, *H. N. lib. 21. cap. 15. ed. cit. p. 389.* audit, uerius oblectamentis, quam cibis, annumerandum eſſe, aſſeritur. Sed, ſine dubio hic PLINIVS iulos ſeu turiones lupuli intelligit, qui aceto oleoque oliuarum,

Sed *Myrtus Paluſtris*, noſtris *Pors*, qui itidem a uulgo in cereuiſiis dementandis adhibetur, multo magis inebriat, et homines reddit fere amentes,

poſt coctionem leuem, conditi, optima praebent embammata. Lupulus uero, optimum, quo cereuiſiae condiuntur, ſubſidium praebet, certusque ſum, lupulum, uberiori etiam quantitate coctis additum cereuiſiis, modo rite ſit praeparatus, nullum detrimentum, maximum potius emolumentum, humanis allaturum corporibus; quod earum experimento cereuiſiarum ad ſatietatem euinci poteſt, quae largiori lupuli bene cocti copia ſaturatae, et ſtomacho et uniuerſo gratae ſalutaresque corpori deprehenduntur, ſi iuſta easdem hauriamus doſi. Nam lupulus, ſale uolatili fixoque, reſinae incluſo, praeditus, non tantum craſſa et uiſcida, uti loquitur Hermannvs, *Cynoſ. mat. med. edit. cit. Part. 1. cap. 6. p. 532.* incidit, et per ſudorem, uel urinam, expellit, ſed et blande ad ſomnum diſponit, atque in malo hypochondriaco, ſcorbuto, febribus chronicis, ſcabie, etc. laudatur. Mala huius uocabuli, lupuli nempe, ab Italo non intellecti, explicatio, ſequenti luſui Poetico anſam dedit: Italus audierat, potum quod Teuto pararet e lupulo, Cereris germine, fontis aqua. Non, ait, ulla tui libabo pocula potus, ſi coquis hoc catulos, ſordide Teuto, lupos. uide Hoffmanni *Luſus Epigrammaticos, Amſtelodami, in 12mo, 1663. ed. Cent. 3. epigr. 84. p. 64.*

tes, ut uidere eſt ſaepe ſaepius apud caupones noſtrates. Sic in Smolandia et diſtrictu Tiuſtenſi, Calmariae uicino, paratur ex maltha, melle, lupulo, et myrto paluſtri, potus genus, *Maſk-Murr* nuncupatum, ſapidum et clarum, ac maxime et fortiſſime inebrians, ita ut omnia inuerſa oculis adpareant, oculi rubeant, tumeantque, pedes titubent, uomitusque nonnullis excitetur grauiſſimus. Solent quoque fieri pocula ex radice paluſtris myrti, inebriantia ualde, qualia uidi Rewaliae, ſed parua. *g)*

g) Duas myrti ſpecies, alteram ſatiuam, ſilueſtrem alteram, Dioscorides, *lib. 1. cap. 155. p. 77. et 78.* ac *lib. 4. cap. 146. pag. 295.* allegat, et ſine dubio myrtus paluſtris, quem allegat auctor noſter, eſt myrtus ſilueſtris Dioſcoridis, alias quoque ruſcus, dicta, cum eadem turiones pariter proferat, ea ratione uſurpandos, ut lupuli. Credo pariter, myrtum, ſale uolatili oleoſo abundantem, cereuiſiis inditam, coctamque, uim inebriantem augere. Ad quae reſpexit Clemens Alexandrinus, myrtum prouocando riſui, qui frequens ebrietatis comes eſt, ſeruire, perhibens, dum ita *lib. 3. Paedagog. cap. 2.* loquitur: *ἂν δὲ μὴ χαίρῃ, γελῶντα διατελεῖ τὴν ἡμέραν ξυλήφιον μυῤῥίνης ἔχουσα λεπτὸν ἐν τοῖς χείλεσιν, ὥσε τῷ χρόνῳ σέσηρεν, ἄν τε βούλετ' ἄν δὲ μή.* Et, qui intimum, qui inter Bachum et Venerem eſt, nexum, perpendit, ſatis diſtincte perſpiciet, cur myrtus Veneri adeo grata ſacraque

Theſ. 15. Verum, ſicut ex cereuiſia lupulata, uel myrto paluſtri dementata, inſignis fieri ſoleat inſania, ita quoque natura hoc uirus propriis uiribus expellere ſolet, alterum per uomitum, per diarrhoeam alterum. Hinc quoque Noſtratium in fabulis communibus myrtus paluſtris et lupulus in ſtomacho ſic inuicem introducuntur loquentes:

Porſen och Humblan detaltes wid:
Lat oſſ ga up, der wy gingo nid;
Ney Swarad Humblan, ſom redlig en man:
Naſk dey ath rumpan, det fortaſt du kan.

Theſ.

antiquis fuerit; friget enim ſine Cerere et Bacho Venus. Bacho autem hinc myrtum conſecratam iudico, quia uſus eius internus, excitando motum, laetitiam producebat, corona uero ex myrto parata, capitique applicata, credebatur ebrietati reſiſtere, uti ſequentibus ATHENAEVS *lib.* 15. docet: *ἐνταῦθεν δὲ εἰς ἡδονὴν τραπέντες, τὸ μὲν εἰς συμφέρον, καὶ τοῖς ἐκ μέθης παραβοηθῶν ἐλαττώματος ὁ στέφανος, τοῦ πρὸς ὄψιν ἢ πρὸς ὀσμὴν ἐπιτέρπους ἐφρόντισαν· διὸ μυῤῥίνης μὲν στέφανον σύφοντα, καὶ τὴν οἴνων ἀναθυμίασιν ἀποκρουόμενον, ἔτι δὲ ῥόδινον ἔχοντά τε καὶ παρηγορικὸν σὺν τῷ κατὰ ποτὸν ψύχειν. Καὶ ὁ Φιλωνίδης δὲ εἴρηκεν, ὡς ὁ τῆς μυῤῥίνης στέφανος τὴν ἐκ τῶν οἴνων ἀναθυμίασιν ἀποκρούεται, καὶ ὁ τῶν ῥόδων ἔχει τι κεφαλαλγίας παρηγορικὸν πρὸς τὸ καὶ ἐμψύχειν.*

Theſ. 16. Sed *Abſinthium*, ſtomachalem herbam, ſi inter narcotica retulero et inebriantia medicamenta, nullus mihi uitio uertet, poſtquam cognouerit, plebeculam noſtram, uel lucri gratia, uel in defectu ueri lupuli, cereuiſiis incoquere. Fit inde potus maxime inebrians, dolor capitis uehemens, oculorum protuberantia et rubor, tanquam ex ipſo opio. Et ipſe per uitam quidem nullum inde extractum aut eſſentiam guſtare queo, ſine praeſentiſſimo capitis dolore, et oculorum inflammatione, ac rubore, quod et in aliis multis obſeruaui. Atque puto eiusmodi medicamenta literatorum oculis eſſe perquam pernicioſa. At homines quidam eo ſunt animo, ut, ſi modo uentriculo bene ſit, cetera non curent. Vis autem illa, quam abſinthium uentri impendit, conſiſtit in corroboratione fibrarum ſolidarum, ſicuti fit ab opio et reliquis narcoticis. *b*) Abſinthio compar

b) Abſinthium, decantatiſſimum remedium ſtomachale, aperiens, ac febrifugum, multis, ob uim narcoticam, ſummamque, qua ſcatet, acrimoniam, male audit. Maculas rubras, cum tibiarum eroſione, ex abſinthii uſu ortas fuiſſe, refert Hagendornivs, *Hiſtor. Medic. Phyſ. cent. 3. obſ. 92. pag. 406. et 407.* Compertum eſt, ſcribit Hoffmannvs, *lib. 3. de medicam. officinal. cap. 2. pag. 101. §. 6.* utrumque abſinthium, eſſe ualde nidorulentum, adeoque *καρηβαρικὸν*, uertiginem, capitis dolorem, apoplexiam generans. Sed,

compar ui inebriandi, eſt *Scarlaea*, herba, quae et

ut tranſeam medicorum lites, de diuerſis abſinthii ſpeciebus motas, atque a Lobelio *Aduerſar. p. 335.* explicatas, et diſcuſſas, ita non difficile eſſe iudico, diſcrepantes auctorum opiniones, de uiribus abſinthii latas, conciliare. Nam abſinthium, uti habet Tavvry, *Tract. de Medicam. Tom. 2. p. 34.* analyſi chymica examinatum, per retortam, lento igne, phlegma acidum, ſpiritum urinoſum, parum ſalis uolatilis, oleum, terram, et ſal lixiuioſum praebet. Si his addamus ea, quae ſapor amariſſimus, adſtringens, atque exſiccans, et odor graueolens, narcoticus, nos docet, ſatis comperiemus, experientia ſimul edocti clinica, quod abſinthium, maxime conducat, et citiſſime ſuccurat ſolidorum laxitati, a ſeri abundantia dependenti. Vnde abſonam eorum ſententiam iudico, qui abſinthio ſpecificam uirtutem ſtomachalem, hepaticam, febrifugam, etc. tribuunt. Multo minus congruum eſt remedium ad bilioſas uentriculi et inteſtinorum cruditates corrigendas atque eliminandas, uti iudicat Dioscorides, *lib. 3. cap. 26. p. 188.* haec de uiribus abſinthii afferens: *δύναμιν δὲ ἔχει θερμαντικὴν, συπ]ικὴν, πεπτικὴν, καὶ ἀποκαθαρκτικὴν τῶν ἐνηρεικότων ϛομάχῳ καὶ κοιλίᾳ χολωδῶν.* Nec decantatus abſinthii ſyrupus, cuius Borellvs, *Hiſt. Med. Phyſ. Cent. 1. obſ. 41. p. 49.* facit mentionem, pro uniuerſali anthelmintico et ſtomachali, habendus. Nec fide digna ſunt, quae ex Lacvna, Lemosio, aliisque, affert

et odore ipſo caput turbat, cereuiſiae uero in-
Mm 3 cocta,

Casp. a Reies, *lib. cit. quaeſt.* 43. §. 6. 7. *et* 8. *p.* 640. perhibens: adeo egregias et penetrantes, abſinthio, uires, ſtomachum confortandi, ineſſe, ut regioni epigaſtricae et carpis manuum applicatum, aut intra calceos geſtatum, nauſeam et uomitum tollat, atque appetitum proſtratum reuocet. Fundamento igitur ſuperius iam allato, quod abſinthii nititur principiis, in explicatione obſeruationum, ſalutarem abſinthii uſum, in diuerſis morbis probantium, uti debemus, quod nempe in iis omnibus conueniat, qui a ſeroſa ortum trahunt colluuie. Huius loci eſt Aetii, *lib.* 5. experimentum, ita de abſinthii uirtute differentis: *κάλλιςον δὲ καὶ ἀπόβρεγμα ἀψινθίȣ πίνειν, πρὸς τὸ ἀποσμῆξαι τὰ ἐν τῇ γαςρὶ ἠθροισμένα χολώδη καὶ δριμέα περιττώματα.* Eodem nempe haec ſententia applauſu, quo citata ſuperius Dioſcoridis, de cholagoga abſinthii uirtute, ſuſcipienda. Abſinthium appropriate a Dioscoride *c. l.* *βαθύπικρον* uocatum, ſimilem, qua bilis conſtat, materiam, in ſinu ſuo fouet, eamque hinc, exhibitum, auget, atque exaſperat; unde Poeta: turpia deformes gignunt abſinthia campi, terraque de fructu quam amara docet. Auerſor hinc plane Galeni conſilium, qui, *lib. 11. de ſimplic. cap.* 16. ad uentriculi hepatisque inflammationes curandas, abſinthium commendans, ſcribit: *τὸ Ποντικὸν ἀψίνθιον αἱρεῖσθαι βέλτιόν ἐςιν εἰς τὰς ἥπατος*

coƈta, amentiam introducit. Hinc illud Belgarum:

Bier met Scarley
Maecht de Boer bley. i)

Huic

καὶ γαςρὸς Φλεγμονάς. Cum enim uehemens et acre ſit remedium, non ſaltem hinc humorum attritus, ſed obſtructio etiam attritus atque inflammationis cauſa, augetur; quod probe perſpexit AVICENNA, *lib. 2. tract. 2. cap. 2. p. 249.* uim adſtringentem in abſinthio, potiorem eſſe uirtute reſoluente, aſſerens. Et hoc idem uberius explicat, *lib. 4. ſen. 1. tract. 4. c. 19. p. 78.* His GALENVS ipſe ſubſcribit, *lib. 6. de tuend. ſan. cap. 14. p. 392.* ingenue faſſus, quod abſinthium, iis, quibus pituita ſcatet uentriculus, aduerſiſſimum ſit, magis quippe pituitam praeſentem, tenui exhauſto ſero, incraſſans. Abſinthium praeterea, a PAVLLO, pro praeſentiſſima ebrietatis antidoto, habetur, ſequentibus uſo: κάλλιςον δὲ ἀψινθίȣ τὸ ἀπόβρεγμα πρὸ τῶν πότων λαμβάνειν· πάντων γάρ ἐςιν ἀκραιπαλώτατον. Sed, uſus iam docuit, in pauciſſimis ſaltem, quibus ſecretiones, ex neruorum laxitate, languent, hoc remedium, illum in finem, conuenire, contrarium plane, in contrariae ſubiectis naturae, praeſtando.

i) Scarlea, Sclarea quoque, horminum, gallitricum, tota bona, dicitur, atque analyſi chymica aliquid phlegmatis acidi, multum ſpiritus urinoſi, plurimum olei et ſalis fixi lixiuioſi, largitur. Et haec principia iam manifeſtat teter, grauis

Huic adiungo *Abutillon*, ſeu Altheam Luteam
Mm 4 Theo-

ac penettrantiſſimus odor, plurimis adeo infeſtus hominibus, ut eo ſolo uehementiſſimum capitis dolorem ſibi accerſant, uti haud ſemel expertus ſum. Per ſe hinc ſatis patet uirtus inebrians ſcarleae, a luxuriante ſalis uolatilis et ſulphuris impurioris copia, deriuanda. Valde hinc miror, quod KOENIGIVS, *Regn. Veget. Sect. 4. p. 868.* hormino, uirtutem ſpecificam, fluorem uteri curandi, tribuat, non perpendens, diuerſam huius mali originem, cauſam, indolem, ac ſymptomata. Eandem cenſuram meretur citati ſententia auctoris, qui prouocans ad HOFFMANNI *de ſpecific. antiſpasmod. p. 6.* teſtimonium, non ueretur cum eodem affirmare: praeſtantiſſimum ac praeſentiſſimum remedium antiſpaſmodicum atque anticolicum, prae aliis, eſſe horminum; ſed, quem latet, ſpaſmos, colicam, et alios ſimiles affectus, haud raro, ab impenſiore ſalis alcalini excedentis acrimonia, humorumque laudabilium inopia, oriri, ubi omnia, ſcarleae uſu, exacerbantur. Haec quaſi per tranſennam perſpexit HERMANNVS, qui, *Cynoſur. mat. med. ed. cit. Part. 1. cap. 6. p. 460.* ſcarleam in colica et hyſterica paſſione, fluxu albo mulierum, et uenere ſtimulanda, ſingulariter prodeſſe, aſſerit, ſed mox cautelam ſubiungit, ne in doſi excedamus, quia capiti grauedinem inducat. Paucis: ſcarlea, eſt remedium, hominibus robuſtis, maxima ſolidorum flacciditate, ſummaque ſeri

Theophraſti, cuius ſemen, ad unciam unam, eſt uehe-

abundantia laborantibus conueniens. Talem ſine dubio conſtitutionem habuit aegrotus Gassendi, qui, eodem teſte, *Phyſic. Sect. 3. p. 152.* hormini uſu a febre quotidiana liberatus fuit. Eodem modo, in ſimilis naturae ſubiectis uirtus aphrodiſiaca approbanda, de qua Dioscorides, *lib. 3. cap. 145. p. 232. δοκεῖ δὲ καὶ τοῦτο σὺν οἴνῳ πινόμενον συνουσίαν παρορμᾶν.* Verum enim uero inſtituas idem in ſiccioribus, ſanguineis, cholericis, melancholicis, experimentum, ueneris deſiderium plane extingui, amentiam contra, febrem continuam, inflammationem acutam, delirium furioſum, concitari, aduertes. Maxime igitur eorum oenopolarum conſuetudo improbanda, qui, uſu florum ſambuci, hormini, etc. uina corrupta emendant, iisque tum fragrantiam, tum robur conciliando, largam plurimis morbis materiam praebent. Ita idem peraeque cum cereuiſiis, quibus, uel addita myrto Brabantica, uel ſcarlea, maiores conciliantur uires inebriantes, comparatum eſt, quod nunquam ſoli lupulo bene cocto, ſed potius immixtis huiusmodi peregrinis herbis adſcribendum, uti de Cneſenako Guſtrouii, et aliis ſimilibus cereuiſiis fortioribus, notum eſt, de quibus ſequentes notandi uerſus, a Simone Paulli, *Quadripart. Botan. Claſſ. 3. p. 420.* allegati: Quale zythum, nemo eſt, qui neſcit, Zerbſta miniſtrat, Lipſia dat Raſtrum, dat Viteberga Cucuk. Puff habet Halla ſuum, ſed tellus Weſt-

uehemens narcoticum, et Indis familiare, ſolo uero aceto corrigendum.

Theſ. 17. Quibus addere poſſumus ſororio uinculo adfines plantas, *Cynogloſſum, k)* et *Nicotia-*

phalia Bardiaque uenit clarus ab urbe liquor.
Oppugnare potens Cneſenakum colla genuque,
Guſtrouii coquitur. Qui cupit, usque bibat.
Vnum prae reliquis, quod uitae balſamus audit,
et ſapit, et ſanum eſt, Roſtochienſe zythum.

k) Cynogloſſi uaria fuere fata, illudque iam laudibus ad coelum usque elatum, et in omnibus fere morbis adhibitum, iam pro peſſimo et perniciosiſſimo ueneno habitum, e foro medico plane eliminatum fuit. Manifeſta omnino uirtutis narcoticae, quae cynogloſſo inhaeret, indicia, praebet, grauis, quem ſpirat, foetor; hoc uero praecipue notandum, quod, uti ſcribit HERMANNVS, *Cynoſ. mat. med. Part. 1. cap. 1. p. 178.* cynogloſſa, in locis uliginoſis creſcens, odorem grauem, ad inſtar foetidi canis, obtineat, in locis contra ſiccioribus, inodora reperiatur. Eſt omnino cynogloſſum ex claſſe narcoticorum, ac plurimis ſcatet particulis ſalino-uolatilibus, et oleo foetido, ſubſtantiae terreae et phlegmati acido incluſis. Minus igitur eorum methodum approbare poſſum, qui narcoticam cynogloſſi uirulentiam, cinamomo, croco, caſtoreo, uti HERMANNVS *c. l.* refert, corrigere uolunt. Hoc omnino certum eſt, innumerisque euictum exemplis, pilulas de cynogloſſa, in tuſſi ferina, a

cotianam, uulgo *Tabacum*, peregrinam primo et ultromarinam herbam, ſed noſtris in hortis hodienum mire luxuriantem, tamque multis promiſcuae aetatis et conditionis hominum millibus in nauſeoſis fumorum deliciis ex cauata tibiola Samia, quod Anglorum eſſe inuentum, MAGNENVS putat, *de Tabac. Exercit. 6. c. 2.* prolicitorum, impenſe cultam atque expetitam. Quae gens, non aliter ac Virgilianus Cacus, cum Hercule in ſpelunca Auentini montis pugnaturus,

---

catarrhis acribus dependente, magnarum eſſe uirium, uti RIEDLINVS abunde, tum in *Millenario obſeruationum medicarum*, tum *in lineis medicis omnium annorum et menſium*, probauit. Melius uero, et tutius, imo citius, operantur dictae pilulae, ſi ſyrupo papaueris rheados ſolutae, exhibeantur. Ne uero cynogloſſam pro ſpecifico remedio anticatarrhali, et ita porro, habeas, diſcrepantes effectus, quos exhibent *Acta Naturae Curioſorum*, conſiderandi ſunt; ita diarrhoeae, a manipulo cynogloſſae, excitatae, exemplum habent *A. N. C. Dec. 2. Ao. 6. obſ. 202.* cum tamen eadem *N. C. A. Dec. 1. ao. 10. obſ. 32.* rationibus atque experimentis ſalutarem pilularum de cynogloſſa effectum in ſiſtendis excretionibus et fluxibus ſymptomaticis ob oculos ponant. Vide de his plura KOENIGIO, *lib. et Sect. cit. p. 818. et 819.* SIMONE PAVLLI, *lib. cit. Sect. 3. p. 311. et 312.* FRICCIO, *lib. cit. cap. 21. a pag. 364. ad 370.*

Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Euomit, inuoluitque domum caligine coeca.

Cuius plantae oleum, ad aliquot guttas tam uiroſum eſt, ut animali datum, conuulſiones excitet, ipſamque mortem. Cui congener eſt *Isquiamus*, Hyoſciamus, ſeu ſuum faba, alias Apollinaris dicta, et *Altercum*, SCRIBONIO LARGO, Auguſti Caeſaris Medico, *de Comp. Med. c. 181.* ab altercando ſic nuncupatum.

Theſ. 18. Praeter autem conuulſiones iam memoratas, ſenſibus turbatis, ſtupidos ac ſomnolentos, et amentes, ac capite dolentes homines reddunt. Sed ingenioſiſſimus BARCLAIVS, Satyricus et Poeta ſui temporis feliciſſimus, *Satyric. part. 2.* non ineliganti, pro more ſuo, carmine, uiroſos Nicotianae fumos execratur, ex quo haec decerpſi:

Planta nocens, o lethifero planta horrida fumo!
Te ſi ſemifero Cacus iactaſſet ab ore,
Alcidem uiciſſet odor. Te ſecula priſca
Si noſſent, poterant nocuis praeferre Cicutis,
Et de Cerberea natam te dicere ſpuma.
Tum ſi quis patriam uiolaſſet caede Senectam,
Huic mites nimium flammas, huic lenta putaſſent
Flumina; fumiferi potaſſet Nubila Peti.

Sed mirabuntur forte multi, me in numerum uenenorum retuliſſe Tabacum, famis et ſitis mede-

medelam, militum ſolamen, Nepenthes hodiernum, ſeu hominum infelicium anchoram ſacram, in obliuiſcendis animi curis, uirium ac roboris datorem, amuletumque contra quosuis morbos, et cuius fumo ipſe ſaepe ante annos aliquot memoriam paupertatis meae ad tempus excuſſi. Quin et ex LERIO, *Nauigat. Braſ. cap. 14.* notum eſt, Caraibes, ſacerdotes, petum, herbam accenſam, cannae praelongae imponere, et fumum in circumſtantes exſufflare, cum his uerbis: *accipite omnes ſpiritum fortitudinis, quo hoſtes noſtros ſuperetis.* Parili modo Maſſagetae apud HERODOTVM, *in Clio*, arboris cuiusdam fructum in ignem coniiciebant, cuius odore perinde inebriabantur, ac uino Graeco, inque cantus et tripudia ſollicitabantur. Id tamen hic dico, quod de aliis dictum fuit, eſſe illa et uenena, et medicamenta. Famis uero exinde tollitur ſenſus, quod inſtar opii ſit, non quod, ut HORSTIVS putauit, *Problemat. p. 102.* pituitae copia, quae ſuctu Tabaci ex glandulis oris extrahitur, deglutita, chyli ad inſtar concoquatur. *l*)

Theſ.

l) Duplicem, eamque plane contrariam, et potentiſſimam uirtutem, purgantem alteram, alteram narcoticam, in Nicotiana reſidentem, docuit uſus. Sale uolatili acerrimo et oleo foetido abundat Nicotiana, a quibus et uis emetica purgansque, et hypnotica ac ſtupefaciens deri-

Theſ. 19. Verum enim uero intra hos fumo-
rum

uanda. Circumſpectus igitur ſis in applicatione hiſtoriarum, quas Nicotianae uſus ſuppeditat. Non in dubium uocabo ſenis exemplum, qui uiſus aciem, uti teſtantur *A. N. C. Cent. 3. p. 12.* Nicotianae miniſterio, multos in annos conſeruauit. Credo pariter, uera eſſe, quae refert ZACVTVS LVSITANVS, *Med. Princip. Hiſtor. lib. 1. hiſtor. 1.* de uirtute Nicotianae, alopeciam praecauendi curandique. Nec iam ſub examen uocabo ſyrupi Nicotianae uirtutem antepilepticam, quam allegat citatus auctor, *cit. lib. hiſt. 30. p. 57.* Hoc ſaltem amice moneo, ſuadeoque, ne ex particularibus uniuerſales concluſiones formes obſeruationibus, cum tantum in operationibus remediorum diſcrimen, quantum in diuerſorum partibus et functionibus ſubiectorum deprehenditur. Ita Nicotianam, peruigilio anſam dediſſe, *A. N. C. Dec. 1. Ao. 8. obſ. 86.* docent. Icteri exemplum, quem Nicotiana excitauit, affert BORELLVS, *lib. cit. Cent. 4. obſ. 31.* Quantam labem dentibus Nicotiana affricet, multis exemplis, *A. N. C. Dec. 2. Ao. 2. obſ. 163. et Dec. 3. Ao. 9. obſ. 10.* probant; ut iam nihil dicam de morte, fumo Nicotianae excitata, cuius ſimiliter mentionem faciunt *A. N. C. Dec. Ao. 6. obſ. 56.* De Nicotianae uiribus plura notatu digna inuenies KOENIGIO, *lib. et Sect. cit. a p. 932. ad 936.* BARTHOLINO, *Cent. 6. hiſt. 17.* HORSTIO, *Manuduct. ad Medicin P. 1. c. 1. S. 1.* MAGNENO,

rum cancellos non conſtitit nouatorum ſolertia; placuit et alia forma uenenum magis reddere peſtilens, ſcilicet ex Tabaco toſto, aliisque interdum admixtis, per trituram parari ſolet *Farina*, ſeu *Puluis*, Italorum inuento, qui per aliquot iam annos tantum applauſum meruit, ut nullus ſit ſexus, nulla tam humilis caſa, quae eius uſu non delectetur. Et, ſicut non nego, puluerem hunc, ſtimuli uicem agere in excutienda per nares pituita, eaque reſoluenda, ingeniique ui parumper excitanda: dum uero ad quamcunque inſpirationem a quibusdam ſumitur, ipſi uideant, numne oriatur exinde aliquid mali, dolores capitis, ſtupores, et pallores. Saltem Natura hebetatur, ut uel nullo ex ſtimulo moueatur. Et tales plerumque ſtupeſcunt, nec ſunt alacres, niſi a ſomno quaſi per puluerem hunc expergiſcantur, praeterquam quod faciem ſibi defoedent, naresque obthurent, quas HIPPOCRATES, *Epidem. lib. 6. Sect. 2.* iuſſit eſſe apertas, et Natura eum in finem conſtruxit. Medicamentum eſſe, non nego, in oculorum fluxu, ſurditate, et dolore capitis, ex pituita. Sed Natura Sana medicinis tentari non debet. Et praeterea odorem omnem

de Tabaco, Exerc. 6. §. 14. p. 131. HERMANNO, *Cynoſur. Mat. Med. Part. 1. Cap. 6. a p. 541. ad 545.* FRICKIO, *lib. cit. cap. 13. a p. 252. ad 264.* SIMONE PAULI, *Comment. de abuſu Tabaci et Herbae Theae, annexo Quadripart. Botan. ed. cit.*

omnem plurimi amittunt, et, quod peſſimum eſt, palleſcunt, atque exareſcunt; quia, tum ex tali irritatione liquidum ſeroſum ſemper extruditur, ſanguinis reliquum coit, per pulmones praecipue; hinc macies, et ex pituita craſſa immeabili per cutim translucente, pallor.

Theſ. 20. Quod attinet *Hyoſcyamum*, cuius ſemina ab HIPPOCRATE olim, et modernis aliquot Medicis in ſanguinis ſputo quam rectiſſime poſt uenae ſectionem uſurpantur. Sed radices ſunt uitandae, namque amentiam inducunt certiſſimam. Contigit, cum adhuc puer eſſem, Carlſtadii, quae urbs eſt Wermlandiae, Ao. ni fallor, 1682. quod multorum quoque adhuc recenti eſt memoria, ut faber quidam ferrarius, nomine Benedictus, Magni filius, a Praefecto Carceris, Laurentio, aliquando peteret radices paſtinacae, ex horto Regio, e regione domus Parentis mei ſito, tempore in autumnum uergente, quas iuſculo carnis uellet incoquere, in ſtomachi eſurientis ſolatium meridianum. Erat iſte Laurentius, uir ad aſtutiam factus, uariasque nequitias, quibus tamen lepores uarios ſalesque tam artificioſe inſperſit, ut in odium non facile incurreret. Dicebatur uulgo *Stygge Laſſe*, ſiue Laurentius Horrendus. Ergo, ut fabrum, amicum ſuum, ſimul adiuuaret, et falleret, miſit radices aliquot hyoſcyami grandiuſculas, abſciſſis bene foliis, ne aſtus proderetur. Quae, cum candore ac forma paſtinacis eſſent ſimiles, iuſculo incoquuntur. Paratis

omni-

omnibus, fit prandium, coniugem et liberos in menſae ſocietatem adſumente fabro. Paulo uero poſt incipiunt omnes furere, geſtusque uarios ridiculos non minus quam horrendos exhibere, linguis aridis labrisque, et faucibus aſperis, cum ſiti immodica et febre, donec ſomnus altior ſtertoroſus opprimeret, longaque quiete uirus ingeſtum ad ſenſus ſanioris reditum excoqueret ac deſpumaret. Et adhuc radices hyoſciami, plebi Carlſtadienſi *Stygge Laſſes Paſtinackor*, Paſtinacae Laurenti Horrendi, adpellantur. *m*)

Theſ.

m) Rarius hyoſcyami folia et radix, frequentius eius ſemina in foro medico uſurpantur, ſcopo conuulſiones curandi, excretiones ſymptomaticas ſedandi, ſomnum procurandi. Si SVIDAM euoluas, *ὑοσκύαμον, εἶδος βοτάνης δηλητηριώδους, μέλαν ἔχον σπέρμα*, dicitur. Tria hyoſcyami genera allegat, eorumque uires et uſum in calidis acribusque catarrhis, aurium aliarumque partium doloribus, oculorum, pedum, ceterorumque artuum et uiſcerum inflammationibus, arthritide, iſchiagra, podagra, etc. docet DIOSCORIDES, *lib. 4. cap. 69. p. 269. et 270.* Hyoſcyamum, a ſuibus, quaſi *ὑὸς κύαμον*, hoc eſt, ſuis fabam, quidam dictum uolunt, prouocantes ad AELIANI teſtimonium, qui *hiſtor. uar. lib. 1. cap. 7.* haec narrat: *ἦσαν ἄρα οἱ σῦς οἱ ἄγριοι ἰατρικῆς οὐκ ἀπαίδευτοι, καὶ θεραπείας ἅμα· οὗτοι γοῦν, ὅταν αὐτοὺς λαθόντες, ὑοσκυάμου φά-*

Theſ. 21. Amentia autem iſta et delirium oritur a particulis ueneni acribus nonnihil et pungentibus, fibrillas membranaceas uiſcerum abdominis irritantibus et uellicantibus, ſimulque etiam aliorum uaſorum elaſticos ſeu oſcillatorios augendo motus, impetuoſum cerebro ſanguinis et ſpirituum influxum conciliantibus, ex quorum inordinata in ſenſorium commune

Nn actione,

γωσι τὰ ἐξόπισθεν ἐφέλκουσι παρειμένως ἔχοντες οὕτως ἑαυτῶν εἶτα σπώμενοι, ὅμως ἐπὶ τὰ ὕδατα παραγίνονται, καὶ ἐνταῦθα τῶν καρκίνων ἀναλέγουσι, καὶ ἐσθίουσι προθυμότατα. Γίνονται δὲ οὗτοι τοῦ πάθους φάρμακον, καὶ ἐργάζονται ὑγιεῖς αὐτοὺς αὖθις. Apoplexiae et paralyſi anſam materiamque praebere hyoſcyamum, indicat XENOPHON, in *Oeconom.* ſcribens: *τὸν ὑοσκύαμον φαγόντες παραπλῆγες γίνονται.* Perniciofiſſimum uero uirus, hyoſcyamo, nigrum ſemen obtinenti, adſcribit GALENVS, *lib.* 8. *ſimplic.* ingenue faſſus: *ὑοσκύαμος, ὁ μὲν τὸ μέλαν ἔχων σπέρμα, μανιώδης τε καὶ καρωτικὸς ὑπάρχων, πλήσιον δ᾽ αὐτοῦ τὴν δύναμίν ἐστι καὶ οὗ τὸ σπέρμα μετρίως ξανθόν ἐστι· φεύγειν δὲ ἀμφοτέρους, ὡς ἀχρήστους τε καὶ δηλητηρίους.* Maxima tamen uirtus in hoc ſemine, grauiſſimos extirpandi morbos, haeret, modo neceſſaria iudicii, probe informati, uis, in applicatione, adhibeatur, uti praeter alios, FRICCIVS, *l. c. cap.* 16. *a p.* 290. *ad* 318. *et* KOENIGIVS, *lib. et Sect. cit. a p.* 868. *ad* 872. demonſtrarunt.

actione, hoc eſt, in ipſa neruorum principia, ubi ſubſtantia cerebri corticalis uertitur in medulloſam; ſequitur, quod erat dicendum. Sed penetrant etiam haec uenena in cerebrum ipſum, ibique agunt in neruos. Sic in phrenitide, cum materia acris alkalina cerebro incumbit, itemque in mania, idem obſeruatur phaenomenon.

Theſ. 22. Praecedere uero amentiam ſemper ſolet temulentia et titubatio, ſecundum illud *Pſeudolog. Plautini Act. 5. Sc. 1. ebrii.*

- - magnum hoc uitium uino eſt;
Pedes captat primum: luctator doloſu'ſt.

Quando nempe liquida, inaequali et uario motu a ſolidis agitata, in cerebri ſolida inaequaliter agunt. Hinc enim mens perturbatur, et confuſe omnia concipit, confuſe ſibi communicata. Et, ſicut retina oculorum tunica, neruique optici, ex hac uariata actione uarie etiam trahuntur, nunc in rectum, nunc in obliquum, nunc ſurſum, nunc deorſum, fit et caligo oculorum, et, quae ab apparente uiſibilium circumgyratione denominata fuit, uertigo. Si uero tam fortis fluidorum et ſolidorum in ipſas cerebri fibras actio fuerit, ut a naturali temperie et muſica ſua harmonia diuellantur, et confundantur, peruerſa oritur in mente ſenſatio, quam amentiam et inſaniam dicere conſueuimus.

Theſ. 23. Hoc interim in illis obtinet, quibus arterioſi canales ampli ſunt, eis uero, qui eosdem accepere anguſtiores, facile conuulſiones contingent, non ſolum ex irritatis neruis, ſed

quoque

quoque ob ſanguinem in anguſta uaſorum latera impetuoſius ruentem. Fortaſſis non ſecus, ac duorum compotatorum, neruis aequalibus, ſed arteriis cerebri amplitudine inaequalibus, gaudentium, alter, qui maiores habet arterias, citius fit ebrius, ac delirans, alter uero citius dolore capitis laborabit; maiore liquidi mole, ad ampliores arterias et ductiliores in dolorificum extenſionis gradum diducendas, requiſita, quae, in minori diametro, doloris ſenſum excitaret, ut Cl. PITCARNIVS, *Diſſert. 6. §. 14. p. m. 113.* demonſtrauit. Hinc non malum conſilium dari ſolet illis, qui ex heſterno Bacho capite laborant, ut de nouo bibant, quod Noſtri prouerbialiter dicunt, *Tag boet, der du ſick ſooth.* Forte, ut uaſa, quae ex mole ingeſtorum potulentorum diſtenta, doloris ſenſum excitabant, in eodem diſtenſionis tono conſeruentur, quo ſic conſueta nullum ſui ſenſum excitent. Hin Schola Salernitana:

Si nocturna tibi noceat potatio uini,
Hoc tu mane bibas iterum, et erit medicina.

Theſ. 24. Atque haec enumerata, et quae ſequuntur narcotica uenena, fuere illa, quae ueteres conclamati frigoris uenena uocabant, argumento hoc, quod ſanguinem coagularent. Quorum etiam in numero, unanimi conſenſu, cicutam ponebant, donec a CARDANO, *lib. 1. de Venen. cap. 20.* et WEPFFERO, *l. c.* ſuus ſibi calor illis omnibus uindicaretur. Cogi humores, horum uſu uenenorum, negabit nullus, ſed hoc

fieri, quod ſint frigida, unusquisque contradicet, cum in aperto ſit, calorem corporis uel tum maxime regnare, cum quis inde laboret. Quin Opium, ceteraque guſtu amara, ſunt acria et calida, et aliquantiſper ore detenta, linguam et palatum urunt, atque inflammant, ſitim excitant, et febrim calidam. Rectius ergo HELMONTIVS, *de Lithiaſ. cap. 9. n. 61.* aeris frigus appellat narcoticum, quatenus paralyſin inducit, cuius rei duo celebria uidi exempla, alterum Stockholmiae, 1708. alterum in Regiae Claſſis Ammirali, illuſtriſſimo Barone, Cornelio Ankarſtierna, Ao. 1709.

Theſ. 25. Huc referuntur etiam a nonnullis *Spiritus potusque inebriantes*, itidem robur primo augentes, dein inducentes ſomnum, quod in Bachi turba pleno die adparet. Variorum denique obſeruatis conſtat, halitus fermentantium uinorum, cereuiſiae, aliorumque ſuccorum, in cellis magno numero oberrantes, uel per exiguum uaſis fermentantis foramen naribus exceptos, in apoplexiam, id eſt, morbum cum ſomno ſubito lethalem, homines ſaepenumero dediſſe praecipites. *Vini faeci tanta uis eſt*, dicente PLINIO, *lib. 23. cap. 2. ut deſcendentes in cupas enecet.* Conf. PETRVS BORELLVS, *Cent. 2. Obſ. 4.* et RAMAZZINI, *de Morb. Artif. cap. 21.* Hinc ſolent, in ipſis cellarum, quae noua continent uina, gradibus,

dibus, incendere ignes, uel et in ipſis reponere carbones ignitos, cum inſperſis lauri uel iuniperi baccis, ut uapores ſic conſumantur, uel abeant in auras.

Theſ. 26. Quanam autem ratione, arduum eſt explicatu. Illud certe probabile uidetur, hoſce fermenteſcentium liquidorum uapores, uel ita eſſe acres, ut in inſtanti corrumpere queant ipſos pulmones, hominemque ſic ſuffocare peripneumoniacum; uel exiliſſimis ſuis particulis ipſa uaſa ſanguinea intrare, ibique humores ualide coagulando, apoplexias, uel ſopores, pro coaguli magnitudine, concitare, non ſecus ac rectificatiſſimi tales uinoſi ſpiritus liquida animalium in experimentis coagulant. Sed rumor diu iam inualuit apud uulgus, omnes, qui ſubito moriuntur, mori apoplecticos, quod tamen in tali morte ex halitu fermentantium liquorum, uel graui uapore elychnii ſebacei, non adeo uerum eſt.

Theſ. 27. Vnde deprehendimus, quod corroſiua uenena, quatenus liquida cogunt, et obſtruentia, quatenus liquida immeabilia reddunt, omniaque generatim acria, eſſe ſoporifera, nec tantam eſſe eorundem differentiam, quanta uulgo ſtatuitur, ſaltem in hoc negotio: poſſeque narcotica non male, referri inter illa uenena, quae acrium claſſem ſupra compoſuere, ſi res ad liquidum accuratiore calculo reduceretur, niſi eſſet neceſſario claſſis conſtituenda uenenorum immediate in ſpiritus ani-

 males

males, ſeu ſuccum neruoſum, eiusque uaſa, agentium. Hinc et facile inducor ad credendum, ueteres poetas, rerum naturalium antiquitatumque promos, curioſosque condos, cum uidiſſent, ex ſtygiis aquis, h. e. acribus metallicis liquoribus, fieri ſomnos, inter uenena ſoporitera facile easdem retuliſſe. Vnde Maronis uenuſtiſſima Muſa, ſomnum, Deum, fabulatur, ſtygiam mutuatum fuiſſe aquam, cum Palinurum, nauis Aeneae gubernatorem, ita indormire feciſſet, ut in mare praecipitaretur. Poeta ſic *lib. 5. Aeneid.*

Ecce Deus ramum Lethaeo rore madentem,
Vique ſoporatum ſtygia, ſuper utraque quaſſat
Tempora, cunctantique nutantia lumina ſoluit.

Theſ. 28. Eſt quoque in Indiis uſitata radix, *Bethel* dicta, quam Barbari ore mandunt, mireque hinc recreantur, ad labores tolerandos, languorem diſcutiendum, coitumque inſtaurandum. Inebriant quoque largius comeſta. Quin et ſingulari artificio potus inde conficitur inebrians. Anus enim, puellae, et pueri, poſt paſtum mandunt gnauiter radicem, ſputumque exſpuunt in uas in hos uſus ſepoſitum; reponitur in dolia, et fermentatione finita, dat genus cereuiſiae. Quidam putant, eſſe radicem Iuccae Americanae. In Itinerario GVILLELMI SCHOVTENII, *p. m. 45.* radix haec *Kaua* adpella-

pellatur, ſed modus inde praeparandi potum idem deſcribitur. Poſt paſtum autem ſolummodo fermentum ſaliuae ineſt, ex uegetabilibus adſumtis, clariſſimo argumento, intra uaſa ſanguifera non eſſe fermentationem. Huc referri poteſt radix *Gimſem* Sinenſium, *Niſi*, Iaponenſibus dicta, quae itidem uenerem mouet, atque inebriat.

Theſ. 29. Vini quidem ſpiritus defecatior, os, linguam, palatum, faucesque exurit, inflammat, et febrim excitat, ac calorem magnum, cum ſiti ardentiſſima, non ſecus ac Opium, et Mandragorae radix, ceteraque narcotica; num uero, ab eius uſu immodico, ſimul et ſemel facto, flamma excitetur coerulea, prout multos audiui ex uulgo fatentes ſe hoc uidiſſe, quae continuo quaſi riuo exeat per os, adhuc dubito, donec proprios oculos hoc horrendo ſpectaculo paſcere licuerit, fidemque ex uulgari dependentem ſermone explere.

Theſ. 30. Chinenſes, auariſſimi ſimul et aſtutiſſimi homines, uenditant ſpiritum quendam ardentem, ex ſquilla herbisque littoralibus et oryzâ paratum, quem *Arak* uocant, cui, dum deſtillatur, nefario inuento lepores marinos, ſeu holothuria, admiſcent, quae tam exurentis ibi ſunt caloris, ut ſolo attactu ueſicas in cute excitent. *n*) Hinc ergo fiunt exulcerationes pul-

 monum,

n) Simili fere artificio utuntur noſtrates, qui, ad augendas ſpiritus uini uires, millepedes, grana

monum, ſanguinis ſputa, tabes, et mors; namque partes, tanquam a ſtrigili interno, abraduntur, ut BONTIVS habet, *de Med. Ind. lib. 2. Dial. 3. et l. 4. obſ. 7.* PHILIPPVS uero BALDAEVS, *Deſcr. Malabar. et Cormand. c. 26. p. m. 98.* Arak componi ſcribit, ex ſucco arboris *Klappus*, quem ſuccum, modice potum, eſſe ſalubrem, prodit, contra, immodice. VINCENTIVS *le* BLANC, *Voyag. chap. 10. p. 1.* Arecam, eſſe cibi quoddam genus ſapidiſſimum Ormitanis, ſcribit. Praeterea GVILIELMVS PISO, *de Med. Braſ. lib. 1. cap. 12.* refert, militum et Afrorum promiſcuam turbam, olente illo potu, qui *Garapa* uulgo adpellatur, ſe implere, quem caupones ex nigro ſacharo conficiunt, cum aqua et foliis Acaiu; qui tamen modice adſumtus, non ſit noxius, Nec multo ſalu-

na piperis, et alia penetrantia, ac corroſiua plane, addunt. Damnanda plane peſſima conſuetudo, quae apud omnes fere gentes, quaſi contagio per uniuerſum propagata orbem, graſſatur, ſpiritum uini, ordinarii loco potus, adhibendi; Sed, cum uberiorem iam auctor noſter explicationem incommodorum, ſpiritus uini abuſui ſuccedentium, ſuggeſſerit, ad ea ſaltem funeſta prouoco exempla, quae afferunt GARMANNVS, *de Mirac. Mort. lib. 2. tit. 9. §. 75.* FABRICIVS HILDANVS, *Cent. 4. obſ. 39.* ZACVTVS LVSITANVS, *Prax. Admir. lib. 3. obſ. 109. A. N. C. Dec. 1. ao. 4. obſ. 17.*

ſalubrior eſt, quem ruſtici noſtrates et caupones pipere inficiunt, fauces primo, deinde uentriculum, inteſtina, uaſa ſanguifera, et pulmonem exurente, atque exſiccante. Quem utinam non biberent noſtrates milites et nautae, non tot funeribus, nec tot inſanabilibus pulmonum morbis noſtra ingemiſceret chariſſima patria. Sed, quid ſurdis fabulam narro?

Theſ. 31. Et, cum ſermo incidit de ſpiritibus uinoſis, illum morem leuiter attingam, uel illam potius legem, qua tam multi ſeſe obſtringunt, quouis mane; aut in fine cuiuſuis prandii, uel coenae, ad ſpiritus uini hauſtum, uel plures, bibendum, praecipue uero, quando piſces ederunt recentes, oſtrea, carnesue pinguiores. Quo autem in caſu, ſpiritus uini cum fructu adhiberi poſſit, uideamus ex experimentis. Notum autem eſt ex antecedentibus, acidos non tantum metallorum ſpiritus, et alkalinos putrefactiuos, ſerum ſanguinis, et albugineam oui partem coagulare, ſed etiam ſulphureos, ſeu oleum puriſſimum fermentatum, ſpiritum nempe uini defecatiſſimum illum, quod primum, ni fallor, expertus eſt illuſtris VERVLAMIVS, *Hiſt. Vit. et Mort. Artic.* 2. *§.9.* Etiam experimenta nos docent, eundem uini ſpiritum oleoſa et reſinoſa reſoluere, ſuae naturae homogenea; reliqua uero corpora non diſſoluere, ſed in ſtatu ſuo per longum tempus, inſtar balſami potentiſſimi, conſeruare integra.

Theſ. 32. Si ergo ſpiritus uini alimentis pinguioribus ſuperpitiſſetur, credibile eſt, illum aliquid conferre ad iſta diſſoluenda; ſi uero, uti mos eſt, cuicunque ciborum generi ſuperbibatur, iuxta ueroſimile eſt, illum nihil efficere minus, quam quod uel ſibi exinde pollicentur, quin potius haec alimenta magis conſolidet et induret, debitaque per uiſcerum actionem comminutione obtinenda fruſtretur. Videmus enim, uini ſpiritu rectificato, embryones, carnes, uiſcera, piſces, ſerpentes, uolucres, et inſecta, in uitris, per longum annorum tempus, uiuaciſſima ſibi ſimilitudine, conſeruari poſſe. Sed unum eſt, quod mihi regeri poſſit, nempe eundem ſpiritum, cibis ſuperpotum, roborare uiſcera, ut melius ſic chylificationem peragant. Quod negare non auſim, pariter ac ex opio, uino, ceterisque narcoticis omnibus, robur uiſceribus conciliatur. At, quidquid in modica doſi corpus recreat, et roborat, in maiori eneruat, ac hebetat, praeſertim, ſi frequentius adhibeatur. Et, licet quoque facile largirer, ſpiritum uini per ſtimulationem exiliſſimas et mobiliſſimas alimenti partes excutere, inque ſanguineum aluum deportare: rudiores tamen et craſſiores magis nutritiae moles, non ſolum ex iſto ſpiritu ſolideſcunt, ſed etiam uaſorum elaſticae fibrae per iſtum uehementem ſtimulum iam nunc delaſſatae et elanguidae, impares euadunt ad reliquum chylificationis opus abſoluendum.

Theſ.

Theſ. 33. Hinc quoque animaduertimus, ſpirituum eiusmodi ſtrenuos potatores ſaepiſſime incidere in uitia iuſtae chylificationis et ſanguificationis, dum uaſa non ſolum inteſtinalia elangueſcunt continuo ſtimulo, et ipſa natura ſolidorum tot motibus tota paullatim fatigatur, ac peruertitur, ſed et ipſum cruoris ſerum coagulatur, et, ut iniectiones clariſſime ad oculum docent, ipſe ruber ſanguis; atque ſic facillime haereat ſerum in uaſis ſanguiferis lymphaticisque, atque emiſſariis cutis, hydropemque producat et leucophlegmatiam, totiusque corporis tabem. Enumerat PLINIVS prolixiore magis catalogo ebrietatis nocumenta, dum *lib.* 14. *cap.* 22. ſic infit: *hinc pallor, et genae pendulae, oculorum ulcera, tremulae manus, effundentes plena uaſa, et quae ſit poena praeſens, furiales ſomni, et inquies nocturna, proemiumque ſummum ebrietatis, libido portentoſa, ac iucundum nefas: poſtero die ex ore halitus cadi, ac fere omnium rerum obliuio, morsque memoriae.* Hinc Sueui olim, memorante IVLIO CAESARE, *Bell. Gallic. lib.* 4. uinum ad ſe adportari non ſinebant, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines atque effoeminari arbitrarentur. Quae patrum abſtinentia, utinam in poſteris inueniretur.

Theſ. 34. Praeter uero haec mala, ex uini crapula, tanquam ex Lernaea Hydra, propullulantia, et ſanitati corporum noxia, nullum equidem

dem uenenum tantam moralitati actionum humanarum inuſſit labem, ac illa meri nimia cupiditas. Vbi enim frequentiora ſtupra, ubi tot caedes, tot rixae, tot nugae, tot peierationes, adulationes, mendacia, crimina, et cetera longo agmine mala? Hinc CVRTIVS, poſtquam Alexandrum illum Magnum praeclara facinora patraſſe per uirtutem et temperantiam ſcripſiſſet, in contrariam uiam tendente Rege, ſic tandem *lib. 5. cap. 7.* egregium in modum fatur: *Ceterum ingentia animi bona, illam in ſubeundis periculis conſtantiam, in rebus moliendis efficiendisque uelocitatem, in deditis fidem, in captiuis clementiam, in uoluptatibus, permiſſis quoque et uſitatis, temperantiam, haud tolerabili uini cupiditate foedauit.*

Theſ. 35. Dixi, tabem et pallores hinc oriri. Accederem etiam facillime ad ſententiam uiri clariſſimi, ADRIANI TVRNEBI, qui in egregio *in Vinum Commentario*, hominum in terris uiniferis oriundorum humilem exilemque corporis ſtaturam, et pallentem eorundem uultum, ex uini potu deducit; praeſertim, ſi putemus, uina calidiora atque acriora coagulare humores corporis, eaque ratione impedire, quo minus per pulmones in debitas minutias diſcerpti, corpus nutrire, atque augere queant. *Prorſus ut iure dici poſſit, neque uiribus corporis utilius aliud, neque aliud uoluptatibus pernicioſius, ſi modus abſit*, uerba

ſuat

ſunt PLINII, *lib. 14. cap. 5.* Dum enim modus adſit, dicente eodem PLINIO, *lib. 23. cap. 1. uino aluntur uires, ſanguis, calorque hominum.* Vino modico nerui iuuantur, copioſiore laeduntur, ſic et oculi. Stomachus recreatur, appetentia ciborum inuitatur, triſtitia et cura hebetatur, urina et algor expellitur, ſomnus conciliatur. Ideoque ſeueriſſimos homines uino uidemus miteſcere et cicurari. Quare ZENO CITICVS, Philoſophus ſummus, ſed difficilis et iracundus ualde, cum inter amicos uino indulſiſſet, ſuauisque factus eſſet ac placidus, ſciſcitantibus cauſam, reſpondit, lupinis ſe ſimilem eſſe aſperrimis, priusquam irrigentur, poſtea dulcibus et boni ſaporis, ut eſt apud ATHENAEVM, *Deipnoſoph. lib. 2. c. 13.* Hinc pulchre Lyricus ad Amphoram ſuam *Carm. lib. 3. Od. 21.*

Tu bene tormentum ingenio admoues
Plerumque duro: tu Sapientium
Curas, et arcanum iocoſo
Conſilium retegis Lyaeo.
Tu ſpem reducis mentibus anxiis
Viresque, et addis cornua pauperi,
Poſt te, neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

Theſ. 36. Et ſicut alcohol uini, uaſa corporis maiora continuo ſuo ſtimulo delaſſat, humoresque cogit, ita ultima etiam uaſorum ſolida, ſiue

ſiue canales ultimos et minimos poteſt adurere, atque indurare, ſicque omnino obthurare; pariter ac uidemus idem alcohol uini excalefactum, et membro amputato admotum, haemorrhagiam omnem, incantamenti ad inſtar, ſiſtere ac refraenare, uel et neruos in ſuo principio afficiendo, doloris inſenſilitatem ſeu ſtuporem et narcoſin inducere. Nec pariter diſſimulandum eſt, uini ſpiritum, per ſe epotum, uel cum cortice Indico in tincturam redactum, in diarrhoeis, dyſenteriis, lienteriis, ſudoribus colliquatiuis, ſub fine febrium ſymptomaticis, aliisque ſecretionibus nimiis, et praeternaturalibus, uicem gerere alterius cuiusdam Opii, atque eiusmodi euacuationes ſiſtere et ſufflaminare, ſicut obſeruauit WILLIS, in dyſenteria ſeroſa Londinenſi, ut habet *Pharmac. Rat. Sect. 3. c. 3. p. m. 120.*

Theſ. 37. Et, ſi ſupponas, Mechanica a me infra prolixius dicenda, tales ſecretiones inde tolli, quod uaſa maiora corrugentur et criſpentur, minorum uero oſcula hoc modo claudantur, patet, eundem uini ſpiritum, alibilis chyli in orificia lacteorum ingreſſum, non adiuuare, ſed impedire. Accedit porro hoc incommodi, quod ſtimulata et titillata ualidius uaſa ſanguiduca, cruorem impetuoſe per corpus deferant, compreſſisque in cerebro neruis, apoplexiam inducant, uel, ſubtiliſſimis et liquidiſſimis per ſtimulum uaſorum continuo euaporatis,

tis,

tis, tales homines ſemper torpidi fiant, ſanguine reliquo coacto et craſſo, tardisſime per ſuos canales delato. Videſis BELLINVM, *de Miſſ. Sangu. Propoſ. 9. de Stim. p. m. 180.*

Theſ. 38. Et talis certe Naturae Mechanica clarisſime demonſtrat, ſpiritum uini, ſeu aquam uitae, in aquam mortis facillime ſic conuerti, inque uenenum noxioſiſſimum. Nec ullus unquam huius Nectaris profuſus fidelisque amator diu ſanus uixit, quin ſemper miſerrime atque triſtiſſime. Dicam itaque cum Damoeta Virgiliano, *Eclog. 3.*

Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Adponi ergo huc merito poteſt illud PLINII, *lib. 2. c. 36. Terra nobis malorum remedium genuit: nos illud uitae fecimus uenenum.* Sed difficulter iſta obtinebuntur ex illis, qui uini amore adeo feruntur, ut cum anu PHAEDRI, *lib. 3. fab. 1.* exclament: *O quam ſuauis anima!* et cum Lena Plautina, *Curcul. Act. 1. Sc. 2.*

- - Salue anime mi,
Liberi lepos, ut ueteris uetuſti cupida ſum!
Nam omnium unguentorum odor prae tuo nautea eſt.
Tu mihi Stacte, tu Cinnamomum, tu Roſa,

Tu

Tu Crocinum, et Caſia es, tu Bdellium: nam ubi
Tu profuſus, ibi ego me peruelim ſepultam.

Theſ. 39. Atque hinc praeterea docemur, uulgarem illam doctrinam, de ſpiritus uini ui reſoluente, eſſe omnino ineptiſſimam, cum, ex ipſa cuiusuis autopſia, quoscunque liquores corporis coagulet. Valeant ergo ſpiritus aquaeque apoplecticae, quae nullam unquam apoplexiam curarunt, in uenas uel arterias impactum reſoluendo, ſed tantum ſtimulando corpus, quo ex ſuccuſſu contingere interdum ſolet impactorum extruſio in uaſa patentiora. Quod et trium Imperatorum Archiater, IOANNES CRATO, uir ſane eruditus, et prudens, *Conſil.* 37. ſuo iam tempore queſtus eſt, et WEPFFERVS, in eruditiſſimis ſuis obſeruationibus, *de Apoplexia, p. m.* 256. eandem ingeminat querelam, uel hinc maxime apoplexia ſuam originem deducente.

Theſ. 40. Solent etiam nonnulli in ſoporiferorum claſſem referre *Cocculas Indicas.* Ego uero bene puto me relegaſſe easdem ad acria et corroſiua uegetabilium. Neque unquam ab experimentis, in piſcibus per halieutica uenena factis, quae ingrediuntur Cocculae, aliud obſeruare potui, quam meras conuulſiones, et uertigines, tetanosue uniuerſales. Et piſces, qui uel multum inde comederant, ut uidi, omnium quidem primo conuellebantur, poſtmodum

modum uero, eroſis uitalibus, in ſoporem quidem incidebant, ſed uix excutiendum, hoc eſt, mortem. Et uel omnia acria, quocunque nomine adpellentur, ultimam actus fabulam in humano corpore, ſopore gelido, conficiunt, ſolidis eroſis, liquidisque coeuntibus, et ſtagnantibus.

Theſ. 41. Praeterea *Crocus*, Arabibus Zaffaran dictus, propter eandem conſopiendi atque infatuandi facultatem, nec horum ex claſſe excludi debet: etenim, largiore doſi adſumtus, laetabundam inſaniam, capitis dolorem, ſanguineum urinae profluuium, ſoporemque ſaepe lethalem, adportauit. *o*) Confer AMATVM

Oo LVSI-

o) Croci uſus frequens ac plurimus, tam ad morborum medelam, quam ad luxus et delicias. A priſcis crocus, ſuaueolentiae gratia, adhibebatur, teſte PROPERTIO, *lib. 3. eleg. 8.* ſic canente: ſit menſae ratio, mox inter pocula currat, et crocino nares murreus ungat onyx. Crocum, mire uino congruere, praecipue dulci, tritum ad theatra replenda, ſcribit PLINIVS, *H. N. lib. 2. cap. 6. fine, ed. cit. p. 348.* Nam, adeo gratus erat antiquis croci odor, ut eodem tota theatra inficerent; unde haec actio, *κρόκανσις* uocabatur, quo alludens LVCRETIVS: et cum ſcena croco Cilici perfuſa recens eſt. Hunc morem antiquiſſimum eſſe, exemplo mulierum Troianarum, terram uino crocato perfundentium, probat TRYPHIODORVS, *20.* Αἱ *δὲ θαλασσίης ἐπιμάζια*

νήματα μάτρης λυσάμεναι, κλωστοῖσι περίστεφον ἄνθεσιν ἵππον, καί τις ἀπειρεσίοιο πίθου κρήδεμνον ἀνεῖσα, χρυσείῳ προχέουσα κρόκῳ κεκερασμένον οἶνον, γαῖαν ἀνεκνήσσωσε χυτὴν εὐώδει πηλῷ. Ita Adrianus, teſte SPARTIANO, *in Vita Adriani*, in honorem Traiani, balſama et crocum per gradus theatri fluere iuſſit. Refert peraeque SVETONIVS, *cap. 25.* incedenti per plateas Neroni paſſim Romae uictimas caeſas, ſparſo per uias identidem croco. Spargebatur quoque crocus in lecto nuptiali, unde MARTIANVS CAPELLA: conſcia iam ueneris noua ſerta parate Napaeae, crocumque lecto ſpargite. Aſt, hunc luxum, a priſcis Romanorum moribus quam maxime alienum fuiſſe, docet PROPERTIVS: Nec ſinuoſa cauo pendebant uela theatro, pulpita ſolennes non oluere crocos. Ex his omnino ſatis patet, crocum apud antiquos, ui narcotica, uel alia uirulentia, minus ſuſpectum fuiſſe, reperiebantur tamen iam inter eosdem, quibus nimia penetrantioris odoris fragrantia infeſta erat. His annumerandus CICERO, *lib. 3. de Oratore*, ſcribens: licet hoc uidere in reliquis ſenſibus, unguentis minus diu nos delectari, ſumma et acerrima ſuauitate conditis, quam his moderatis, et magis laudari quod ceram, quam quod crocum olere uideatur. Sali uolatili oleoſo, quo crocus gaudet, tum fragrantia, tum uirtus inebrians, tribuenda, de qua GALENVS,

itemque BORELLVM, *Cent. 4. Obſ. 53.* qui ex-
Oo 2 empla

lib. 2. ſecundum loca, cap. 1. καὶ μέν τοι καὶ δι' ἐλάττονος ἐνίοτε τοῦ κρόκου, διὰ τό τινας τῶν προσφερομένων αὐτὸ πλήττεσθαι τὴν κεφαλήν, ὅπερ καὶ διὰ τῆς ὀσμῆς μόνης τοῦ κρόκου πάσχομεν πολλάκις. Sunt contra plures, qui crocum, ad ebrietatem praecauendam, interne externeque adhibendum, commendant. Qui crocum prius biberint, ſcribit PLINIVS, *lib. 21. c. 20.* crapulam non ſentiunt. Ebrietati eo reſiſtunt, coronae quoque ex eo, mulcent ebrietatem. Crapulae arcendae, crocum pariter ſeruire, eumque, ad languentes corporis functiones excitandas, ad bonum corporis habitum, et elegantem colorem conciliandum, conuenire, hiſce teſtatur DIOSCORIDES, *lib. 1 cap. 25. ed. cit. p. 20. et 21.* κρόκος ἔχει δύναμιν πεπτικὴν, μαλακτικὴν, ὑποστύφουσαν, οὐρητικὴν· παρέχει εὔχροιαν, καὶ ἀκραίπαλός ἐστι μετὰ γλυκέος πινόμενος. Ac, paucis abhinc lineis, uirtutem quoque aphrodiſiacam croco auctor noſter adſcribit: παρίστησι δὲ καὶ πρὸς ἀφροδίσια. Crocus, aroma philoſophorum, anima pulmonum, panacea uegetabilis, praeſtantiſſimum remedium cephalicum, cordiale, ſtomachale, hepaticum, uterinum, oculare, uocatur, ſed caue, ne idem male, in ſtatu minus congruo, applices, aut in doſi excedas. uid. BODAEVS a STAPEL, *Not. ad Theophraſti hiſtor. Plant. lib. 6. cap. 6. p. 661. et ſequ.* FRICCIVS, *lib. cit. cap. 23. a p. 394. ad 408.*

empla habent ex croco mortuorum. Sic narrat DIODORVS SICVLVS, *lib.* 2. ex Iampolo mercatore, in Arabia inueniri herbam, ſuauiſſimum ſaporem et mortem inducentem, quae uidetur crocus fuiſſe. Vnde uidemus, illos Medicos, qui crocum et caſtoreum, maxime acria et cauſtica uenena, opio addere ſolent, in compoſitionibus, pro correctorio, ut appellant, fallere, et falli ualde, cum uenenum, ueneno ſimili additum, potentius agat, ſolisque narcotica hebetentur acidis, ut ſuo loco dicetur. Parili modo peccant, qui moſchum ambramue admiſcent. Cariora enim illa, pretium potius, quam uirtutem augent, iudicante ſic bene SCHROEDERO, *Pharmacop. lib.* 4. *Claſſ.* 2. *cap.* 3. *n.* 14.

Theſ. 42. Ex gaudio autem immodico, et riſu plane deridendo, quae crocum comeſtum comitari ſolent, omiſſis, quae apud cl. RENATVM MOREAV, *Animadu. in Schol. Salernit. cap.* 21. *pag.* 333. *et ſeqq.* tum quae apud PETRVM PETITVM, *in Nepenthe Homerico*, legi poſſunt, aliorum ſententiis, ſuſpicio ſaltem mihi oborta fuit, numne crocus, ſit Nepenthes illud Homericum, quod Helena, immiſſum uino, in cratere, Telemacho, Vlyſſis, et Piſiſtrato, Neſtoris

KOENIGIVS, *l. et Sect. cit. p.* 807. *et ſequ.* HERMANNVS, *lib. et ed. cit Part.* 1. *cap.* 7. *p.* 577. *et ſequ.* SIMON PAVLLI, *lib. cit. Claſſ.* 2. *p.* 57. *et ſequ.*

Neſtoris filio, Lacedaemone dedit, ex Aegypto ſibi per Polydamnam, Thonis, Aegyptii Regis, uel Cauopo, Nili oſtio Praefecti, coniugem, delatum, omnes dolores ſublaturum, omniumque aerumnarum plenam obliuionem inducturum, ut Poeta, qui fons ingeniorum, a PLINIO, *lib.17. cap.5.* non male dicitur, ſuo more uenuſtiſſime delineat, *Odyſſ. lib.4. u.220. et 225.* Ita autem habet:

Ενθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησ' Ελένη διὸς ἐκγεγαυῖα.
Αυτίκ' ἄρ εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον,
Νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.

Ος τὸ καταβρόξειεν, ἐπὴν κρητῆρι μιγείη,
Ουκ ἂν ἐφημέριός γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν,
Ουδ' εἰ οἱ κατατεθναίη, μήτηρ τε πατήρ τε,
Ουδ' εἰ οἱ προπάροιθεν ἀδελφεὸν ἢ φίλον υἱὸν
Χαλκῷ δηιόωεν, ὃ δ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῷτο.

Quanquam alii ad Opium, alii ad Solanum, hanc uim referant. Et EVSTACHIVS, apud MACROBIVM, *Saturnal. lib. 7. cap. 1.* delinimentum illud, quod Helena uino admiſcuit, non herbam, non ex India ſuccum, ſed narrandi opportunitatem, qua hoſpitem, moeroris oblitum, flexit ad gaudium, Vlyſſis praeclara facinora filio praeſenti narrando, fuiſſe uult; qua in ſententia etiam fuiſſe PLVTARCHVM, uideo, *Sympoſ. lib. 1. Qu. 1.* Vt reliquos taceam.

Theſ. 43. Cui, ſi placet, conferri poterit, mea opinione non quidem male, notiſſimum illud per uniuerſum fere orbem febrifugum, *Cortex Ganna naperides*, ſeu *Peruuianus*, aut *Indicus*, uel *Chin-China*, dictum. Cortex hic, ex Indiis Occidentalibus in Hiſpaniam primo delatus eſt, deinde Romam, ad Cardinalem Ioannem de Lugo, ubi celebritatem iniuit. In Belgium dein Ieſuitae attulere, hinc *Puluis Patrum* diu dictus, donec Michael Belga, a ueteri molendino cognominatus, Bruxellum, ex ipſo Peruuio adſerret. Hiſpanis *Pale de Calcuturas*, id eſt, lignum febrium, dicitur. Videſis CHIFLETIVM, *Tr. de pulu. febrifug. Peruu. cap.* 1. *p.* 4. *et* 5. SEBASTIANVM BADIVM, *Anaſtaſ. Cort. Peruu.* GAVDENTIVM BRVNACIVM, *de Cinn. Cinn.* ROLANDVM CAPELLVTIVM, *Vindic. Pulu. febrif. Peruu.* et ANTIMVM CONINGIVM, hoc eſt, HONORATVM FABRVM, *Pulu. Peruu. febril. uindicat.*

Theſ. 44. Cortex hic, in omni quidem febre, continua aut intermittente, ſyſtolen cordis inhibet, et paroxyſmum ſuſpendit, morbi tamen febrilis cauſam non attingit: non ſecus ac Opium ſymptomata morborum lenire, delere autem non adſueuit. Quod quoque mecum cogitauit diligentiſſimus Naturae obſeruator, SYDENHAM, *Obſ. Med. circa Acut. morb.*

Sect.

Sect. 1. cap. 5. dum inquit, quod Cortex *inducias ſaepius impetrat morbo, quam eundem debellat, cum, poſtquam ad ſeptimanas duas uel tres delituerit, magno cum aegroti emolumento, qui ab illo male multatus, paululum interim reſpirat, mox de nouo recrudeſcens, haud ſegnius, quam prius, laceſſit; atque ut plurimum, quotiescunque demum repetatur illud medicamentum, non niſi longo temporis tractu expugnatur.* Atque obſeruatum ſaepe eſt, corticem fuiſſe catharticum; ſed id deduco ex rudioribus corticis particulis, ſicut omnia indigeſtibilia uentrem ſoluunt. Ergo cortex, niſi immediate cum diacodio, poſt omnem febrilem paroxyſmum, detur, ſaepe mortem adfert, ſi nempe, ut nonnullis mos eſt, modo ante uenturum paroxyſmum exhibeatur.

Theſ. 45. Virtus autem corticis opiata, exinde magis uero ſimilius reddi poteſt, quod idem Peruanus cortex, methodo clariſſimi Hombergii, Academiae Pariſienſis membri, in aqua feruenti, (quem caloris gradum aqua nunquam ſupergreditur,) diu decoctus, decocto filtrato, quod *Saccare* PLINIVS, *lib. 20. cap. 19. et lib. 29. cap. 2.* dixit, et in formam mellaginis, aut pilularum conſiſtentiam, inſpiſſato, Opium non ſolum colore et odore perfectiſſime referat, ſed etiam paruae pilulae inde formatae, Opii uires, in ſedando quouis immodi-

eo fluxu, impetu cordis, et febre ſuſpendenda, ſtrenue aemulentur.

Theſ. 46. Vix enim inducor, ut credam clariſſ. FRICCIO, *de Virtut. Venen. Med. c.* 2. *p. m.* 37. quod Indicus hicce cortex, eadem ratione operetur, in febrium intermittentium paroxyſmis ſufflaminandis, ac arſenicum, uenenum illud rigidum ac ponderoſum. *p*) Hoc enim ſi uel ad

p) Maximum diſcrimen inter corticis Chinae et Arſenici principia intercedit, et hinc nullum eſt dubium, eadem remedia, ualde quoque, quoad modum operandi, inter ſe differre. Vt ingenue fatear, quid ſentiam, ac, quid uſu et ratione compertum habeam, corticem chinae, nec pro ſpecifico remedio febrifugo, nec pro ueneno narcotico, ſed remedio abſorbente, roborante, et leniter reſoluente, habeo; diuerſis quippe, inſtitutis experimentis, aduerti, praecipuam huius corticis ſubſtantiam, eſſe terream, illique parum ſalis fixi et olei foetidi intricatum haerere, uti praeter ſaporem ſubamarum, odoremque grauem, experimenta chymica docent. Comperi hinc, ſedulo reſpiciens atque obſeruans effectus, ex chinae uſu reſultantes, quod eadem ſiccioribus, ſuccorum uiſciditate laborantibus, minus congruum ſit remedium. Deprehendi pariter, hunc corticem, plane non conducere in bilioſarum medela febrium, ſiue ſint intermittentes, ſiue continuae.

ad imitationem chirurgi Moguntini, plus quam

Maximum uero emolumentum, ex legitimo huius corticis uſu, in morbis, quorum origo a ſolidorum laxitate dependebat, obſeruaui; legitimum uero chinae uſum dico, ſi cruditates primarum uiarum, per accommodata digeſtiua, laxantia, atque emetica, expurgatae, maſſaque uiſcida, in ſanguine fluctuans, per ſalia fixa, remedia ſaponacea, decocta reſoluentia, aliaque aperientia, tum emendata, tum remota fuit. Hoc quippe, in congruo genuini uſu corticis chinae, ſalutare occurret ſignum, ut, roborando ſolida, quasuis ſecretiones, aluinam praeſertim, promoueat, ac per easdem, reſiduum morbi fomitem radicitus eliminando, reſtituto priſtino uiſcerum robore, et functione, priſtinam, eamque integram reddat ualetudinem. Quod igitur uſus chinae iam fuerit fatalis, ac maxime pernicioſus, uti docent *A. N. C. Dec. 3. Ao. 9. obſ. 109.* non ipſi remedio, ſed medicorum imprudentiae tribuendum. Plura de hoc cortice, huiusque uirtute anthelmintica, febrifuga, antarthritica, anticatarrhali, et aperiente, habent LANZONVS, *M. C. D. 2. Ao. 9. p. 78.* VALENTINI *tr. de China Chinae, cap. 2. §. 6.* TAVVRY, *lib. de medic. Tom. 2. p. 216.* WILLISIVS, *de febrib. c. 6. p. 104.* BARTHOLINVS, *Cent. 6. hiſt. 50. et Act. Haffn. Vol. 5. obſ. 113.* BLEGNY, *Zodiac. Gall. Ao. 1683. menſe Iulii, p. 163. et ſequ. A. N. C. Dec. 2. Ao. 8. obſ. 189. et Dec. 3. Ao. 2. obſ. 123. item Cent.*

ducentos hoc remedio curantis, teſte EMANVELE KOENIG, *Regn. Miner. Cap. de Arſen.* aegrotis dari unquam poterit, uiſcidum illud incidit, quod in capillaribus arteriarum conis haerendo, frigus excitabat: ſicut et a ueteribus in aſthmate, ab immeabilibus et uiſcidis humoribus orto, datum fuit, referente DIOSCORIDE, *Mat. Med. lib. 5. cap. 121.* et PLINIO, *lib. 34. cap. 18.* non iſti abſimile remedium, quod in ſchedis cuiuſdam domeſticis aliquando inueni, elotae ſcilicet arenulae in lacte preſſo datae ad curationem tertianae. Quin et corium Ruſſicum, ex Arſenico Citrino, uel rubro colorem trahens, impoſitum cuti, eryſipelata ſeu inflammationem uaſorum capillarium tollere ſolet, experimento plebi noto; quamuis GEORGIVS ERNESTVS STAHL, Profeſſor Hallenſis, *Obſ. Chym. Phyſ. Med. Curioſ. Menſ. Nou.* Arſenici uſum in tertianis febribus prorſus condemnet.

Theſ. 47. Cortex uero tantum abeſt, ut pituitam diuidat, ut potius eandem augeat, poſtque ſui uſum liberaliorem homines faciat ſcorbuticos, ut cl. SYDENHAM, primus, quod ſciam,

3. *p.* 55. 145. 383. *et* 450. KOENIGIVS, *lib. et Sect. cit. p.* 785. *et ſequ.* HERMANNVS, *lib. et ed. cit. Part.* 1. *cap.* 1. *a p.* 201. *ad* 210. ubi ſcitu digniſſima, atque utiliſſima, differentiam corticis chinae ſpurii ac genuini concernentia, inuenies.

ſciam, obſeruauit, *de Febr. Sect. 6. cap. 5.* Impetum ergo liquidi neruoſi, et cordis, arteriarumque ſyſtoles impedit, ac ad praeſens imminuit, ſed morbum ipſum non abigit. Dici equidem poteſt, corticem, quatenus corticem, hoc eſt, terream rem ac adſtringentem, non aliter operari, quam aliarum cortices arborum non oleoſos, roborando ſcilicet firmandoque ſolida, quae ſic contractilitatem et oſcillationem nacta fortiorem, permolere poſſint et conterere haerentes atque immeabiles quascunque uiſcoſitates, febremque ſic tollere tertianam. Sed aliud aliquid in China deprehendimus, Opii ſcilicet uim ac poteſtatem in ſuſpendenda ſyſtole cordis. Quod adſcribi forte poteſt ipſi oleo, quo cortex abundat, more aliorum corticum. Sed uel ex hoc maxime eluceſcit, quod, qui per Chinam febri uelint liberari, debeant ſe quietos tenere; alias fruſtra ſumitur.

Theſ. 48. Vltimo ad ipſa ſoporifera accedo, ex papauerinis deſumta. Tria autem ſunt papauera, ex quibus fiunt: *Papauer Rhoeas*, ſeu *Erraticum*, mite quidem anodynum, quo uehementius eſt, *Papauer Album*, tum denique Thebaici *Papaueris Nigri*, a Thebaide Aegyptiaca, Centiporta, ita dicti, ſuccus, *Opium* nempe, illud monſtroſae uirtutis medicamentum, ſimul ac uenenum; non quod ad infimum de induſtria locum detrudere ſit animus, ſed quod Triarios milites in ultimis interdum conflicturi exercitus ordi-

ordinibus, ſicut olim Romanis, ponere non ſit inſuetum. Equidem hoc omnium, quotquot ſunt, narcoticorum princeps eſt; et illa, quae iam recenſentur, ſymptomata, multo ualidius, potentius, et uehementius urget, quam reliqua omnia, quocunque et nomine uenerint unquam.

Theſ. 49. Verum atque excellentius Opium, Indi *Affion* dicunt, Meconium uero, ſeu deterius, *Pouſt* adpellant, egenis et pauperibus additum. Hinc Affionii, Diuites, Pouſti, Pauperes, nominantur prouerbialiter, ut BONTIVS refert, *de Med. Indor. lib. 1. de Opio.* Equidem Opium ueterum nos non habemus, ſed potius Meconium, ex contuſis capitibus, foliis et ſtolonibus papaueris, paratum, ut ſcribit DIOSCORIDES, *Mat. Med. lib. 4. cap. 65.* PLINIVS autem, *lib. 20. cap. 18.* coqui haec ipſa in meconium adſerit. Verum Opium, praeeunte Dioſcoride, fit hoc modo: cum ros euanuit, ſtellula, quae in ſummo papaueris capite eſt, cultello ſcarificatur leniter, ſed decuſſatim. Hinc extillat lacruma lactea, abſtergenda in concham, uel aliud uaſculum, idque ſaepius, paruo interiecto tempore: nam alias coit humor. Idque repetitur per duos uel tres dies. Succus ita collectus, ſucceſſiua ex albo in gryſeum coloris mutatione, ſub nomine ueri Opii adſeruatur. Quin et in noſtro Septentrione, Stockholmiae, hoc pacto collectum a IOANNE FALK, Regio quondam Bibliothe-

thecario, et Botanico induſtrio, et a me quoque Ao. 1698. Carlſtadii in Wermelandia.

Theſ. 50. In Thebaide uero Aegyptiaca, Centiporta, nunc Saieth, Ponto, Bithynia, Cilicia, aliisque locis calidioribus, Turcarum imperio ſubiectis, toti agri ſeruntur papauere, ex quo, Menſe Maio et Iunio, fit Opium, ſed albo quam maxime. Valentius autem illud eſt, quod ex nigro elicitur. Modum autem, Veteribus in Opii et Meconii praeparatione obſeruatum, hoc carmine deſcribit MACER, Poeta et Medicus, Dioſcoridi conſimilem:

Exuuiis teneris Opium faciunt capitellis,
Inciſa leuiter ſumma cute, lacque, quod inde
Defluit, excipiunt cochleis, ſiccumque reſeruant,
Antidotis multis aptum, uariisque medelis.
Sunt qui contundunt cum lacte ſuo capitella,
De quibus expreſſum ſiccant in ſole liquorem.

Ergo uerum Opium albicare debet, et forte hoc erat ueterum Thebaicum. Ex Turcarum autem ditionibus, et Indiis, ad nos defertur. Quin et ex Apulia, Italiae regione calidiſſima, praecipue ex Ducatu eiusdem Barcenſi, atque ex Hiſpania, uenit. Solet tamen Opium, in hac ſeculi aſtutia, uariis modis adulterari, praecipue ſuccis lacteis plantarum quarundam, lactucarum, intyborum, tithymallorum, aliarumque,

ut ſuo iam tempore meminit DIOSCORIDES, *Mat. Med. lib. 4. cap. 55.*

Theſ. 51. Huius pharmaci uires inebriantes et ſopientes experiuntur ſaepiſſime Pharmacopoei in Electuariis illis componendis, quae Opium ingreditur, Theriaca, Mithridatio, Oruietano, Diaſcordio utroque, Philonio, aliisque. Et, praeter exempla recens uiſa, ac audita, PLINIVS, *Hiſt. Nat. lib. 20. cap. 18.* refert, Licinii Caecinnae, Praetorii uiri, patrem, Bilbili in Hiſpania, cum ualetudo impatibilis odium uitae feciſſet, ſumto Opio, interemtum fuiſſe. Eodemque forte remedio, Seruius Clodius, Eques Romanus, magnitudine doloris in podagra coactus, crura perunxit, et poſtea caruit ſenſu omni aeque quam dolore in ea parte corporis, teſte eodem PLINIO, *lib. 25. cap. 5.* Et auctor eſt CORNELIVS NEPOS, *in Dion. cap. 2.* Dionyſium filium, ante diem patrios inquirentem in annos, cum pater ipſius Dionyſius, tyrannus, morbo grauiter conflictaretur, et Dion regnum cum illo partiri uellet, ne agendi cum filio eſſet patri poteſtas, Medicos ipſi ſoporem dare coegiſſe. Hoc aeger ſumto, ſomno ſopitus, diem obiit ſupremum. Quod Opium uidetur fuiſſe. Sic AVICENNAM, Arabem, Medicum certe ſui temporis magnum, ſerui proprii ſuſtulerunt Opio, quod Mithridatio, quo ob inſultus utebatur epilepticos, ad notabilem quantitatem admiſcuerunt, ut in eius uita, operibus praefixa, legere eſt.

Theſ.

Theſ. 52. Opium autem, tam acre eſt, ut maſticatum os urat, linguam et guttur inflammet; odore uero graui et uiroſo caput tentet, ita ut eo ſopiti conciderint, qui incautius collegerant, teſte PLVTARCHO, *Sympoſ. lib. 3. Quaeſt. 1.* Et, obſeruatum in animantibus eſt, Opio demortuis, uentriculum fuiſſe rubore conſperſum et inflammatum, quod absque acredine fieri non poſſet, ſicut in fele et cane aliquando uidi. Id tamen ſingulare de Opio eſt annotatum, ſuper ſomniferos effectus, partium corporis pruritum gratum illud producere, prout DIOSCORIDES hoc etiam obſeruauit, *de Venen. lib. 2. cap. 23.* Obſeruationi huic fidem addit, quod ad Lewentz, Hungariae oppidum, ut eſt *in Ephemerid. German. Tom. 2. Dec. 1. obſ. 69.* trucidati olim Turcae, uiriles ſcaphas erectas rigidasque habuiſſe ſint inuenti, ex Opii uidelicet, uel ſui Maslach, quod, in praelium ituri, largiter deglutiunt, et coeco impetu ac praecipiti furore in ſuos hoſtes feruntur. Indi quoque Opio in uenerem utuntur, ut plus incaleſcant. Et putant Aegyptii, ut ALPINVS habet, *lib. 4. cap. 5.* poſt Opium adſumtum, uidere ſe in ſomno optata uiridaria bellasque puellas. Eadem fere uis Venerem ſtimulandi croco tribuitur. Hinc ſcribit PLVTARCHVS *in Iſocrat.* fuiſſe eum in uenerem pronum, quod *κρόκῳ διάβροχον ἔχει τὸ προσκεφάλαιον.* Vnde quoque HOMERVS, *Iliad. lib. 6.* in amplexu

Iouis

Iouis et Iunonis, terram effudiſſe crocum, canit, ex quo mos inualuit, nuptialem lectum croco ſpargere. Neque enim dixerim de Turcis, priapiſmo iam poſt mortem uexatis, cum uulgo hoc accidiſſe ob coeleſtem uindictam, quod rem cum monialibus habuiſſent. Tritum autem eſt in Italia, referente DOMINICO LEONO, *Art. Med. lib. 6. Sect. 3. cap. 4.* monacha potitum uirga tenſa mori. Non enim hoc ex Opio ſolum fit, ſed et ab Arſenico.

Theſ. 53. Vocabulum *Maslach* uidetur eſſe Hungaricum, quaſi alterans, a Maſalom, alterare. Componi autem fertur ex ſeminibus lolii, cannabis et daturae, opioque, mandragorae et filicis radice, uel pulueris forma, uel melle exceptis, ut ſit quaſi electuarium inebrians. Quod lolii ſemina attinet, hoc ſe habere adfirmat PETITVS, *Nepenth. Homeric. cap. 18. part. 1. p. m. 63.* ex Petro Laſena, qui ſic ex mancipio Afro acceperat, didiceratque. Sed difficile eſt, aliquid hic certi determinare, cum alii ſolum opium, alii compoſitum quoddam hoc faciant, Maslach, quidam duplicem faciunt, unam ex opio uel cannabe, alteram ex camphora, nuce moſchata, cariophyllis, moſcho, ambra et maci, compoſitonem.

Theſ. 54. Opium quidem uires corporis augere, et furorem quendam inſpirare, non dubito adfirmare; ſunt tamen, qui negant, Turcas adſumere Opium in proelium ituros, ſed

totam

totam eorum audaciam dependere ex praedeſtinatione, quam Muhametes prudenti conſilio introduxit, ſuamque gentem hoc artificio fecit bellicoſam, et in pericula quaeuis, absque praemeditatione, ruentem. Animos etiam magis cordatos facit tabaci fumigatio. Quare Tuppin Imbas, Sacerdotes Indorum, Caraibes alias dicti, militibus ſuis, in pugnam ituris, tabaci ſumum in faciem inflant, ut LERIVS ſcribit, *Nauigat. Braſil. p. 220.* Nec Turcae ſolummodo animos ſibi concitant Opii uſu, ſed et Aegyptii, Mauri, Aſiatici, aliique, frequentique uſu tam ſibi fecerunt familiare, ut, uel ad drachmarum aliquot pondus, una uice adſumtum, non noceat, memorante ALPINO, *Med. Aegypt. l. 4. cap. 1.* Nec carere hoc aliter poſſunt, quam quidem noſtrates, uino, cereuiſia, uel ſpiritu uini. Opio namque deſtituti, quam peſſime ualent, et ſyncope tentantur, auctore eodem, ALPINO, *cap. 2.*

Theſ. 55. Aegyptii, referente modo dicto ALPINO, *d. l.* adhuc quoque alia habent inebriatura pharmaca. Imprimis eſt Electuarium, ex India proueniens, *Bernaui* dictum, cuius compoſitionem Aegyptus ignorat. Hinc primo hilares fiunt, loquuntur, canunt, rident, delirantque; mox, poſt horae ſpatium, iraſcuntur, effreneſque euadunt: demum triſtantur, timent, plorant, lamentantur, ac ultimo ſomno ſepulti digerunt uenenum, ac reſtituuntur. *Boſa*, ex farina loliacea, ſeminibus cannabinis, et aqua, com-

Pp ponitur

ponitur in maſſam. At, Electuarium, *Bers*, ex pipere albo, ſemine Isquiami, Opio, ſpica Indica, euphorbio, pyrethroque, contuſis in mortario marmoreo, mellisque partibus tribus mixtis, conficitur.

Theſ. 56. Sed, ne hoc loco et illud praeteream, agitari inter Medicos non leuis ſolet quaeſtio, num Opium, HIPPOCRATI, Medicinae fundatori, ac Practico optimo, notum fuerit? Vtut uere illud nullibi nominat expreſſe in ſcriptis ſuis, quae extant, meminit tamen *Epidem. lib. 6. cap. 6.* medicamenti ὑπνικοῦ, Hegeſippo, in dentium dolore, dati, quod tamen non profuit; quo concludere uolunt, ipſi notum fuiſſe, quamuis de hyoſcyami radice, uel eiusdem ſeminibus, mandragorae, aut cynogloſſae radice, intelligendum ſit fortaſſis illud ὑπνικὸν. DIOSCORIDI uero, GALENO, Graecis reliquis, et Arabibus, ſedulo nominatum eſt. Scripſere uero ex recentioribus de Opio, DOERINGIVS, ANGELVS SALA, HARTMANNVS, PELSHOFERVS, WINCKLERVS, FREYTAGIVS, TILLINGIVS, WEDELIVS, et plures.

Theſ. 57. Quaenam uero, in narcoticis et opiatis, operandi ſit ratio mechanica, hoc opus, hic labor eſt, detegere, auctoribus in tam diuerſa abeuntibus. Veteres enim Medici, omnia narcotica et ſomnifera, praecipue uero Opium, frigida ſtatuerunt in gradu ultimo, quod cuiuis, ipſorum monumenta peruoluenti, patebit. Nec

Nec recentiores aliquid certi adhuc conſtituerunt. FRANCISCVS *van* HELMONT, accepta a Patre diuerſe ſentiendi per haereditatem licentia, in diuerſiſſimam ab aliis, et ſibi ſoli intellectam, inclinat opionem, *de Hom. eiusque morb. p. 29.* At cl. ETMVLLERVS, *de Virtut. Opii Diaphor. cap. 2. ſſ. 27.* et cl. BORRICHIVS, *Tr. de Somn. et Somnif. §. 18.* ſoporiferam Opii, aliorumque eiusdem ſortis, uim, ab oleoſitate eorundem dependere, adfirmant, ſpiritus animales, ſale uolatili fluido, ex ipſorum ſententia, conſtantes, inuiſcante, ac ligante, ſimiliter ac fit in alcohol uini, et ſpiritus urinae coagulo, a LVLLIO primum, deinde ab HELMONTIO, ſcriptis prodito.

Theſ. 58. Quae forte opinio cl. WILLIS debetur, qui, *de Ferment. cap. 5. p. m. 28. et 29.* ſicut omnibus uiſceribus peculiare adſignauit fermentum, ita ſanguinem, in cerebro, tanquam in capitello, ſeu Alembico, a ſpongioſa eius ſubſtantia, imbibi, credidit, ibique, fermento quodam inſpirato, quod ſal uolatile adpellat, adhuc magis uolatiliſari. Hanc autem ſententiam, clarius perſequitur, *Pharmac. Rat. Sect. 7. cap. 1. de Med. Op. p. m. 287.* ubi ſpiritus animales, e ſpiritu et ſale uolatili conflatos, cum opiatis, ſulphure foetido ſcatentibus, occurrentes, manipulatim uenenari, atque extingui, adſerit. Ac par fuit ſententia cl. WEDELII, *Opiolog. lib. 1. cap. 11.* dum ſic concludit: *Modus itaque*

agendi opii, conſiſtit, in ἀναθυμιάσει eiusmodi, quae porulos cerebri, a uigiliis nimis apertos et dilatatos, obſtruit, ſpirituum animalium effrenem influxum impedit, eosdem quaſi coagulat, et addenſat, adeoque ſuauiſſimam corpori conciliat quietem. Illuſtris uero VERVLAMIVS, *Hiſt. Vit. et Mort. Art. 12. Operat. 1. n. 14.* opium condenſare ſpiritus per fugam, non quod frigidum ſit, ſed quod particulis manifeſte calidis conſtans, cogat ſpiritus in centrum ſuum.

Theſ. 59. Subtilius ratiocinatur ante laudatus cl. ANDRY, *d. Tract. cap. 8. pag. m. 208.* quod nempe ſulphur narcoticum eius naturae ſit, praeter alia ſulphura, ut tam in oleo, ſpirituque, quam in ſale, et aqua, ſit ſolubile, atque ſic in corpore per quemcunque humorem ſolutum, et ſale ſuo liberatum, ramoſis ſuis particulis iterum coeat, atque hac ratione uias ſanguinis et ſpirituum obſtruendo, ſomnos et apoplexias cauſetur. Quam ſententiam, ſe accepiſſe fatetur, a nob. D. FAGON, Regis Galliarum, Archiatro, et Status Conſiliario, ſicut pateſcit ex theſibus D. FAGON, in Gallicum conuerſis, quas eleganti ſuo opuſculo ſubiunxit *p. 384.* Sed fere eadem habentur apud WEDELIVM, *Opiolog. lib. 1. Sect. 1. cap. 12.* ANTONIVS *le* GRAND, Profeſſor olim Duacenſis, *Hiſt. Nat. part. 7. artic. 9.* ab uliginoſo Papauerinorum humore, fieri hoc, putat, quo pori plexus

cho-

choroidis oppleti, ſpiritus a corde uenientes tranſmittere queant. Nam, qui a frigore cum ueteribus, uel alia aliqua qualitate, ſpiritus animales ligante, obnubilante, ſuffocante, profligante, aut nigrore ſuo inumbrante, et offuſcante, deducunt, facile cum his conueniunt.

Theſ. 60. Fuere rurſus alii, qui opiata, dum adhuc haerent in uentriculo, ſola ideali, uirtuali, et neſcio, qua facultate, omnes ſpiritus neruorum ex cerebro et muſculis ad ſe pellicere et aduocare putarunt. Quibusdam uero magis arridet, opiata neruorum cerebri orificia adſtringere, ita ut, denegato ſpirituum in neruos influxu, non poſſit non ſomnus ſequi et ſenſuum interceptio. Quae ſententia ceteris ueroſimilior eſt. Atque ſic uariant auctores in uno medicamenti phaenomeno explicando. Et, licet omnia uideantur ingenioſa, fatendum tamen eſt, opiatorum naturam doctiſſima etiam ingenia adhuc latuiſſe.

Theſ. 61. Equidem libenter conceſſerim, ſulphurea et oleoſa exaltata, humores cogere, ut in ſpiritu uini, et ſero ſanguinis, uidimus; num uero ſpiritus, ſeu ſuccus neruoſus, eiusmodi ſale uolatili conſtent, hoc eſt, quod ualde dubitem. In eam potius inciderim ſententiam, opium ipſum et narcotica, ſale uolatili alkalino oleoſis mixto, ſeu ſapone uolatili oleoſo, conſtare. Quidquid enim uel chymia, uel ipſe odor, et effectus, hinc concludit, eſt productum ſalis uolatilis acerrimi, cum acidis per contra-

rium ſalem efferueſcentis, inſtarque ſpiritus cornu ceruini, ut experimenta docuere ſuper hac re a uariis inſtitura medicis et chymicis. Hinc male dicitur opii ſulphur narcoticum, iſta producere effecta, quin potius ſal alkalinus, et oleum opii, in ſaponem naturalem concreta, haec producant, cum uideamus, ſpiritum cornu cerui oleoſum, easdem uires obtinere, licet minores. Hinc quoque patet, quam male corrigatur Opium per euaporationem, cum ſapo uolatilis narcoticus ſic abeat in auras, relictis ſtaminibus, et terra inutili, ut id quoque increpat WEDELIVS, *lib. 1. Opiol. Sect. 2. c. 2.*

Theſ. 62. Ego uero, ne plane ad haec ἀσύμβολος habear, me ſic expedire conabor. Primo autem non cogitandum eſt, ante enumerata narcotica, et ſoporifera, eſſe omnia eiusdem efficaciae ac uirtutis, in ſopore producendo. Nam crocus, coriandrum, papauer rhoeas, et album, herba Paris, et ſolanum officinarum, multo mitiora ſunt, quam nigri ſuccus papaueris, opium, hyoſcyami ſemina, abutillon Theophraſti, aut cannabis; ſed his etiam multo uehementius agunt, mandragora, isquiamus maturus cum toto, ſtrammoneum, lolium, ſolanum, belladonna dictum, ſeu poma amoris, ſolanum maniacum, nicotiana, et inebriamina defecatiora, quanquam nullum ex his in tam parua quantitate agat, ac quidem opium. Verum, ut ſoporiferorum agendi rationem habeamus, quid uigilia, quid ſomnus, in nobis ſit, clare imprimis percipiendum?

Theſ.

Theſ. 63. Dico itaque, uigiliam, nobis eſſe talem cerebri ſtatum, quo ſumus idonei recipere motus obiectorum, ſecundum quorum ideas, ſenſorio communi impreſſas, mens deinceps iudicat, et tales excitare motus, quales uoluntas mentis imperat. Ergo ſomnus, erit diſpoſitio cerebri contraria: ſopor uero, ſomnus profundior; et apoplexia, ſopor profundiſſimus, pro cauſa habentes proxima, omnem cerebri ſtatum, qui prohibet fluxum ſpirituum ab orificio neruorum in neruos, et ab his ad orificia neruorum. Sed ſomni cauſa haec proxima, plurimas habet et infinitas cauſas, easque uel naturales, uel nonnaturales dictas, quae ex uenenis dependent, utraeque licet, quam maxime naturales.

Theſ. 64. Naturales ſomni cauſae, uel externae ſunt, uel internae. Externae, ut ligaturae carotidum, quae antiquis ideo ſoporariae dicebantur, unde impeditur ſanguinis fluxus ad cerebrum, et refluxus; item uulnera capitis et contuſiones, quae cerebrum comprimunt; calor externus nimius, liquidiſſima fluida in uapores conuertens; aut nimium frigus, fluida conglacians, aliaue. Sic, qui ex frigore, Ao. 1634. ad Spizbergam Groenlandiae, Belgae obierunt, ſomno obierunt omnes, ut diariis, quae reliquerant, impreſſis, conſtat, ſcorbuto primum, dein gangraena et ſphacelo, ultimas partes corripiente, ſenſimque prorepente. Sic obſeruatum fuit in obſidione urbis Lotharingiae Metenſis, quam Imperator

Carolus V. contra Gallos inſtituit, tertiam exercitus partem fuiſſe frigore ſphacelatam, ſoporeque exanimatam. Et, apud CVRTIVM, *lib. 8. cap. 4.* ingentem militum, lixarum, calonumque uim, peſtis illa conſumſit, in regione Gabaza. Atque hinc uidemus, ut in tranſitu illud moneam, nihil magis ſcorbuto uiam parare, quam frigus aeris, et quietem. Hinc nautae nullo magis infeſtantur morbo. Pulcre igitur NASO, *Amor. lib. 2. Eleg. 9.*

Stulte, quid eſt ſomnus, gelidae niſi mortis imago?
Longa quieſcendi tempora fata dabunt.

Theſ. 65. Internae cauſae plurimae ſunt: uel pituita, in cerebro ſtagnans, et diſtendens partes glanduloſos; uel quidquid neruos ſpinalis medullae, aut eius caudicem comprimit; uel cerebrum ablatum, intacto cerebello; uel repletio uentriculorum cerebri; uel ſanguis intra caluariam effuſus; uel pus effuſum; uel apoſtemata cerebri, et id genus infinita alia. Quae omnia, comprimendo cerebrum, ſanguinis acceſſum, et ſucci neruoſi ſecretionem excretionemque prohibent ac impediunt.

Theſ. 66. Interdum a ſolidorum detritu, et liquidiſſimorum euaporatione, ſomnus contingit: ſicuti apparet in fine cuiusuis fere cauſonis, ex ſanguine per uenenum alkalinum, et exhalatione fluidorum, exiſtente craſſo, atque immeabili, donec per repetitam pulmonum, uaſorum-

ſorumque et muſculorum uentilationes, tenuis rurſus ac fluxilis euadit. Quidquid enim in nobis auget momentum ſolidorum, auget etiam neceſſario momentum motus fluidorum, atque ex eorundem mutuo ad ſe attritu calor fit, et ſanguis primo tenuior. Sed, contrahentibus ſe adhuc continuo uaſorum fibris, non tantum Sanctoriana perſpiratio, proprium illud cuiusuis Laconicum, ſed et copioſus ſudor, exoritur, et tenuia, ac maxime liquida, et ſpirituoſa, in auras euaneſcunt. Amiſſam ergo ſanguinis lympham, ſpiritusque, languores, ſtupores, et ſomnum ſequi, neceſſum eſt, ſanguine ſic incraſſato, tardius per canales et meatus ſuos deportato.

Theſ. 67. Omnes praeterea uaſorum muſculorumque motus oſcillatorii, frequentius ac diutius repetiti, ſoporem inducunt, non ſolum quod ſubtilia, et detritae iam per impetum fluidorum moleculae, quaedam ex ſolidis, per glandularum ſubcutanearum emiſſaria et poros auolent, et corpus exſuccum reddant, ſed et, quod faſces muſculares, per ipſum illum celerem in fluida impulſum, tantum de proprio motu perdant, quantum praeterfluenti liquido communicarunt, atque hac ratione fibrarum ſuarum tonum, et elaſticam oſcillandi potentiam amittant, ac omnino laxentur, et flacceſcant. Huc accedit uenae ſectio larga, cauſis externis, ſi placet, adnumeranda, et ſanguinis quodcunque profluuium, item purgantia

tia ualidiora, non ſolum, quod tollant uigiliae cauſam, ſed et, quod minuant ſanguinem. Tum pediluuia, quae ſoporant, ſi uigilia fuerit ex plethora; nam, minuta in pedibus, per aquam calidam, reſiſtentia, ſanguis illuc trahitur, et minor copia cerebrum premit. Contra, per capitiluuia, ſanguis in caput allicitur, et premit cerebrum.

Theſ. 68. Somni porro cauſa interna eſſe poterit, quidquid ſanguinem et uaſa ſic adficere ualet, ut, ex aucto canalium, et ſanguinis, per uniuerſa, motu, uaſa diſtendantur omnia, et ſanguis ſic cum impetu in piam meningem deferatur. Bagliuianum uero dogma, de durae meningis actione in cerebrum, non uidetur firmo ſtare talo, poſtquam multa experientia, et autopſia patuit, duram matrem, cranio quam firmiſſime fuiſſe concretam, locis quam plurimis. Sed, quo magis pia meninx, a ſanguine uehementer rapto, extenditur, eo ualidius per elaſticitatem reſilit, ſanguinemque cerebri uehementius mouet; unde altera ſuper alteram, cerebri arteriolae, plexu ſerpentino et reticulari, perreptantes, et ſuperequitantes, ſe ſe inuicem, et neruos quoque uicinos, circumpremant, ſicque ſpirituum in ſua uaſa influxum, praepediant, neceſſe eſt. Pariter ac uidemus in illis, quibus plurimae partes corporis, excepto cerebro, gangraenatae ſunt, et pene ſphacelatae, ſeu ſyderatae, ſoporem fieri ſatis profundum, propterea, quod ſanguis omnis, qui

emor-

emortuas iam, et omni circulationis commercio deſtitutas partes, pertranſire neſcit, pleno alueo feratur in cerebrum, eiusque arteriolas expandendo, neruoſum ſyſtema comprimat. Idem ſaepe contingit, ex impedita perſpiratione. Idem ex illo docemur experimento, quod deligatis arteriis femoralibus canis, torpidum illum reddit, quia ſanguine cerebrum obruitur.

Theſ. 69. In nobismetipſis ſimiliter mox poſt paſtum torporem animaduertimus, quia ſtomachus repletus comprimit aortam uicinam, ita ut ſanguis copioſior caput petat, quam qui neceſſarius ſit uiuiditati ſenſuum celebrandae, ipſumque ſic cerebrum comprimat, unde hebetudo, ſecundum illud Graecorum: παχεῖα γαστὴρ, λεπτὸν ὀ τίκτει νόον. Sic omnes phrenetici, et febri cauſone laborantes, ſunt ſoporoſi, ut HIPPOCRATES obſeruauit, *Epid. lib. 3. Sect. 3.* Sic pueri, multum lac ſugentes, ſunt ſomniculoſi, ut idem habet, *De Dentit. n. 3.* conf. BELLINVS, *de Febrib. Propoſ. 2. p. m. 270. et Prop. 4. p. 288.*

Theſ. 70. Qua quidem in ſententia, quod Opiatorum uirtutem attinet, Cl. PITTCARNIVM eſſe, concipio, *Diſſert. 6. §. 8. et. 13. p. m. 109. et 113.* cum, hanc uaſorum expanſionem, ex Opii ui deducat, ſanguinem ipſum expandente, et rarefaciente, inque halitus uertente. Ante PITTCARNIVM quoque, cl. WEPFERVS, *de Apoplex. pag. m. 252.* Opii inſignem

ſignem fermentandi, ſeu in halitus uertendi, uim, dudum agnouit; hoſce tamen uapores, uiis ſpirituum, ſeu neruis, ſeſe inſinuare, eosque ita oppilare, contendit, ut illis ſic omnis denegetur tranſitus.

Theſ. 71. Verum enim uero, ſicut ſomnus, ex talibus in nobis haerentibus, uel forte exortis cauſis, ſaepe numero fit; ita etiam uigilia, excitari poteſt, ex cauſis itidem morboſis, quae in noſtra machina deprehenduntur. Oritur enim ſaepe ex acri alkalino febrium acutarum, agente in ſenſus organa, et dolorem producente, et tum ſoporiferum optimum erit, aliquid ipſi, ueneneno contrarium, ut omnia aceta naturalia, uel fermentata, uel metallica, per guttas propinata, inter quae tamen eminet ſpiritus uitrioli, quia ponderoſus eſt et rigidus, ideoque a corde propulſus, plus ſuum motum continuat, atque per frigiditatem plus coagulata ſibi occurrentia reſcindit. Conf. BOYLE, *de Chymic. Diſtinct. Sal.*

Theſ. 72. Si contra uigilia, oritur a cauſa acida, ut in infantibus, et lacte nutritis, ac leguminatis, ſaepe obtinent, nullum praeſtantius ſoporiferum erit, quam terrea, acidum abſorbentia, qualia, cancrorum lapides percarumque, oſtreorum et mytulorum teſtae, alcalina contraria, et ſimilia, quod primus omnium animaduertit, magna ſui cum laude, celeberrimus HARRIS, *de Morb. Acut. Infant. pag. m. 20. 28.* Sed ſi a uiſcido diſten-

diſtendente aliquos canales, dolor oriatur, uigiliam poſt ſe trahens, ut ſaepe fit in dolore dentium, et tumoribus, diluentia, reſoluentia, et attenuantia, cum ſalinis, et nitroſis, erunt ſomnifera.

Theſ. 73. Sed, ſi acre alicui canali impactum, acidum, alkalino frangendum, ſi alkalinum, acido; uel eadem proſunt diluentia, aut, ſi ne ſic quidem ſomnus uenit, laxantia et demulcentia omnia, farinoſa, mucoſa, gelatinoſa, gummoſa, et oleoſa, adhibenda ſunt. Dixi, conducere laxantia. Hinc opium interdum, in dolore uehementi, ab acribus, canali alicui impactis, orto, profuit. Quamdiu enim cor agit ualide in ſpiculum, dolor perennat, ſed, dum cordis impetus ſiſtitur aliquantum, flacceſcitque per ſomnum corpus totum, decidit ſpiculum loco ſuo; non aliter, ac culter manu dormientis et ſuapte ſponte flacceſcentis excidit. Hinc Poetae, ut ſomnum a papauerinis fieri demonſtrarent, noctem, papauere redimitam, finxerunt, ſomnique palatium, papaueribus et lactucis obſitum. NASO itaque, *lib. 4. Faſtor.*

Interea placidam redimita papauere frontem
Nox uenit, et ſecum omnia nigra trahit.

Et lib. 2. Metamorph.

Ante fores antri foecunda papauera florent,
Innumeraeque herbae, quarum de lacte ſoporem
Nox legit, et ſpargit per opacas humicida terras.

Theſ.

Theſ. 74. Si uero uigilia dependet a nimia tenuitate humorum, incraſſantia omnia conducunt, et erunt uera ſomnifera. Sed, ſi a cauſa turbulenta fuerit, a clamore, cantu, uel id genus alia, cauſa ſublata, ſequitur ſomnus, ſicut et, dum curae animi, deſiderium, amor, ira, uel quicunque alius affectus, ſomnum auertunt, reconciliari ſolet per ea omnia, quae animum, ad alia, et diuerſa, reflectunt, ad muſicam, cantum, narratiunculas, undarum delabentium ſuſurros, geſtationes, uectiones in naui, uel rheda, rei amatae impetrationem, uel uituperium, atque id genus alia, artificioſe inuenienda, et pro re nata adplicanda, fientque res immateriales, medicamenta ſane quam optime ſoporifera. Sic ſaepe ſtupefaciens, eſt ueſicatorium quodcunque, ex ſcammoneo, colocynthidie, elleboro, euphorbio, allio et cantharidibus excitatum, in parte non dolente, ut in dolore dentium, in nucha, uel carpo manus. Atque ſic maior dolor tollit minorem, et fit dolor, medicina doloris. Videſis HIPPOCRATEM, *lib.* 2. *Epidem. Sect.* 6. *n.* 9. Talia autem, eatenus ſunt ſomnifera, quatenus cauſas uigiliarum tollunt, in morbo aliquo fundatas.

Theſ. 75. Cum uero homo ſanus, accepto pharmaco narcotico et ſoporifero, ſoporoſus euadit, ex ueneno, tanquam cauſa nonnaturali, iſte dormire dicitur, absque quo, neutiquam eo tempore dormiuiſſet; remanente interim, ſi ad-

adfuerit aliquando, nec per hoc ſublata cauſa morboſa. Somnus tamen, qui ex narcotico, opiato, atque inebriamine fit, coniunctus ſemper eſt cum inſomniis et geſticulationibus turbulentis, agentibus ſcilicet fortiter per acrium ſtimulum in cerebrum uaſis, unde confuſo cerebro, confuſae ſequuntur neceſſario in mente cogitationes.

Theſ. 76. Verum reperimus, rem penitius examinando, poſt narcoticorum, opiatorum, et inebriaminum omnium uſum, eandem ſymptomatum concatenationem, pro ratione acredinis uariantem, ac quidem offendimus, in ipſo ſopore maximo, ſeu apoplexia. Scilicet, ſicut apoplecticae cauſae ex hebetudine, per uertiginem et uacillationem decurrere ſolent, deinde per inſenſilitatem, ſomnolentiam, obliuionem, lapſum, ſoporem, calorem, pulſum uehementem, reſpirationem magnam, ſtertoroſam, ſpumam, ſudoremque, in pulſum et reſpirationem debilem, ac tandem ἀναισθησίαν perfectam, ac mortem praefocatiuam. Vel, ſi contigerit, aegrum reſurgere, poſt ſe adſueuerunt trahere paralyſes, ſtultitias, obliuia, tremores, et iudicii debilitatem; ita uidemus ex propinatis narcoticis, ſimillimos his ſequi effectus, et eodem ordine ſe pariter excipientes. Et, ſi ex narcoticis et ſoporiferis proprie ſic dictis, non liceat ſaepe haec phaenomena obſeruare, ex inebriaminibus certe, quid frequentius eſt, quam paralyſes, ſtultitiae, memoria deprauata, et tre-

mentes

mentes manus, in helluonibus, inexplebili ſiti maceratis.

Theſ. 77. Et, ſicut ſomni, ſoporis, et apoplexiae cauſa proxima, poſita fuit, impedimentum fluxus neruei ſucci in originem neruorum cerebri, ab origine eorundem in fines, et ab his ad principia, adparet etiam, eandem eſſe efficaciam cauſae ultimae ſoporiferorum omnium. Quia uero ſoporis cauſae ſunt infinitae, quarum nonnullas iam modo enumeraui, ſoporifera quoque innumeris modis agere poſſe, exinde concluderetur. Ego uero facile crederem, narcotica, non tam diuerſo adparatu uti, ad cauſam ſomni proximam conſtituendam, ſed uno tantum, eoque ſatis ualido. Nimirum puto, eadem, pro ſaponis ſui naturalis indole, ipſa quoque fermentata et uinoſa, neruorum cerebri principia, ubi ſubſtantia corticalis uertitur in medulloſam, et omnes ubicunque neruos nudos ſentientes adurere, ſtrangulare, et conſtringere, ita, ut reddantur ſtupidi, inſenſiles et indolentes, nihilque liquidi tranſmittant per tempus, quamdiu ille ſtatus cerebri perdurat: non ſecus ac uidemus, ſpiritum uini, ut ante memoraui, ſanguifera uaſa, et neruos in membris amputatis, itemque in haemorrhagia narium, ſi calidus applicetur, ſic amburere, et perſtringere, ut nihil cruoris amplius exeat, nihil quoque intret alicuibi. Dixi, haec fieri per ſaponem quendam plantarum narcoticarum. Vbicunque enim agit ſuccus alicuius plantae, uel noxiae,

noxiae, uel innoxiae, agit pro ratione ſui ſaponis. Sales namque uolatiles plantarum, oleaque uolatilia earundem, tam bene ſunt inter ſe coctione ſolis permixta, ut ſaponem naturalem conſtituant artificioſiſſimum. Nec poſſum ullibi concipere, ſolum plantae ſalem, uel ſolum oleum, ſuam ſingularem actionem edere, quamdiu ſic mixta ſunt, ſed coniunctim. Et, ut antea monui, plurima metalla, ex ſulphure, ſpiritu quodam acido, et partibus metallicis, conſtantia, ueriſſimos conſtituunt ſapones metallicos, ut ſulphur, antimonium, arſenicum, et alia.

Theſ. 78. Et, ſi uirus narcoticum tali quoque actione incoeperit adficere ac percellere ipſos cerebelli uitales neruos, eosque comburere, ac ſtrangulare, eadem narcotica uitam tollent, intermiſſa ſcilicet ſic omni cum corde communicatione fluidi neruei, unde cor et pectorales muſculi incipiunt languere, hincque dependentes arteriarum pulſus, et contractiones. Hinc cauitate pectoris collabente, parum aeris ingreditur pulmones, qui eosdem quoque leuiter explicat. Proinde ſanguis, qui ex dextro corde in pulmonis arteriam, languide licet, compellitur, per collabentes ramos eius aegre permeat, quin potius ſubſiſtat mediis itineribus. Hinc labor pectoris oritur, anxietas, ſtertor, ſiue agitatio illa pectoris, ex aere irruente, et uix elabente, quibus homo defatigatur; et ui cordis pectorisque adhuc magis elangueſcente,

et coercito ſic paulatim ſenſimque ſanguinis circulo, moritur homo morte frigida.

Theſ. 79. Accedit huc forte illud etiam narcoticis atque inebriaminibus in ſopore producendo auxilii, quod liquida per corpus fluxura magis aut minus coagulent, atque ſic eadem coacta non poſſint non exiliſſimos cerebri meandros obthurare, diſtendere, atque comprimere, et diſpari ſic ratione, ad eundem apoplecticum ſoporem, ex eadem cauſa proxima, procurandum, concurrere. Quam narcoticorum uenenorum actionem, in cogendis humoribus, ſuo tempore agnouit CARDANVS, ſummi ingenii Medicus, *de Venen. lib. 1. cap. 20.* inquiens: *modus, quo talia uenena interficiunt, et ſomnum etiam inferunt cum ſtupore et amentia, eſt, quod talia medicamenta, tenui caliditate, penetrent ſanguinis et ſpirituum ſubſtantiam, eamque corrumpant: ideoque hebetantur omnes ſenſus, et coagulatur ſanguis.* Sed, ut ſupra, ita et nunc ingenue fateor, narcoticorum et ſoporiferorum uim, et agendi potentiam, adeo eſſe intricatam, et difficultatibus uariis obſitam, ut Medici adhuc nihil in hoc argumento certi ſtatuere ualeant. Et, ut breui me explicem: effectus opii certiſſimus, operandi uero modus incertiſſimus eſt.

Theſ. 80. Eſt tamen aliud aliquid in opio, explicatu ſane ex praedictis difficile, nimirum tentigo iſta et pruritus, ac omnium excretionum

im-

immodicarum, niſi fuerint ſymptomaticae, ex opiatis adſumtis, ſufflaminatio. Circa quae phaenomena ita cogito, nempe, cum conſtet ex ſupra dictis, uenena acria metallica, rigida et ponderoſa illa, doloris ſenſum nobis concitare, dum neruos arrodunt; ita opium, et narcotica cetera, particulis magis laeuibus et politis, dum primo propinata ſunt, uaſorum latera titillant, ſenſumque laetitiae, ratione quidem, propter intimam, quam adhuc ignoramus, et ſtupemus, mentis et corporis coniuuctionem, nobis ignota, producunt. Non aliter, ac inſtrumentum ferreum acutum, ſi naſo per uim intruditur, oritur certe per totum corpus ſpasmodica contractio, et doloris ſenſus; ex leui autem plumae in naribus titillatione, itidem corpus uehementer conuellitur, ſed blande iuxta demulcetur.

Theſ. 81. Per iſtam itaque opiatorum titillationem, cum uaſa omnia maiora corrugentur, et contrahantur fibrillulae, inſtar uermiculi, ſe incedendo criſpantis, fieri aliter nequit, quam quod opium et uini ſpiritus, occluſis, per criſpaturam eiusmodi uaſorum maiorum uermicularem, oſculis et orificiis minorum, ex maioribus deriuatorum, ſecretiones omnes, diarrhoeas, dyſenterias, et ſudores, ex minimis uaſis fieri ſolita, impediant, atque tollant. Hinc facile corruit, HOFFMANNO, *lib. 2. de Med. Officin. cap. 169.* et PETRO BORELLO, *Cent. 4. Obſ. 57.* incuſata opii uis ἀναϛομωτικὴ,

 ſeu

ſeu aperiens orificia, cum illae uaſorum ruptiones, quas memorant, aliam fortaſſis habeant cauſam, quam quidem ex opio. Quamuis non negem, multos, per inebriamina fortiora, largius adſumta, uenas ſibi in pulmone uel alibi rupiſſe: id tamen exinde fit, quod uaſa minima coactum a narcoticis ſanguinem, non tolerent, quin rumpantur, acto ualide per idem tempus corde. q)

Theſ.

q) Obſoleſcit ſane ſummum bonum, bonique praeſtantiſſima indoles, ſi ab optima noſtri parte ad peſſimam tranſit, ſunt uerba SENECAE, *Epiſt.* 74. quae optimo iure diuerſis, quas opium adhibitum exſerit, uiribus accommodari poſſunt. In opio duplicem qualitatem, uenenatam alteram ac malignam, alteram medicam, ſalutarem ac benignam, haerere, et nunquam opium crudum, ſed legitima correctione praeparatum, in uſum uocandum eſſe, SENNERTI, *Prax. lib. 6. part. 5. cap. 1.* erat ſententia. Sed arbitror, ab eodem ipſo, quod in opio, tanquam uirulentum, damnat Sennertus, praecipuas uires, quas opium, in grauioribus morbis curandis, praeſtat, dependere; in opio quippe, duo diuerſa principia, et ab his reſultans diuerſa uirtus, reſpicienda, ſal nempe uolatile, et oleum narcoticum, alterum fortius reſoluens; alterum adſtringens, condenſans. Nullum igitur reſtat dubium, quod opium, opiataque remedia, uinoſis parata, ſubſidio ſui ſalis uolatilis, irritent ſolida, re-

Theſ. 82. Quod tamen in ſiſtendis fluxibus
 phae-

ſoluant fluida, fluidisque tenuioribus ſociata, e corpore denuo per ſudorem, urinam, aliasque uias, ſecedant; ubi dehinc reſidua maſſa, tenui iam orbata ſero, facilius, contractis per oleum narcoticum ſolidis, condenſabitur. Hoc modo, a ſale uolatili, quo opium abundat, nimia ſanguinis reſolutio, et huic ſuccedens effluxus lethalis, quorum BORELLVS, *Cent. 4. obſ. 57. p. 318. et 319.* facit mentionem, deriuanda ſunt. Iisdem principiis, eidemque operandi modo, tribuendus mictus cruentus, quem a laudani opiati uſu, obſeruauit IACOBVS ZWINGERVS, *Prax. p. 529. §. 15.* Effectus contra olei narcotici fuerunt, ſanguis inſtar glaciei in cerebro coactus ac coagulatus, opium cordis parietibus adhaerens, uti idem, obſeruationibus, e CVRAEO, LEMNIO, BONETTO, adductis, probaui, *Diatribe de ſomno, cap. 19. p. 155.* Aduerti ita, opii uirtutem adſtringentem ac condenſantem, acidis additis, auctam fuiſſe, cum contra uirtus reſoluens atque attenuans, ex ſociatis uolatilibus et ſpirituoſis alcalinis, haud leue acceperit incrementum. Aduerti porro, opiata, u. g. eſſentiam opii, uino Canarienſi, aut ſpiritu ſalis dulci paratam, parca iuſtaque exhibitam doſi, maxime proficuam fuiſſe, in peruigilio, delirio, conuulſionibus ſubiectorum phlegmaticorum, in quibus, praeter ſolidorum flacciditatem, ſerum tenue, excedebat, cum contra contrarium plane effe-

ctum haec eſſentia exhibuerit in ſubiectis ſiccioribus, bilioſis, iisdem, quae citaui, malis, decumbentibus. Nemini igitur mirum uideatur, quod opium, quo perſaepe grauiſſimi dolores ſopiti, feliciterque ſublati fuerunt, colicam lethalem produxerit, teſte ZACVTO LVSITANO, *Prax. Admirand. lib. 2. obſ. 32.* Nam, modo citatus auctor, *eodem libro, obſ. 36.* exemplum allegat doloris umbilicalis, grauioribus ſtipati ſymptomatibus, opio aſſumto curati; quod tamen, uti idem habet auctor, *Medic. Princip. Hiſtor. lib. 1. hiſt. 60. p. 100. et ſequ.* auri dolenti inditum, cauſa fuit perditae uocis, amiſſique ſenſus; imo, uti idem refert, *Med. Princ. Hiſt. lib. 5. hiſt. 27. p. 898.* opium, externe applicatum, mortem attulit. Opii uſum, in febre maligna, funeſtum, imo lethalem prorſus fuiſſe, adductis hiſtoriis, *A. N. C. Dec. 3. Ao. 5. obſ. 54.* confirmant, quod tamen tempeſtiue adhibitum, in febrium continuarum, aegrotos phlegmaticos affligentium, peruigilio, omnem fere abſoluit paginam. Opium peraeque, in partu, feliciter exhibitum fuiſſe, docent *A. N. C. Dec. 3. Ao. 9. obſ. 152.* quod ſane, in plethoricis cholericisque, partum, et retardat, et difficilem periculoſumque reddit. Qui plura de opio, et miris ſtupendisque plane illius operationibus, legendi cupiditate tenetur, euoluat, GARMANNVM, *de Mirac. Mort. lib. 2. tit. 8. §. 43.* SALMVTHVM, *Cent. 2. obſ. 90.* BLEGNY, *Zodiac. Gal-*

NIVS, *Diſſert. 6. §. 13.* ex uaſis ſecernentibus deriuat, compreſſis per uicinas arteriolas, a rarefactione liquidi transcurrentis dilatatas, remanente ſudore in extremis corporis poris, quod nullis hi ab arteriis ſic dilatatis complicentur, aut comprimantur. Ex quocunque autem acri ueneno adſumto, perpetua illud neceſſitate ſequitur, ſanguinem in uenis tenuem, aquoſum et floridum reperiri, in arteriis uero denſatum et immeabilem. Hinc facile deduci poſſe, autumo, illam opii uim rarefacientem. Cum enim uiua anatomia inſtituitur, apparent omnes arteriae cerebri diſtentae, ſed ſanguine coacto. At, ſi opium reſolueret ſanguinem, uti in illis uaſis, ubi plus debet agere, magis etiam eundem reſolueret, hoc eſt, in arteriis, quod tamen non fit.

Theſ. 83. Quia uero in corpore humano uires augeantur, uel ex auctis rite liquidis, uel ex roboratis ſolidis: magis tamen a ſolidis. Hinc ruſtici, furfuracea tantum et arborum cortices

 edentes,

lic. Ao. 1682. Menſ. Ian. p. 21. A. N. C. Dec. 3. Ao. 5. obſ. 22. LENTILIVM, *Miſcell. Med. p. 309.* BARTHOLINVM, *Cent. 3. epiſt. 45. 46. et 49. et Act. Haffn. Vol. 2. obſ. 20. item, Vol. 4. p. 80.* SIMONEM PAVLLI, *Quadripart. Botan. Claſſ. 3. a p. 464. ad 470.* FRICCIVM, *l. c. cap. 15. a p. 275. ad 290.* KOENIGIVM, *l. et Sect. cit. a p. 941. ad 943.* HERMANNVM, *lib. et ed. cit. Part. 1. cap. 8. a p. 624. ad 630.* FRANCISCVM *de le* BOE SYLVIVM, *Method. med. lib. 2. cap. 11. §. 20. p. 107.*

edentes, ſanguine quidem uili gaudent, ſed robuſtis interim ſolidis. Adeoque, quo magis a papauerinis, ſimilibusque aliis, muſculi contrahuntur et corrugantur, eo magis corroborantur, maioresque uires adſumunt, diu tamen non duraturas, cum muſculi ex continuo ſtimulo delaſſentur, et flacceſcant. Augetur quidem robur ex opio, narcoticis et inebriaminibus aliis, et quidam inde fiunt mites, ridentes, eloquentes, hilaresque, ſicut GALENVS, *Libell. quod Mor. ſequ. temp. corp.* tradit, Zenonem dixiſſe, ſe uini potu haud aliter affici, atque Lupinos, qui antea amari, inde dulceſcant, et hilarius ſapiant. Sed mox ſuccedit torpor, triſtitia, ſtupor, ueternus, ac poſtremo frigus, et horror ingens. Vnde quoque factum eſſe, perſuadeor, quod opium, et crocus, inter cardiaca a Medicis ſint relata, non tantum, quod in orificia neruorum agendo, faciant inſenſibilitatem doloris, ſed, quod uaſa ſic et fibras corrugando, corpus totum roborent. Nullum uero potentius unquam expertus ſum cardiacum, et uires reſtaurans, quam quidem *Laudanum liquidum Sydenhamii*, ex opio, croco, cinamomo, cariophyllis et maci, cum uino Hiſpanico, paratum, quod deſcribitur *Obſ. Med. circ. Acut. Sect. 4. cap. 3.* praeſertim, ſi additur ſuccus citri, uel malorum aurantiorum.

Theſ. 84. Erectiones autem uirilium membrorum in Turcis ſupra memoratae, ex eodem fundamento facile deduci poſſunt. Atque accedit

ad

ad rem uenereaṁ illud ex opio commodi, quod praeter robur, liquoris genitalis effluxum retardet, ut plenius ſic libidinem explere poſſint; non ſecus ac fieri ſolet idem ex nuce myriſtica cum uitello oui, et in bene potis hominibus, tunc enim aegrius ſeſe abſoluunt, prout multorum experientia conſtat. Nec tacent Romanae hiſtoriae, opium ad ueneris negotia fuiſſe adhibitum. Suſpicor quoque, nouas nuptas, in hunc uſum, papauerini ſeminis cum lacte emulſionem bibiſſe. Sic enim NASO, *lib. 4. Faſtor.*

Nec pigeat tritum niueo cum lacte papauer
Sumere, et expreſſis mella liquata fauis.
Cum primum Cupido uenus eſt deducta marito,
Hoc bibit: et illo tempore nupta fuit.

Et puto, ſeſaminum et papauerinum oleum, ideo ueteribus in uſu fuiſſe, ad cibos condiendos, quod gratum ſaporem alimentis, et hilaritatem corpori, concitarent. Hinc illud productum eſſe, credo, prouerbium, quod ſeſamo et papauere ſparſae deberent eſſe res, quae placerent. Non enim opinor, ſeſami papaueriſque ſemina, in puluerem pertrita, marginibus patinarum, ornatus gratia, inſperſa fuiſſe, quemadmodum mulierculae hodienum zingiberis uel panis polline margines uaſorum, quibus fercula continentur, exornant, collinuntque. Praeterea, ſi recte rem penſitemus, adparet, plurima, quae languidam reuocant ue-

nerem, ſtimulantia eſſe et titillantia, ac nil niſi motus quosdam conuulſiuos, ſed gratos, excitare, atque producere. Quamobrem etiam DEMOCRITVS quondam, ut refert GALENVS, *Comment. 1. lib. 3. Epidem. Hipp. Sect. 1. Text. 4.* uenereum coitum, non inepte μικρὰν ἐπιληψίαν nuncupauit; quanquam non desint, qui HIPPOCRATI attribuunt, τὴν συνουσίαν, εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν, referente MACROBIO, *Saturnal. lib. 2. cap. 8.* licet in ſcriptis eius, quae nunc extant, talia non inuenias; aliis cum STOBAEO, *Sermon. 6. p. m. 78.* adſertum hoc Eryximacho attribuentibus.

CAPVT VNDECIMVM.

De Succi Neruoſi qualitate, et uirtute, nec non, Venenorum Cardiacorum indole, et noxa, diſſerit.

Theſ. 1. Qui ex praemiſſis, de ſucci melancholi, febrilium morborum, ac leprae ipſius, ueneno, intra uiſcera hominis generato, ſatis fuit perſuaſus, non uitio uertet, nec mirabitur, ſucci neruoſi, ſeu ſpirituum animalium, uariatum motum, intra eiusdem hominis ſubſtantiam, ueneni quoque ſaepius naturam induere, totque interdum incommoda et mala conciliare, ac quidem ex ipſiſſimo adſumto ueneno, poſſint generari. Motus autem, ut ex ante dictis patet,

tet, ſolus, in hoc negotio eſt, pure mechanicus, interne uel externe excitatus, qui omne mutationum genus perficere poteſt, tam quoad ſolidas, quam fluidas partes, cum corpora nulla per ſe noceant, niſi fuerint mota, quanquam eſſent figurae acutiſſimae et rigidiſſimae.

Theſ. 2. Natura uero tam ſubtilis liquidi, adeo quoque ſubtilis auctoribus fuit, ut, in eius cognitionem penetrare, fuerit ſemper difficile. Hinc, pro uarietate ſectarum, quas ſecuti ſunt, uarias quoque huic liquido affectiones adſcripſerunt. BORELLVS quidem, alkaleſcere illos dixit, atque omnes inde in corpore motus, tam in fluidis adficiendis, quam ſolidis mouendis, per efferueſcentiam quandam cum acido ſanguinis fieri. BELLINVS aethereos putauit, et cum ſucco arterioſo, in quauis actione peragenda, ebullientes. WILLIS ſalino-uolatiles credidit; MAIOW, ſyſtemate poſito peculiari, nitro-aereos uoluit, atque ſic inſtar pyrii pulueris explodi intra uaſa. Equidem corpora eſſe, nullus unquam negabit, trinam habentia dimenſionem, quamuis nec tactu, qui ſenſus omnes comprehendit, nec uiſu, nec guſtu, nec ullo alio ſenſu, in eorum naturam perueniamus. Cumque ſubtiliſſima ſint pars ſanguinis, et ſalia atque olea nunquam ſubtilia fieri poſſint, ſine coniuncta acredine, ex eorum ſubſtantia eſſe, non uidetur fuiſſe utile, cum ſic neruis non amicum liquidum, ſed acre, rodens, et inimicum, conſtituerent. Ergo ipſe facile in ea ſen-

ſententia acquieſco, hos ſpiritus, animales dictos, eſſe ſubtiliſſimam aquam, in cortice glanduloſo cerebri, a ſanguine arterioſo ſecretam. Omnes igitur motus muſculorum, non per quandam ebullitionem ſuccorum, aut exploſionem eorundem, fiunt, ſed per defluxum huius aquae ſubtiliſſimae ex cerebro, praeter ſanguinem arterioſum, in canaliculos neruorum partium mouendarum, ex quo aequilibrium ſuperatur. Et conſtat ex hydraulicis, quam parua ſit res, quae aequilibrium mutet in rebus aequilibratis, praeſertim, ſi defluxerit per canalem ex loco ſuperiore.

Theſ. 3. Ergo, pro uaria huius neruoſi ſucci, in uariis adfectibus, determinatione, ac influxu in muſculares canalium faſces, ipſumque fluidum ſanguineum, uaria quoque inde ſequi effecta, toto die obſeruamus, partim ſalubria, partim noxia. Sicut enim multis repentinam mortem fecit uiolentior et celerior horum ſpirituum influxus, ita quoque ex longo morbo repentinam ſaepe ſalutem attulit. Vt uerum perpetuo ſit, ac ſua fide conſtans, maxima uenena, interdum maxima eſſe remedia.

Theſ. 4. Huius tamen liquidi uis et potentia, in nullo affectu clarius patet, quam in *Ira*, ubi ſaepe oculi tument, rubentque, facies inflatur, ac rubet, corpus conuellitur, ac tremiſcit, ſaepe rumpuntur uenae interne uel externe, ſaepe fit febris, diarrhoea, pallor, macies, coagulum ſanguinis, uel eiusdem reſolutio primo putre-

putredinoſa, ac ſaepiuſcule uel uera mors apoplectica, uel alias repentina; aut, ſi mauis deſcriptionem SENECAE, *de Ira, lib. 1. cap. 1. Flagrant et micant oculi, multus ore toto rubor, exaeſtuante ab imis praecordiis ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus, gemitus mugitusque, et parum explanatis uocibus ſermo praeruptus, et complosae ſaepius manus, et pulſata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque minas agens; foeda uiſu et horrenda facies, deprauantium ſe, atque intumeſcentium.* Sic ex ira periere morte ſubita, Nerua, Romanorum imperator, teſte SEXTO CORNELIO VICTORE; Valentinianus, imperator, rupta per iram colli uena, auctoribus, SVETONIO et CVSPINIANO, *de Caeſaribus*; tum Wenceslaus, Rex Bohemorum, in Huſſitos excandefactus, memorante CROMERO, *lib. 18.* ut noſtrae aetatis exempla taceam. SENECA ſic rurſus loquitur, *de ira, lib. 2. cap. 36. Alii nimio feruore rupere uenas, et ſanguinem, ſupra uires elatus clamor, egeſſit, et luminum ſuffudit aciem in oculos, uehementius humor egeſtus, et in morbos aegri recidere.* Inter noſtra exempla, unum ſaltem nominabo, quod contigit Stockholmiae, 1708. D. M. Archiui Regii Inſpector, uir ſupra ſaxaginta annos, ira-

cundus

cundus ualde, et uel leuiſſimo negotio excandeſcens uehementer, ex cauſa quadam leui, menſe Februario, iram ſibi concitans uehementem, incidit in paralyſin totius ſiniſtri lateris ac dimidiae linguae, brachiorum, femorum, crurumque, mihique in medicum adſcito, non leue negotium faceſſebat, quia, quod diu reſtitutum, uno rurſus iracundiae momento, in peius uertit. Idem apparet in mania, ubi robur muſculorum ualidiſſimum et ſtupendum, audax et minax uultus, triſtis frons, torua facies, et citatus gradus, inquietae manus, color uerſus, crebra et uehementius acta ſuſpiria, ora ſpumantia, oculi rubri, ignei.

Theſ. 5. Et quid non peruerſi in liquido neruoſo, ſanguinis circuitu, et ipſa ſolidorum oſcillatione, ſequatur ex tam impetuoſo affectu, quando, ut pulcrum de Turno, Rege irato, ſimile Virgilianum dicam, *lib. 7. Aeneid.*

magno ueluti cum flamma ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis undantis abeni,
Exultantque aeſtu latices, furit intus aquae uis,
Fumidus atque alte ſpumis exuberat amnis,
Nec iam ſe capit unda: uolat uapor ater ad auras.

Et quandoque totus peruertitur fluidorum aequabilis alias motus, ſolida uero uel impetuoſius ſe contrahunt, uel plane ſiſtuntur. NASO quoque

que faciem ira furentis bene depinxit *lib. 3. de Art. Amand.*

Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine uenae,
Lumina Gorgoneo ſaeuius angue micant.

Theſ. 6. Plurima pariter exempla dantur eorum, qui et *Gaudio* et *Triſtitia*, contrariis ſibi affectibus, uel febrim ſibi concitarunt, uel repentinam mortem. Et, ut recentia taceam, producam uetuſtum a VELERIO MAXIMO, *lib. 9. cap. 12. Memorab. Exempl.* memoratum, qui ſic loquitur: *Vix ueriſimile eſt, in eripiendo ſpiritu, idem, Gaudium potuiſſe, quod Fulmen, et tamen potuit. Nuntiata enim clade, quae ad lacum Thraſymenum inciderat, altera mater, ſoſpiti filio ad portam facta obuia, in complexu eius expirauit: altera cum falſo mortis filii nuntio domi moeſta ſederet, ad primum conſpectum redeuntis, exanimata eſt.* Quod ipſum exemplum, et plura alia, ex Graecis Annalibus commemorat GELLIVS, *Noct. Attic. lib. 13. cap. 15.* qui uideri poteſt.

Theſ. 7. Amor et *Deſiderium*, quam acria ſint et corpus deterentia uenena, ſatis loquitur amantium macies, pallor, debilitas, hebetudo, febris, et morborum aliorum longus numerus. De Amore VIRGILIVS pulcre *lib. 4. Aeneid.*

Haerent infixi pectore uultus
Verbaque, nec placidam membris dat cura quietem,

Sic

Sic Antiochus, Seleuci Regis filius, infinito amore Stratonices, nouercae, correptus, in ultimam incidit tabem, iacens in lectulo, moribundo ſimilis. Nec pater, nec propinqui, cauſam aegritudinis nouerunt, uerum omnes lamentabantur. Sed hanc triſtitiae nubem, Eraſiſtrati, Medici, Ariſtotelis ex filia nepotis, prouidentia, diſcuſſit. Cum enim ad introitum Stratonices, rubore perfundi Antiochum, et ſpiritum increbeſcere, ea uero egrediente, pallere, et excitatiorem anhelitum ſubinde recuperare, animaduertiſſet, curioſiore obſeruatione ad ipſam ueritatem penetrauit. Intrante enim Stratonice, et rurſus abeunte, brachium adoleſcentis diſſimulanter adprehendendo, modo uegetiore, modo languidiore arteriarum pulſu, comperit, cuius morbi aeger eſſet, protinusque id Seleuco expoſuit. Qui chariſſimam ſibi coniugem cedere filio non dubitauit, referente VALERIO MAXIMO, *lib.5. cap.7.* Pariter HIPPOCRATES aliquando, uocatus ad Perdiccam, Macedoniae Regem, grauiter tabe laborantem, cum Euryphonte, ex pulſu deprehendit, animi hunc affectum eſſe, et Perdiccam, ex intenſo ergaPhrynem, patris concubinam, amore, aegrotare. Ptolomaeus autem, Antiochi filius, ob ſeruatum Parentem, Eraſiſtrato centum talenta donauit.

Theſ. 8. Virginum et grauidarum *Pica*, quam Graeci κίτταν uocant, ex peculiari ſolidorum habitu, aut acido primarum uiarum dependens, ſaepe

ſaepe quidem remediis chalybeatis et cortice Peruuiano, tonum flaccidorum ſolidorum corrigentibus, curatur. Nulla tamen uirginum, chloroſi et pica larboantium praeſtantior, eſt antidotus, quam matrimonium, quod optime ipſarum morbos, ex amoris affectu ortos, curat, ita ut, ex luteo pallentiſſimis uirginibus, per conjugalem copulam, in rubellas pulchrasque uxores mutari, conſpiciamus. A. M. S. Cereuiſiarii filia, Ao. 1708. Stockholmiae ex pica maltham et ſecale comedebat, difficulter uero ſanata eſt, cum, uero remedio ſanari, parentum uoluntas adhuc negaret.

Theſ. 9. Inter autem uenena, homini omnium nocentiſſima, immodicam merito uenerem, numerauerim. Hinc uidemus, omnes, qui in eius caſtris ſtrenue militant, uel breuis eſſe uitae, uel miſerrimum ſpiritum inter debilitates atque gemitus infeliciter trahere. *Quia demum ii penates, ea ciuitas, id regnum, aeterno in gradu facile ſteterit, ubi minimum uirium ueneris, pecuniaeque cupido ſibi uindicauerit. Nam, quo iſtae generis humani certiſſimae peſtes penetrauerint, ibi iniuria dominatur, infamia flagrat*, uerba ſunt VALERII, MAXIMI, *lib. 4. cap. 3.* Vnde quoque idem, *lib. 9. cap. 12.* Cornelium Gallum, et T. Haterium, inter uſum ueneris abſumtos eſſe, ſcribit. Vt enim taceam, morbum, huic militiae proprium quaſi, et caſtrenſem, Veneream Luem, corpus reddi-

tur exſuccum, macilentum, torridumque, ut in militibus, ueneris caſtra diu ſecutis, uidere eſt. Et ſane, ex elogio atque effato expertiſſimi NASONIS, *lib. 2. de Art. Amand.*

Quot lepores in Atho, quot apes paſcuntur in Hybla,
Coerula quot baccas Palladis arbor habet,
Littore quot conchae, tot ſunt in amore dolores:
Quae patimur, multo ſpicula felle madent.

Theſ. 10. Et, ſicut quaecunque intenſior animi uis, corpus eneruat, et, erodendo quaſi, debilitat, ita *Vigiliae*, cum cura et dolore aliquo, laboreque hoc faciunt. Bene itaque idem NASO canit, *lib. 1. de Art. Am.*

Attenuant iuuenum uigilatae corpora noctes,
Curaque, et immenſo, qui fit, amore, dolor.

Quod malum per litteratos, Muſarumque pectora, praecipue obtinet, inque illis ſedem fixit non poenitendam. Atque HIPPOCRATES, Attica breuitate plura ſaepe paucis complexus, *Epidem. lib. 6. Sect. 6.* ait, labores, cibos, ſomnos, potum, rem uenercam, omnia mediocria eſſe debere. Et *Aphoriſm. 71. Sect. 7.* ſomnum et uigiliam, modum excedentia, morbum facere, inculcat, Sed, quanam ratione, in uigiliis et curis animi, corpus eneruari poſſit, non facile dictu eſt: ſicut et, quomodo mens humana, res immaterialis, corpus humanum, quod materiale eſt, adficere ualeat. Fieri

Fieri hoc, quotidiana nos docet experientia: ſed modus adhuc ignotus, Philoſophis etiam ſummis. Vti uero mentem noſtram neruoſo ſucco, tanquam medio, in hiſce actionibus peragendis, ualde credibile eſt, hinc quoque iſte ſuccus, et corpus conſumit, et conſumitur.

Theſ. 11. Amori et deſiderio contrarium eſt malum, *Inuidia*, quae itidem corpus potentiſſime conſumit. Hinc omnes inuidi pallent, ac triſtantur. Nec adeo unquam illi nocet, cui inuidetur, ac ipſi, qui inuidet. Et praeclara eſt uox Alexandri Magni, CVRTIO, *lib. 8. cap. 12.* memorata, ad Meleagrum, liberalitatem in Taxilem Indum, indignius ferentem, *inuidos homines, nihil aliud, quam ſua ipſorum eſſe tormenta.* Morbus quidem mentalis, ſed corpus adeo extenuans, et ſanguinem omniaque fluida ita exacuens, ut ſit inſtar acicularum, corpus omne continuo ſuo itu redituque deterentium. Graſſatur haec peſtis, hoc noſtro praeſertim tempore, inter artifices, ac ſaepe uirtutum in aliis pullulantium herbeſcentem uiriditatem impudenti calcaneo proterit atque extinguit. Experiuntur autem hoc iners uitium liuoris pauperes praecipue et egeni, ſi ditiorum honeſtos conatus aliquando aemulentur, ut ipſe expertus loquor.

Theſ. 12. Sed *Terroris* uis, multo celerior, in exitium feſtinat. Saepe diarrhoeam excitauit, et laxamentum uentris, *quia muſculi, quibus claudebantur retrimentorum meatus, fugien-*

tis introrſum animi uirtute deſerti, laxant uincula, quibus retrimenta usque ad digeſtionis opportunitatem continebantur, ut apud MACROBIVM, *Satur. l. 7. c. 11.* Diſarius, Medicus, philoſophatur; aliquando ingens urinae tenuioris profluuium, interdum deliquium, interdum mortem repentinam, produxit.

Theſ. 13. Memorabile uero exemplum, et mihi cognitum eſt: uxor Inſpectoris Goldtberg, Regalis Praedii Vlrichsdalenſis, Catharina Layel, quae fratris, apoplexia defuncti, morte, adeo eſt exterrita, Ao. 1702. ut poſtea fuerit melancholica in ſummo gradu, etiam de ſalute deſperans aeterna. Nunc conuellitur, nunc ipſa lingua tumet, nunc enormiter uomit, nunc abdomen totum ipſi ualde inflatur. Sanguis in morbi principio e uena ſecta tanto impetu in lectum proſiliit, ut adſtantes omnes perterrefaceret. Corpore carnoſo et craſſo, quamuis nullius cibi. Ambulare non potens. Vidua licet ſit, atrum tamen colorem intueri non poteſt, niſi recidiuet paroxyſmus. Nec campanae ſonitum, nec ianuae crepitum, nec aliorum loquelas tolerat, niſi cum periculo redituri paroxyſmi. Sana tamen mente in ceteris. Menſtrua quouis menſe ipſi regulariter et in copia effluunt. Nunc uertiginoſa, rurſus narium haemorrhagiam paſſa. Somni fere neſcia. Tandem uomitu omnia ingeſta eiiciens, praeter potum ſecundarium; frigeſcens ſemper. Ingruente paroxyſmo, rubet facies,

cum

cum calore et dolore capitis, in haemorrhagiam deſinente narium. Excrementa nigra, urina rubra, craſſa, uariabilis. Atque his malis in mortem usque excruciatur, quae contigit Ao. 1708. Stockholmiae. En miram ſucci neruei uim, et cerebri mobilitatem!

Theſ. 14. Quot praeterea matres, tempore ingrauidationis, perterrefactae, ſuis infantibus conuulſiuos morbos, ipſamque epilepſiam, ingenerarunt? et, quot iuxta infantes perterriti, per totum poſtea uitae tempus ſunt conuulſi? ut taceam naeuos uarios, ex imaginatione matris infanti inuſtos, ac poſtea indelebiles. Imaginatio autem, nihil aliud eſt, quam uis magna mentis. Et in nulla ré alia tam clare uis neruei liquidi elucet.

Theſ. 15. Sed, ſicut repentinus terror, quam plurimis mortem inopinatam adportauit, ita aliquibus etiam ſalutem inſperatam attulit; morbis interdum ita pertinacibus, et medicinis quibuscunque recalcitrantibus, ut, niſi ſuccuſſione corporis uehementi, non ſint curabiles. Sic uidi aſthmata diuturna ex clauſo aliquo pulmonis apoſtemate, rupta per iram uomica, non ſolum faciliorem dediſſe reſpirationem, ſed etiam, pure excreto, et coalito uulnere, iugulatum morbum. Refert CAMERARIVS, *Memorab. Med. Cent. 5.* paralyticum, terrore ſolo furentis urſi, fugientibus, qui portauerant, in pedes ſe conieciſſe, atque una auolaſſe. Sic,

memorante VALERIO MAXIMO, *lib.1. cap. 8.* Aegles Samius, athleta mutus, indignatione accenſus, uocalis euaſit. Et, Croeſi, Regis, filius, mutus iam grandior, cum milites patrem occidere uellent, repente uitium nodumque linguae rupit, planeque atque articulate locutus eſt, ut HERODOTVS, *in Clio*, refert. Et GELLIO teſte, *Noct. Attic. lib. 5. cap. 19.* ſimiliter ex terrore per aquam frigidam febricitantibus inopinato ingeſtam, ſaepe febris curatur: namque fit mutatio in ſitu, in figura et textura totius fluidi, unde morbus perit magno cum praeſentium ſtupore. Mulierculae quoque Noſtrates Tertianam febrim per folles curare ſolent, quibus ſub ueſte aerem gelidum aegris adflant, donec morbus ſoluatur, quod ſemel uidi Stockholmiae, ſtupens, Ao. 1708. menſe Septembri, in ſuburbio Boreali, uulgo Norre-Malm.

Theſ. 16. Terrori compar in nocendi uirtute *triſtitia* eſt et *dolor*, itidem uis mentis ſatis ualida, et longum malum illis, quos corripuit. Namque praeter pallores, lacrymas, languores, humorum coagula, et capitis dolores, multoties urinam copioſe exprimit, obſtructa ſuperficie, interdum longam diarrhoeam, eamque criticam. Namque hic morbus cum melancholia pari paſſu ambulat. Sed, ubi per nullas uias natura morbum ſic potuit exſoluere, uariis diuturnis et chronicis morbis fundamentum ponitur, uel et acutis, mortem, niſi remedia opportune interuenerint, attrahentes, ſicut uidemus

demus in obſidionibus urbium diuturnis, ubi homines contriſtantur propter multas cauſas, et morbo peſtilenti uia paratur. Sic foeminae triſtes, praeter pallores et languores, ordinario fluxu orbantur, ſcirrhisque uteri et mammarum, ac ſubſequentibus cancris et ſterilitate plectuntur. Sic Pompeia Paullina, Senecae coniux, trucidato marito, adeo moeſta euaſit, ut laudabili in maritum memoria, et ore ac membris in eum pallorem alberet, ut oſtentui eſſet, multum uitalis ſpiritus egeſtum, narrante TACITO, Hiſtoriographo ſui temporis fideliſſimo, *Annal. lib. 15. cap. 64.* Homerus, Poetarum pater, quod in Ionia inſula, quaeſtionem a piſcatoribus propoſitam ſoluere non potuiſſet, dolore abſumtus creditur. Et Caſimirus, Marchio Brandenburgenſis, ex moerore et uigiliis, teſte MELANCHTONE, *lib. de Anima*, adeo exaruit, ut aqua omnis pericardii defecerit, ipſumque cor exſectum pyri toſti faciem repraeſentarit. Quin et ipſa ex dolore exareſcere oſſa, in Sacris ſaepius dixit Dauid, et experientia comprobauit.

Theſ. 17. Namque, ut ſupra dictum, curae animi, deſiderium, inuidia, et quicunque intenſior affectus, corpus tam emaciare ualent, ac quodlibet peſtilentiſſimum temporaneum uenenum. Hinc CICERO olim ad Libertum Tironem, *Epiſt. 28.* ita ſcribit: *Audio te animo angi, et Medicum dicere, ex eo te laborare.*

Si me diligis, excita ex ſomno tuas literas, humanitatemque, propter quam mihi es chariſſimus. Nunc opus eſt te animo ualere, ut corpore poſſis. Eleganter ſane Romanae eloquentiae Parens. Et, ſi nullum aliud temporaneum daretur uenenum, certe dolor ſufficit. Ac praeterea in deliquio animi, ex moerore, uel gaudio, nonne ingentem animi in corpus potentiam obſeruamus? ubi ſaepe, ſicut Andromache Senecae, *Troad. Act. 3.*

Reliquit animus, membra quatiuntur, labant,

Torpetque uinctus frigido ſanguis gelu.

Theſ. 18. Sed, ut alia omnia taceam, quid animi curae et amor poſſint, abunde elucet in morbo illo, quem *Noſtalgiam*, Heluetii *Heimwehe*, Noſtri *Heimſiuka*, uocant, Heluetiis in Gallia, et Fennonibus in Liuonia conſtitutis, contingente. Hoc enim malo correpti homines, in peregrinis terris nec edere, nec bibere poſſunt, ſed tabe uel febri conſumuntur, niſi in patriam reuehantur. Nulla ipſis medicamenta proſunt, nulla auxilia: ſolus de patria ſermo ſolatur, ut quaſi ex mortuis reſurgant, nihilque aliud quouis momento, et mente et ſermone crepant, quam patriam. Corripit hic morbus iuuenilem praecipue aetatem, domi ſuae absque omni ſodalitio uiuere adſuetam, uix uero capacem alieni aeris, peregrinae cibationis, alienique moris. Solent autem triſtari, doloribus et uigiliis

giliis palleſcere, ſuſpirare, conſortia aliorum fugere, idque per tempus, donec lecto affigantur, febrisque eos inuadat. Atque ſane eiusdem purique hauſtus aeris, aquae eiuſdem potus, idem coelum, ſolique eadem ſemper et conſueta exhalatio, multum contribuit ad longaeuitatem, ruſticis noſtris conciliandam, qui nempe raro in peregrinas eunt terras, ſed ſibi familiarem et natiuum occupant ſemper locum, in alieno inualidi. Namque, ut mutatio coeli, ſolique morboſi, longis morbis curandis confert, ita eadem ſalubria relicta, non poſſunt non priorem ſanitatem uitamque ſic abbreuiare. Prorſus, ut hinc addam NASONIS illud, Noſtalgia in Ponto laborantis, *l. 2. de Pont. El. 4.*

Neſcio, qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, et immemores non ſinit eſſe ſui.

Cum enim propter carmen, et oculorum errorem, Tomos in exilium miſſus eſſet ab Auguſto Caeſare, contabuit dolore, ut ipſe innuit, *lib. 3. Triſt. Eleg. 4.*

Vt tetigi Pontum, uexant inſomnia: uixque
Oſſa tegit macies, nec iuuat ora cibus.
Quique per autumnum percuſſis frigore primo
Eſt color in foliis, quae noua laeſit biems:
Is mea membra tenet, nec uiribus alleuor ullis,
Et nunquam queruli cauſa doloris abeſt.

Theſ. 19. Confeſſus autem ſupra ſum ingenue, ignotum mihi eſſe, quanam ratione, mens dolens, uel amans, uel iracunda, uel inuidens, uel aliter affecta, in ſuum et ſibi adſignatum corpus agat. Et forſan haec ueritas tamdiu latebit, quam diu mens cogitans huic corpori incarceratur, multo liberius intellectura, poſtquam a corpore fuerit ſoluta. Sed tamen uis iſta mentis, in quocunque affectu uehementi et doloroſo, ſiue fiat per nerueum fluidum in corpore, ſiue alio adparatu, corpus tamen inſtar aculeorum erodit, ſanguinem minuit, et acrem reddit, ſolida ipſa abradentem, ut corpus ſic ſenſim ſenſimque, et tacito morſu, pereat. Quod expreſſit idem NASO, *de Pont. Eleg. 1. lib. 1.*

Eſtur ut occulta uitiata teredine nauis,
Aequoreos ſcopulos ut cauat unda ſalis;
Roditur ut ſcabra poſitum rubigine ferrum,
Conditus ut tineae carpitur ore liber;
Sic mea perpetuos curarum pectora morſus
Fine quibus nullo conficiantur, habent.

Theſ. 20. Multi inſuper dantur homines, qui tam mobili neruorum ſucco gaudent, ut, ad aſpectum, uel ſermonem, rei nauſeabundae, aut parum pudicae, et minus gratae, teneri ac delicatuli, uomant, angantur animi, aluum liquidiſſime deponant, uel in capitis dolorem, uertiginem, aut deliquium, cadant. Sicut e contrario ſunt, qui quasuis res, adſpectu horrendas,

odore

odore nauſeoſas et foetidas, ſermonesque inhoneſtos, nihili faciant; ex certa organorum ſtructura mobilitateque, et ſucci neruoſi tenuitate, motu, et natura. Sic homines inueniuntur, qui non facile exterrentur, Martis hi quidem filii; contra uero, qui ad leuiſſimam uenti, uel folii ſuſurrum, contremiſcant.

Theſ. 21. Qui inſuetus naui, per undas celerius agitata, uehitur, pallidus euadit, uomituriens et uomens, ſequente capitis dolore ingenti, torminibus, uertigine, ſcotomia, inappetentia, atque interdum morte. Eſtque hoc malum, cerebri productum, eiusque liquidi, conquaſſati, et male per neruos rapti. Vnde Laodamas, Alcinoi filius, miſeratus Vliſſem, ſic ab HOMERO locutus introducitur, *Odyſſ. l. 7.*

Ου γὰρ ἔγωγέ τε φήμε κακώτερον ἄλλο θαλάσσης
Ανδρά τε συγχέυαι, εἰ καὶ μάλα κάρτερος εἴη.

Eiusmodi tempeſtatis, et ſoli moleſtiam, ſentinaeque uitia, ſaepe in mari Balthico et Germanico expertus ſum,

Nempe equo ligneo per uias coeruleas
uectus, ut Plautina utar phraſi, *Rudent. Act. 1. Sect. 5.* praecipue uero, Ao. 1707. Septembri et Octobri menſe, in mari Germanico, uulgo noſtrati *Norrſioen*, et Ao. 1709. et 1710. in mari Balthico, cum claſſi Regiae, in Ruſſos expeditae, pro Medico inſeruirem. Et, mirum non eſt, ualetudine minus bona eſſe, qui anguſtiis loci, et

odore

odore tetro, et multitudine cadauerum, tum aquae interdum ſumma inopia conflictantur. Exclamare ergo poſſumus cum Tragoedo SENECA, *Med. Act.* 2.

Audax nimium, qui fretu primus,
Rata tam fragili perfida rupit,
Terrasque ſuas poſt terga uidens,
Animam leuibus credidit auris,
Dubioque ſecans aequora curſu,
Potuit tenui fidere ligno;
Inter uitae, mortisque uias,
Nimium gracili limite ducto.

Sed, quid ego aliud, quam moleſtiam, atque aquas expectare poſſem, qui, cum Accote Naſoniano, *lib.* 1. *Metam.* queror, quod mihi fuerint

- - humili de plebe parentes.
Non mihi, quae duri colerent pater arua iuuenci,
Lanigerosque greges, non ulla armenta reliquit.
Pauper et ipſe fuit: linoque ſolebat et hamis
Decipere, et calamo ſalientes ducere piſces.
Ars illi ſua cenſus erat, cum traderet artem,
Accipe, quas habeo, ſtudii ſucceſſor et haeres,
Dixit opes, moriensque mihi nihil ille reliquit,
Praeter aquas: unum hoc poſſum appellare paternum.

Theſ.

Theſ. 22. Atque dantur quidam, qui nunquam mari adſueſcere poſſunt, quia decumanis fluctibus et turbine tumultuantibus, moleſtiam apud ſe quandam experiantur: quod in multorum nautis ſaepe obſeruaui. Euenit id meo quidem iudicio in illis, quorum cerebrum totam non replet caluariam: hinc quoque ex leui agitatione moleſtatur et concutitur, ſuccumque exprimit in neruos uiolenter. In tali autem caſu raro medela locum habet. Opium tamen, et crocus, ſi ulla, ſunt optima. Mihi quidem Laudanum liquidum Sydenhami ſaepe opem tulit. Et, illuſtris VERVLAMIVS, *Hiſt. Vit. et Mort. Art.* 12. 13. 14. *Operat.* 2. *ſ.* 15. meminit Angli cuiusdam, qui, ut uectigalia ſupprimeret, cum in Belgium transfretaret, croci ſaccum circa ſtomachi portauit regionem, optimeque tunc in ſumma fluctuum iactatione ualuit, nec ſenſit nauſeam, licet ante id tempus ex mari ſemper aegrotare ſolitus eſſet.

Theſ. 23. Ergo haec omnia iam enumerata ſymptomata, ac multa alia, ex ſolo ſpirituum, ſeu ſucci neruoſi, in ſolida uel fluida inordinato influxu, explicari queunt, ad talem orgaſmum excitati, uel ab obiectis externis, uel interna mentis in corpus ſuum inexplicabili actione, qua ſolida in contractilitate ſua obeunda uel crebrius incitantur, uel omnino impediuntur; Fluida uero hinc aut immenſum reſoluuntur, diſperguntur, conſumunturque, aut denſe coagulantur.

gulantur. Et quanta, uel ex ſolo terrore, ſpirituum, in ſanguineo fluido condenſando, et praecipitando, uis ſit et potentia, cl. MALPIGHII docet obſeruatio, *Tr. de Polyp.* dum uir quidam robuſtus, improuiſo concuſſus terrore, in pulſus inaequalitatem et obſcuritatem incidit, et, recurrente reſpirandi difficultate ingenti, breui tandem per ſputa, quandoque rubri ſanguinis portiones, quandoque copioſa alba quaedam fruſtula, ueluti polypos, excreuit, ac poſtremo, turgentibus ſuperioribus, coercita, propter lacerum pulmonem, ſanguinis copia, ſuffocatus interiit.

Theſ. 24. Cerebri ac cordis propinquitas, utriusque ad uitam, facit, ut poſt cerebri uenena, etiam de *Cardiacis Venenis* agam. Vulgus quidem putat, dari quaedam medicamenta, quae cor immediate roborent, atque exhilarent, qualia quidem nulla adhuc noui. Omnia enim, quae cor roborant, hoc eſt, quae faciunt illud fortius et crebrius ſe contrahere, ſunt peſſima homini uenena, et uitae noſtrae quam maxime contrariantia, ſicut faciunt omnia uenena acria, metallica, acida, alkalina, mechanica, et animalium putrefactiua. Ex hiſce enim largius adſumtis, augetur quidem motus cordis, ſed in machinae totius deſtructionem usque. Et, ſicut morbi a cauſis diuerſis oriuntur, ita quicquid morbo contrarium eſt, cardiacum uocari poteſt, non, quod cor roboret, ſed, quod toti ſit gratum corpori. Sic in febribus putridis et alkalinis,

kalinis, omnia acida, metallica et uegetabilia, ſunt cardiaca. Contra in morbis ab acido, ad alkalina confugiendum eſt. In morbis ab ira, ad manſuetudinem, in dolore et triſtitia, ad gaudium; et ſic de ceteris. Sed, quid cardiacum ſit in omni morborum genere, ex opio illud et croco petendum eſt.

Theſ. 25. Omnia itaque dicta uenena, quae cerebro nocent, et ſenſibus, pariter ſunt uenena cardiaca. Cor enim, per neruos ſuos, maximum ſui motus momentum ex cerebello recipit. Quibus neruis uel obſtructis, uel abſciſſis, aut ipſo nerueo ſucco depauperato, uehementius moto, aut tardius, cor laeditur. Vel enim nimis crebro et fortiter contrahitur, uel nimis languide. Inde ſequitur ſanguinis ſtagnatio et coagulum, uel reſolutio, acredo, uaſorum ruptio, et liquidorum coagulatio, febres acutae, mors. Hinc omnes affectus uehementiores, niſi ſuperuenerint contrario et morboſo affectui, ſunt uenena cardiaca. Quales ſunt, ira, gaudium, triſtitia, terror, amor, uigiliae, atque id genus alia; namque haec, ut ſupra monui, habent ſemper rationem ueneni corroſiui.

Theſ. 26. Venena porro corroſiua omnia, ex regno minerali, animali et uegetabili, mechanica denique, uel ſubtilia, et terendo in pollinem acerrimum effigurata, uel craſſiora, ut gladius, acinax, pugio, culter, globus ex machina emiſſus, et ſexcenta eiusmodi alia, ſunt

cordi

cordi uenena. Vel enim intra uaſa fluitantia, cor exedunt, uel externa ui adacta, ipſum lethali uulnere perforant, ac deſtruunt, uel eius neruos abſcindunt. Quo pertinent omnia, quae pulmonem laedunt grauiter, interne uel externe; eius enim ad uitam maxime neceſſarius eſt uſus. Suntque talia fere eadem, quae nunc enumerata. Polypus quoque in cordis uicinia, arteriae, uel ipſi innaſcens cordi, tum uenena ſumme obſtruentia, atque uitam cum maxima pectoris anguſtia tollentia, huic pariter claſſi adnumerantur.

Theſ. 27. Puto autem omnia, quaecunque uenena, omnesque affectus, et ignes febriles, eſſe talia, cum, quocunque modo laeſerint, nulla tamen pars inde magis afficiatur, quam quidem cor. Nam, per totam pectoris regionem, incredibilis anguſtia percipitur, praeſertim in moribundis, tumque dicitur Noſtris: *Doeden 'ſaetter ath Hiertat*, h. eſt, mors ipſum cor petit. Atque hoc in phaenomeno, et ſcena ultima fabulae humanae, omnia et ſingula uenena, omnesque morbi mortiferi, conueniunt. Cor uero prae ceteris partibus ſolidis, tanto magis ab acribus adficitur, quanto maiorem in ſe habet potentiam et momentum ualidum contractionis, uimque ipſam uitae noſtrae, ex qua uita, reliquae omnes ſuam quaelibet mutuantur. Hinc Cor recte dicitur, primum eſſe uiuens, atque ultimum moriens. Nec aliter ego ullum mortis genus concipere poſſum.

CAPVT

Capvt Dvodecimvm.

Catalogum et Operandi rationem Venenorum Sterilitatem facientium atque abortiuorum exhibet.

Theſ. 1. Illam foecunditatem, quam Creator optimus, primis noſtris parentibus inſeuit, quaeque per multa poſtmodum ſecula celebrata eſt, minui multum ac hebeſcere noſtra tempeſtate contigit, poſtquam homines, uel a priſca uiuendi ratione deſciuiſſent, uel execrabili inuento, hanc ipſam foecunditatem extirpaſſent. Equidem multi dantur, qui, neſcio, quo naturae conſilio, ſteriles facti ſunt, plures autem, qui aliorum uitio, praecipue uero ſuo ipſorum errore, ſterilitatem contraxerunt: tantum ſub petulanti exorbitantes iuuentute, ut, quando olim matrimonium fuerit initum, atque in ſobole imaginem ſuam, et amoris pignus conſpicere cupierint, praeter opinionem inueniant ſe infoecundos. *r*)

r) Hanc rerum mutationem, optime Owenvs, propria, ni fallor, experientia edoctus, hiſce deſcripſit: eſt amor in nobis in lignis ut latet ignis, ignis uti lignum, nos leuis urit amor. Ligna ſed in cineres uaneſcunt ignis in auras, nos cinis, et noſter, quid, niſi fumus, amor? Nihil ſane magis nocet intempeſtiua atque im-

Theſ. 2. Quod mares attinet, quidam in hoc uitium

moderata uenere; libidinoſa enim et intemperans adoleſcentia effoetum corpus tradit ac relinquit uegetae aetati. De foecunditate igitur, gentisque tuae propagatione, ſanitate, longaeuitate, ſollicitus, ARISTOXENI monito morem geras, neceſſe eſt, ita apud STOBAEVM, *ſerm. 99.* diſſerentis: περὶ δὲ γενέσεως παίδων, τάδε ἔλεγε· καθόλου μὲν φυλάττεσθαι τὸ καλούμενον πρόφερες· οὔτε γὰρ φυτῶν, οὔτε τῶν ζώων εὔκαρπα τὰ πρόφερῆ γίνεσθαι, ἀλλὰ χρόνον τινὰ προπαρασκευάζεσθαι τῆς καρποφορίας, ἐν ᾧ ἐξισχύσαντα καὶ τετελεωμένα τὰ σώματα, παρέχειν τά τε σπέρματα καὶ τοὺς καρποὺς δεδύνηται· πολλὰ δὲ εἶναι ἐν οἷς ἡ ὀψιμαθία ἐστὶ βελτίων, οἷον, καὶ τὸ τοῦ ἀφροδισιάζειν πρᾶγμα· τοῦτο γὰρ πρός τε τὴν τῶν γεννώντων, καὶ τῶν γεννησομένων εὐεξίαν πολὺ συμβάλλεσθαι. Δέον οὖν ἐστι, παῖδας οὕτως ἄγεσθαι διὰ τῶν σωμάτων ἀσχόλους, ὥστε μὴ μόνον μὴ ζητεῖν ἀλλ' εἰ δυνατὸν, μηδὲ εἶναι τὴν τοιαύτην συνουσίαν ἡγεῖσθαι ἐντὸς τῶν εἴκοσιν ἐτῶν. Ὅταν δὲ καὶ εἰς τοῦτο ἀφίκηται, σπανίοις εἶναι χρηστέον τοῖς ἀφροδισίοις. Concubitus frequens, inquit CELSVS, *l. 1. c. 1.* ſoluit corpus. Nec actio, in uniuerſo terrarum orbe, cum qua, exercitium ueneris, melius, quam cum militia, conferre queas, occurrit. Milites, quo iuniores, robuſtiores, obſequientiores, et cum prudentia feruidiores, eo meliores; ita peraeque ſe res cum amantibus habet, iuuentus quippe, integrae uires, et reliqua iam adducta momenta, omne hic ferunt punctum;

uitium incidunt, naturae conſilio quodam, cum
Ss 2 ipſis,

nam, amor odit inertes, uti pronunciauit Ovidius, *lib. 2. de art. amand.* Militiae ſpecies, amor eſt, canit idem, *cit. loc.* diſcedite ſegnes, nec ſunt haec timidis ſigna tuenda uiris. Nox et hyems, longaeque uiae, ſaeuique labores, mollibus his caſtris, et dolor omnis ineſt; ſaepe feres imbrem coeleſti nube ſolutum, frigidus in uda ſaepe iacebis humo. Ita igitur, uti citatus concludit Naso, *lib. 1. Eleg.* militat omnis amans, et habet ſua caſtra Cupido, Attice, crede mihi, militat omnis amans. Quis, niſi uel miles, uel amans, et frigora noctis, et denſo miſtas perferet imbre niues? Sed, quo promtior et firmior, ad haec ſuſtinenda, et perficienda, eſt uegeta iuuentus, eo maiorem, idem peraeque praeſtandi, impotentiam, uiribus per intempeſtiuam uenerem exhauſti, aegroti, annisque graues, obtinemus, infirmis prorſus ſimiles militibus, qui a Gallis *les Invalides* uocati, ad militiae munera non amplius idonei, uel ciuitatibus oneri ſunt, uel in noſodochiis nutriti, miſeram ducunt uitam. Ac plures certe inuenies, quos tam Venus, quam Mars, ante tempus, infirmos, elumbesque reddit. Cur itaque ſaepius oleum operamque perdat medicus, ad ſterilitatis curam requiſitus, ex antecedentibus omnino manifeſtum eſt. Quot enim, exhauſto omni ſuccorum flore, neruorumque tono plane peſſundato, cum iuuenculis, inſontibus adhuc, matrimonium ineunt, ſte-

ipſis, uel nullum membrum, uel inperforatum, uel

rile futurum, niſi fratrum miſericordia opem ferret praeſentiſſimam? Quot, quibus curta genitalium ſuppellex, uiribus, libidinoſarum deſiderio coniugum, ſatisfaciendi, deſtituuntur? Quot, eroſis glandulis proſtatis, corruptaque uniuerſa per luem ueneream machina, non fruſtraneum modo, ſed pernicioſum cum coniugibus coitum celebrant? Quid dicam de diſcrepante, et ſibimet inuicem inimica coniugum conſtitutione, aetate, et conſuetudine? Quid dicam de mutatione amoris, cum mutatione formae et pulchritudinis? Stulta tu es plane, queritur meretrix apud Plavtvm, *in Moſtel.* quae illum tibi aeternum putas fore amicum, et beneuolentem; moneo ego, te deſeret ille aetate, et ſatietate. Et paulo poſt, ita loquitur: ſi dictis nequis perduci, ut uera haec credas mea dicta, ex factis noſce rem; uides, quae ſim, et quae fui ante; nihilo ego minus, quam nunc tu, amata ſum, atque uni modo geſſi morem. Qui pol me, ubi aetate hoc caput colorem commutauit, reliquit deſeruitque me; tibi idem futurum credo. Sunt igitur innumerae cauſae, quae in utroque ſexu ſterilitatem producunt; adeoque multiplicia et infinita erunt uenena, ſterilitatem generantia. Alia uero horum, uitia uniuerſi corporis, alia, ſaltem genitalium organorum labem reſpiciunt. Nulla uero uenena, niſi immediate genitalibus organis applicata, ac deſtructa eorum, iisdem uel eroſis, uel obſtructis occalliſatisque, functione,

uel incongruum, aut paralyticum, accidit: cum-
 que

ſine aliarum partium et uiſcerum morbo, ſterilitatem producunt. Multa quoque, in claſſem uenenorum, ſterilitatem producentium, immerito referuntur. Talia ſunt, lactuca, ruta, portulaca, nymphaea, infuſum Coffeae, et plura alia. Ex his quoque patet ratio tot controuerſiarum, quas antiquiſſimi iam medici, de uiribus citatorum remediorum motas, fouerunt. Paucis: nulla dantur uenena, ſterilitatem inducentia, abſolute talia, ſed, quae in his illisue ſubiectis cauſam ſterilitatis conſtituerunt, eadem in aliis foecundum promouerunt coitum, uti idem uberius explicaui ac demonſtraui, *Toxicologiae lib. 3.* conf. *A. N. C. Dec. 2. Ao. 1 obſ. 111. et Dec. 2. Ao. 6.* Casp. *a* Reies, *qu. 82.* Simon, *diſſert. de Impot. Coniug. cap. 7. theſ. 2. no. 21. et ſequ.* Zacutus Lusitanus, *Prax. Admir. lib. 2. obſ. 140. et 141.* Langius, *lib. 1. epiſt. 49. p. 241.* Fabricius Hildanus, *Cent. 1. obſ. 65. et 66.* Quod peraeque tenendum de abortiuis, nam remedia, quae promouendi abortus ergo, ore aſſumuntur, idem, non ſine ſumma uniuerſi corporis iniuria, praeſtare poſſunt. Ita emetica et purgantia, magis canalem alimentorum afficiunt laeduntque, quam uterum; ac detrimentum, quod hinc in uterum foetumque redundat, per conſenſum, iure uicinitatis, propagatur. Quot praeterea meretrices, multis deuoratis emeticis ac purgantibus, bene ualent, ſanosque iuſto tempore edunt infantes?

que uel nullo ſemine, uel infoecundo, nulliſque

Nihil hinc dementius eſſe iudico, quam in grauidis, quae ſibi febres intermittentes, peruerſa uictus uiuendique ratione, et hinc cumulatis in uentriculo cruditatibus, accerſiuerunt, leniorum uſum emeticorum repudiare, cum tamen eaedem maius incommodum ex perpetua, qua uexantur, nauſea, inanique uomendi conatu, perpetiantur, atque ab iis maius, quam a lenioris propinatione emetici, periculum abortus immineat. Ita etiam ſeſe res habet cum uenae ſectione, quae in ſubiectis plethoricis, bis terue, in pedibus etiam, inſtituta, ac repetita, certiſſimam abortus praecauendi antidotum conſtituit. Nec aliter ſentiendum de ſabina, aliisque uolatilibus, quae grauidis phlegmaticae conſtitutionis foeminis, haud leue praebent auxilium, laxiores irritando fibras, ſuccosque uiſcidos reſoluendo, ſerumque quantitate peccans, per auctas eliminando ſecretiones. Ridiculam demum eorum iudico ſententiam, qui martem, martialiaque remedia, pro fortiſſimis abortiuis habentes, putant: eadem, ad uterum deducta, foetum, licet grandiorem, in plurima et minutiſſima diſcindere fruſtula, fruſtulatimque embryonem expellere; quod tamen tum a martis principiis, tum a detecta canalis alimentorum, uiarumque, per quas chylus, medicamentaque, ad ſanguinem, et per ſanguinem, ad uiſcera ablegantur, ipſisque circuli ſanguinis, abunde innumeris experimentis de-

que animalculis animato, donentur; uel quando apud ſe nullos unquam amoris ignes, nullum cupidinis ſenſum experiuntur, ut multis contingere audiui. Sic noui quendam ſtudioſum Vpſaliae, N. H. Ao. 1704. qui amoris quidem oeſtro ſaepius tentabatur, et calebat, cum toto adparatu cohabitationis futurae, ſemen tamen nunquam habuit, nec emittere potuit, ut ipſe ſaepius faſſus eſt. Pariter Ao. 1708. conſilium a me petiit uir honeſtus, et Prouincialis Secretarius, Stockholmiae, quomodo mederetur orbitati ſeminis, cum in primo matrimonio foecundus fuerit, in ſecundis uero nuptiis omnem quidem alium adparatum haberet, ſemen tamen non emitteret. Ego quidem ipſum monui, parciſſime uxorem amplecti, et lacticiniis ac leguminatis uti.

Theſ. 3. Praecipuum uero, partibus, generationi inſeruituris, malum, adportat, *Venus praemature culta*, et nefandum ſcelus Onaniticum, unde totum generationis penu exhauritur ante diem, exareſcit, ac hebeſcunt partes ſolidae, crebrius erectae. Hinc uidemus omnes, qui ueneris caſtra per ipſam iuuentutem ſequuntur, aetate uirili ſubeunte, ſterileſcere. Atque haec cauſa fuit primaria foecunditatis noſtris olim maioribus, cum ante trigeſimum annum uenerem non coluerint. Nunc uero pueri cum puel-

monſtrati, legibus, plane abhorret. conf. *Toxicol. noſtr. lib. 3. cap. 39. et ſequ. p. 43. et ſequ.*

lis cohabitant. Videmus tamen, arbores praematurius arte uel ſuapte ſponte fructiferas, in ipſo uigore aetatis exareſcere. Sed, ſicut frequentius culta uenus uires exhaurit, et flacciditatem membris inducit, ita quoque nimia abſtinentia, in uiris flacceſcere facit mentulam, iſtique prorſus operi inidoneam, cum omnes corporis partes ex modico ſemper exercitio roborentur et uires adſumant. Hinc CORNELIVS GALLVS, flacciditatem nimiam in ſenili corpore queſtus, *Eleg. 5.* ſic concludit:

Occidit aſſiduo quod caret officio.

Theſ. 4. Quo accedit *Luxuria* noſtrorum temporum, Indicis ignibus, aromata puto, quoscunque cibos condiens, et corpus in uenerem incendens. Vnde ſaepius natura in amplexus cogitur, quam quidem ipſa inclinet. Atque ita foecundum ſemen deperditur atque exhauritur. Hinc puto, homines lautiori ciborum adparatu ſemper gaudentes, et uariis inebriaminum generibus incaleſcentes, non tam eſſe foecundos, quam quidem plebeculam, parco ac parabili uictu uictitantem, ſicut cuiuis per patriam noſtram peregrinanti conſtat.

Theſ. 5. Nulla tamen res foecunditati tam ingentem inuſſit noxam, ac quidem morbus ex uenere uaga oriundus, et *Lues Venerea* ideo nuncupatus. Partes enim genitales interdum exulcerat, conſumit, diſtorquet, et deprauat, ut inidoneae reddantur ad ea amplius opera, ad

quae

quae, a natura ſunt fabricatae, ſicut in multis adparet, hoc malo olim mulctatis. *Mercurius* quoque *crudus*, huius morbi antidotus ſola, fidaque, eo ipſo, quo morbi alkalinam debellat acredinem, meo quidem iudicio, ipſa animalcula, et futurorum hominum ſemina, occidit, uirtute ſua anthelmintica, qua praeter cetera celebritatem iniuit.

Theſ. 6. Sed, ut ad Onaniticum peccatum, et nefandam *Manuſtuprationem*, redeam, non facile dictu eſt, quam multi inde facti ſint ſteriles, breuiſſimum gaudium et iuuenilem ſtultitiam longo ac diuturno animi moerore perſoluentes. Nam, qui ex *Pollutione Nocturna* ſterileſcunt, excuſandi magis ſunt, niſi per epulas quotidianas, excitatis ignibus, incaleſcant, et polluantur. Et certe uitatio huius ſceleris ac tacitae ueneris, humano generi multiplicando multo ſalubrior eſt, quam lex illa Amurathis IV. Turcarum Induperatoris, qui tabaci fumigationes, foecunditatis cauſa, capitali ſupplicio cauit, ut narrat MAGNENVS, *de Tabac. Exercit. 6. ſ. 10.* Namque, quod olim Pontico ſuo exprobrauit MARTIALIS, *Epigr. lib. 9. cap. 42.* Poeta ceteroquin ſpurciſſimus, hic forte locum inueniet, quod, quia ad rem praeſentem facit, totum exſcribam:

Pontice, quod nunquam futuis, ſed pellice laeua
Vteris, et Veneri ſeruit amica manus:

 Hoc

Hoc nihil eſſe putas? Scelus eſt, mihi crede, ſed ingens,
Quantum uix animo concipis ipſe tuo.
Nempe ſemel futuit, generaret Horatius ut tres,
Mars ſemel, ut geminos Ilia caſta daret.
Omnia perdiderat, ſi maſturbatus uterque,
Mandaſſet manibus gaudia foeda ſuis.
Ipſam, crede, tibi Naturam dicere rerum,
Iſtud, quod digitis, Pontice, perdis, HOMO eſt.

Theſ. 7. Cauſae uero dictae, quandam ſecum moralitatem habent, et in hominis ipſius peruerſa uoluntate ac deſiderio impudico fundamenta ponunt. Dantur quoque res aliae, quae uel caſu deglutitae, uel per fraudes propinatae, hoc uitium corpori adferunt, ſicut ſupra retuli de *ſaturni ſale*, huius criminis accuſato. *Gypſum* praeterea, et omnia ſumme obſtruentia, praeter cetera mala, etiam ſterilitatem, inducunt. Sic PLINIVS, *H. N. l. 16. c. 26. Semen Salicis*, mulieri, ſterilitatis medicamentum eſſe, ſcribit. Idem PLINIVS, *l. 24. c. 8.* de ſalice ſic habet: *Folia* contrita et pota, intemperantiam libidinis coercent, atque in totum aufferunt uſum, ſaepius ſumta.

Theſ. 8. Huius indolis et *Agnus Caſtus* eſt, *Vitex* alias dictus, frutex, ſalici adfinis, cuius foliis cubitus ſibi ſubſtrauiſſe matronas Athenienſes,

narrat, in Thesmophoriis ſeu Cereris Deae ſacris, ut ſacrorum tempore perſiſterent caſtae. Veneris quoque ſtimulos reprimit *Cannabis*, DIOSCORIDIS elogio, *Mat. Med. lib. 3. c. 149.* et extinguit: hinc quoque in emulſionibus ad gonorrhoeam uirulentam, non male adhibetur, ut ſiſtat impetum; Opiatorum enim claſſi antea inferre non erubui. Et iam uel uulgo medico compertum eſt, non ſolum ignes proprie ſic dictos febriles, ſed et ipſam extingui *Nymphaea* herba uenerem. Ego autem uix hoc comperi, Ao. 1709. menſe Auguſto, in ruſticis Inſulae Seeskaerenſis, prope Narwam, ubi prae annonae caritate, et Ruſſorum tyrannide, nihil, quod ederent, panis loco, habebant, praeter radices nymphaeae luteae, cum corticibus pini, Noſtris *Tale* dictae, in farinam contritas, et tamen feliciſſima gaudebant et prolixa prole. En mirabilem amoris ignem, nec nymphaea, nec fame, niſi pertinaciori, reſtinguendum!

Theſ. 9. Porro lactucam rotundam, minima radice, foliis latis, uenerem exſtinguere, ueteribus non ſolum, ut PLINIVS meminit, *lib. 19. cap. 8.* notum fuit, ſed et hodierno dicterio cognitum eſt, praecipue tamen uiris hoc ſupplicii genere mulctatis. Vnde et mulieres Graecae lactucam adpellarunt ἀςύλιδα, quod τὸν ςύλον arrigi prohiberet. Et, uel Callimachi, Poetae, patuit fabula, Adonim, Veneri Deae impenſius amatum puerulum, cum ab apro occiſus eſſet,

ſub

ſub lactuca ſepultum. Atque apud ATHENAEVM, a Natali de Comitibus Latinitate donatum, *Deipnoſoph. lib. 2. cap. 32.* introducitur Amphis ſic in Ialemo ſcribens:

Inter lactucas peſſime perditas,
Quas ſi quis inter ſex decies annos edat,
Cum ſortietur foeminam dormire apud,
Oportet illum nocte tota uoluier,
Nihilque agentem, quae uolebat, pro uiro
Fricare fortunam manu neceſſe ſit.

Quae ſuperſtitio, multorum adeo animis inhaeſit, ut ad Auguſti aetatem, religio eſſet, lactucis ueſci, obſeruante PLINIO, *lib. 19. cap. 8.* Eſt et *papauer nigrum*, inter lactucae ſpecies ab antiquis relatum, quod lac ferat, ſed ſoporiferum.

Theſ. 10. Vſu inſuper *Rutae*, generationes impediri, ideoque in profluuio genitali dari eam, et uenerem crebro per ſomnia imaginantibus, PLINIVS habet, *lib. 20. cap. 13.* Idem de Mentha refert *cap. 14.* quod et HIPPOCRATES, *lib. 2. de Diaet. n. 26.* aſſerit. Et DIOSCORIDES, *Mat. Med. lib. 3. c. 34.* illam mulieribus ante coitum uuluae adpoſitam, conceptionem impedire, tradit. Caſtitatem inducere illam, totum corpus perfrigerando, omnemque alacritatem tollendo, uidetur indigitaſſe ARISTOTELES, *Probl. 2. Sect. 20.* mentham, belli tempore, neque edendam, neque ferendam, his uerbis praecipiens: μένθην ἐν πολέμῳ

λέμῳ μήτε ἔτεε, μήτε Φύτευε. Quamuis ego credam, calefacere hanc quam maxime, et uenerem ciere, atque ſic per accidens refrigerare. *Portulaca* itidem *Syluestri*, ſeu *Telephio*, uenerem inhiberi, ueneriſque ſomnia, auctor eſt PLINIVS, *lib. 20. cap. 20.* item, ſi *Perſoluta*, ſeu Petaſitis, ſubdatur homini, uenerem inhibet, maxime uiris, tradente eodem PLINIO, *lib. 21. cap. 33.* Et *Periclymeno*, ſterilitatem uiris fieri, idem prodit, *lib. 25. c. 7.*

Theſ. 11. Sed, inter haec ſterilitatis uenena, non omnia quidem aeque mala ſunt. Quaedam enim, uel per frigus ſuum, uel opiatam uirtutem, inhibent effluxum ſeminis. Sic, qui nymphaeam biberint, *duodecim diebus coitu geniturague priuari*, ſcribit PLINIVS, *l. 25. c. 7. l. 26. c. 10.* Sicut et uulgo notum eſt, *Nucem Moſchatam*, in uitello oui comeſtam, ſemen retinere. Sed *Cicutam*, teſtibus illitam, circa pubertatem, uenerem omnem certiſſime extinguere, ſaepe nominatus PLINIVS, *c. 13. d. l.* docet; Sicut et mammas, a uirginitate, ſucco cicutae illitas, ſemper ſtaturas, ex ANAXILAO refert. Atque, utut facile crediderim, per haec iam enumerata ſterilitatis uenena, aliquid mali fieri poſſe interdum, ſicut et ſterilitas inducta legitur per clandeſtinam ſachari ſaturni propinationem, foeminae Principi in Hiſpaniis. Et Franciſcus Sfortia, Mediolani dux, ueneno ſterilis factus, teſte CARDANO, *de Venen. lib. 3. cap. 1.*

ut reliqua exempla taceam. In nobilibus tamen et diuitibus, uenenum ſterilitatis maximum, maturius et frequentius cultam uenerem, corpusque hinc exſuccum atque eneruatum, lubenter aſſero, procliuibus ſemper communi mortalium uitio, in remouenda a ſe urgentium malorum culpa, in alios uero reiicienda.

Theſ. 12. Praeter iam dicta ſterilitatis uenena, *Coffe* potus, uel *Cahwe*, Perſis creditur, ſterilitatem inducere, teſte OLEARIO, *Itiner. Perſic. lib. 2. pag. m. 422.* eamque ob cauſam hunc potum libenter a Perſis expeti, cum polygamia ipſis alias numeroſam prolem adferret. Et ridiculam habet hiſtoriam de Regina Regis Perſiae Subthan Mahmud Kaſnim, per hunc potum ſterilis facti, atque eneruati. Cum enim aliquando ex feneſtra conſpiceret Regina equum educi, et quaereret, quid hoc ſibi uellet, reſponſum ipſi eſt, caſtrandum eſſe equum, ut animoſitas inſultandi aliis, ipſi demeretur; infit Regina, non opus eſſe hoc modo ipſum caſtrare, cum per nefarium Cahwae potum ſatis eneruari poſſet, ipſique Regi ſimilis fieri. Idem OLEARIVS, *Part. 3. pag. m. 529.* ſcribit, legatum Perſicum, qui ad Ducem Holſatiae miſſus erat, frequenter uſum *ſemine cannabino toſto*, quod Perſae incendere quidem uenerem credunt, ſed iuxta ſterilitatem inducere. Sterilitatis inducendae potentia infame quoque eſt muſtum caſtratum, ſeu liquor iſte uinoſus,

Stuhm dictus. Emmenagogam tamen uirtutem, in *Caowae* potu eſſe, uult PROSPER ALPINVS, *de Med. Aegypt. l. 1. cap. 3.* huiusque arboris fructum, Euonimo eſſe perſimilem, refert.

Theſ. 13. In mulieribus autem ſaepe haeret uitium ſterilitatis. Quando enim naturalia ex natiuitate, uel poſt uulnus uenereum, uel poſt partum difficilem, ſunt concreta, nec manu chirurgi poſſunt aperiri, aut ullo alio remedio, fit ſterilitas inſuperabilis. Praeterea ad ſterilitatis negotium, tum quoque ſuum foeminae ſymbolum addunt, cum ſchirrho uteri laborant, prout HIPPOCRATES etiam olim agnouit, *de Morb. Mul. lib. 2. n. 45. 46. et de Sterilit. n. 26.* Atque haec cauſa ſaepe regnat, ſtupentibus coniugatis. Et, ſi fides ſit Cl. LISTER, *de Font. Med. Angl. tr. 2. cap. 4.* dum cicatrices, ex uarioloſo praecipue morbo, ipſa ouaria, excludendis ouulis, iam nunc animaculo donandis, inepta reddiderant ac prorſus inidonea, fit ſterilitas. Namque illa omnia uenena, quae uiris propinari poſſunt, etiam foeminis ſunt exitioſa.

Theſ. 14. Verum contingere interdum uidemus ſterilitatem inter coniuges, nullo uitio naturae in utroque exiſtente. Quod ſane paradoxum uidetur. Sed cogitandum eſt, quod, ſicut diuerſimode luſit natura in aliis corporis partibus, atque iſtam facierum uarietatem induxit,

duxit, ita quoque in his membris, quoad omnes dimenſiones, ſit uarietas, ex qua partium incongruentia, fit ſterilitas, nunquam medicanda. Vterque tamen ſexus per ſe, et ratione alius hominis, partium generationi inſeruientium ſymmetria ſibi quam optime reſpondentis, non eſt ſterilis. Sed fit quoque interdum ſterilitas, licet partes naturales quam optime ſibi conueniant. Atque haec cauſa omnium aliarum maxime facit ſterilitatem. Scilicet, ſicut pro ſtructura ſolidorum, et natura fluidorum, quidam homines in iram, aut quemcunque alium affectum, citius incandeſcant, celeriusque rurſus, conſumto igne, miteſcant, et hebeſcant; ita quoque alter coniugatorum igneae naturae, uenerem ſuam primo protinus momento abſoluit, alter uero frigidior, nonniſi longiori tempore, in iuſtum calorem pruritumque et laetitiam, procreationi parem, incaleſcit. Ac, niſi momenta caloris in utroque conuenerint, omnis amplexus erit infoecundus. Hinc uidemus, multos mares in primo matrimonio foecundos, in ſecundo infoecundos, et tertio rurſus foecundos, et contra. Par ratio eſt in foeminis. Accedit et hoc, quod, ſi quidem cetera quam maxime fuerint paria, uitium tamen ſit in maſculis, ſemen euibraturis, nulla unquam fiet foecundatio. Nec ullum ego noui, tam ſterilitatem inducere, quam quidem has cauſas, licet raro ad illas attendatur.

Theſ.

Theſ. 15. DOMINICVS LEONVS, Italus, *Art. Med. lib. 6. cap. 13.* plura adhuc ſigna enumerat, ſcilicet ſeminis defectum, aut menſtruorum; penem nimis longum, uel nimis breuem, tortuoſum, ſubtus perforatum a lapide, aut reſolutum; uterum nimis ſiccum, calloſum, ulceratum, nimis latum, lubricum; intempeſtiuos et frequentiores coitus; crapulam, ebrietatem, aquae frigidae, uel aceti, potum; immodicas euacuationes per uomitum, aluum, nareſue; ſeſſionem ſuper lapidem, uel ferrum, epithemata, teſtibus adplicata, ex opio, hyoſcyamo, mandragora, ſolano; motus laborioſos, ut ſaltus, caſus, percuſſiones; uenarum poſt aures inciſiones; animi paſſiones, iram, timorem, gaudium, triſtitiam, calamitatemque diu perſeuerantem.

Theſ. 16. Atque haec fuere uenena, ſterilitatem facientia. Circa quae illud etiam obſeruatum eſt, homines, in locis calidioribus continuo ſolis ardore exuſtos, magis eſſe ſteriles, minusque foecundos, quam illos, qui ſub frigidiori coelo habitant, euaporato ſcilicet per aeſtum omni ſucco et uigore corporis. Homines porro iſti citius matureſcunt ueneri, ſalaciores ſunt, et calidiores, ſed ante uictam aetatem eneruati et languidi. Ad uenerem enim multum facit ſitus loci, alimentorumque natura.

Theſ. 17. Sequuntur uenena, foecundum uterum abortire facientia, et conceptum germen

eiicientia. Haec partim foeminae, proprio, ſed nefario auſu, adhibent, ſcorta uidelicet, et pellices, quae furtiuam uenerem expellere didicerunt; partim contingunt matronis honeſtis, dulciſſima pignora minus caute cuſtodientibus, idque praeter opinionem. Interdum foeminae in ſe ipſo aliquid gerunt, quod faciat eos ſemper abortire. Hinc, omnes *affectus uehementes*, *Ira*, *Odium*, *Inuidia*, *Amor*, *Deſiderium*, *Triſtitia*, *Terror*, *Gaudium*, atque eius generis alii, hanc uim obtinent, ut quotidiana loquitur experientia. Sic Iulia, Pompeii coniux, cum uidiſſet mariti ueſtem ſanguinolentam, tanto terrore ſuffuſa eſt, ut deliquium et abortum paſſa ſit, auctore PLVTARCHO, *in Pompeii uita.*

Theſ. 18. Omnia praeterea uehementiora exercitia, ſaltu, curſu, equitatione, laboribus nimiis, onerum ſubleuatione, abdominis compreſſione, femorum diſtorſione, aliaue ratione, facta, abortum procurant. Tanta enim per hos motus oritur corporis concuſſio, et tanta uteri contractio, ac conuulſio, ut tenellus foetus, loco, cui adhaeret, abrumpatur, moriatur, et ſtatim interdum expellatur, et interdum putreſcat, atque, excitata poſtmodum febri, et utero, per acre putridum uellicans, fortiter conuulſo, eiiciatur. De Pſaltria uideſis HIPPOCRATEM, *de nat. puer. n. 4.*

Theſ. 19. Inſuper omnia illa noxia ſunt grauidis, quae febrim ullo modo excitant, qualia

ſunt

ſunt, omnia iam dicta uenena acria et cauſtica, uel interne uel externe utero atque foetui adplicata. Abortiua autem magis aniculis nota ſunt, quam ueris Medicis, quibus piaculum eſt, et Hippocratis iuramento prohibitum, abortiua exhibere. Rationem acrium habent: caſus, uehementer concutiens regionem hypogaſtricam, aut ictus, foetum contundens. Tum illa, quae ab auctoribus annotata ſunt. Sic PLINIVS, *lib. 14. cap. 18.* in Achaia, circa Caryniam, abigi partum, prodigioſo uino, atque etiam, ſi uuam comederint grauidae, ſcribit. *Menthaſtri* potu, partum necari, idem prodit, *lib. 20. c. 14.* Siſymbrium, ſeu *Serpillum ſilueſtre, non edendum grauidis, niſi mortuo conceptu: quippe etiam impoſitum eiicit.*

Theſ. 20. Parili modo *ſucus Cedri,* ex eodem PLINIO, *lib. 25. cap. 5.* abortum facere, traditur, ita autem uerba habent: *portentum eſt, quod tradunt, abortiuum fieri in uenere, ante perfuſa uirilitate.* Si praegnans radicem *Cyclaminis* transgrediatur, abortire eandem, eodem auctore, *d. l. c. 9.* cognoſcimus. Atque, *Epimedium*, foeminis cauendum, idem monet *l. 27. c. 9.* huic quippe, ſpiſſandi refrigerandique natura eſt, quia et radix conceptum adimit, et folia trita ad quinas drachmas, et purgatione menſtrua finita, epota, concipi impediunt. *Filicis* radicem, idem PLINIVS, dicto loco, mulieribus prohibet dari, quod grauidis abortum, ceteris ſterilita-

tem, faciat. Item, *Thlaſpi ſemine*, necari partum, *cap. 13.* habet. At, *lib. 30. cap. 14.* ſic ſcribit: *uiperam mulier praegnans ſi tranſcenderit, abortum faciet, item, amphisbaenam mortuam duntaxat;* forte ex terrore. Vt taceam multa alia, ab auctoribus nominata, quae partim uana ſunt, partim contemnenda.

Theſ. 21. Sed noſtro hoc tempore, inter herbas, maxima fides *Sabinae* adhibetur, ad nefarium hoc ſcelus perpetrandum. Et forſan hic frutex, eſt Iuniperus illa Americae Septentrionalis, ex cuius eſu, auctores ſcribunt, equas abortire. Excitat autem haec, ſicut reliqua omnia, febrim acutam, et uomitum. Et *Vomitus* quidem *uehementior*, quocunque modo excitatus, actis uehementer abdominis muſculis, abortire facit. Tum *Chryſocolla*, ſeu *Borax Veneta*, hanc potentiam habere perhibetur, et, quem ſaepe pultibus commiſcent pellices, *Mercurius Crudus*, ut aliquot exempla uidi. Mercurius autem, uel ſtatim purgat uehementer, uel totum corpus penetrans, atterit ſolida ac reſoluit, praecipue uero tenellula, qualia infantis. Infans uero enectus, in utero diu manere nequit, ſed expellitur putrefactus. Scelus nefandum, et ferro flammisque expiandum! Talem quoque attritum adfert *Inedia*, de induſtria tolerata, unde contingit infantem febrire, et mori.

Theſ. 22. Omnia denique, *Emmenagoga* dicta, ſunt

ſunt abortiua. Qualia, *Purgantia uehementiora*, ſcammoneum, colocynthis, elaterium, ialappa, bryonia, nux uomica, ellebori, cryſtalli lunae, turbith minerale, et famoſus in Belgio, *Sapo Niger*, ex pinguedine ceti, et ſale alkalino fixo, concoctus. Externe quoque naturalibus ipſis omnia adplicata acria et cauſtica. Praecipue infamis eſt *ſpiritus urinoſus*, per infundibulum calide adplicatus: quod empirici artificium adhibere ſolent in pellendis menſtruis, ſed puto, ipſam inde uaginam et uterum exulcerari, inflammari, atque aduri, ut poſtea inde fiat ſterilitas, nunquam medicabilis. Anus autem, lenae, et lenones, ſterilitatis uenena in longam ſecuramque libidinem componere ſolent, aut quaſſata dorſi ſpina, ſemen eiicere docent, ſecundum illud LVCRETII, *lib. 4. de Nat. Rer.*

Idque ſui cauſa conſuerunt ſcorta moueri,
Ne complerentur crebro, grauidaeque iacerent,
Et ſimul iſta uiris uenus ut concinnior eſſet.

Namque, et habet adhuc Canace Ouidiana, furtiuo ſtupro a Macareo impraegnata, ſuas ubique ſorores, quae clamant, ut legere eſt, *Epiſt. Heroid. 11.*

Quas mihi non herbas, quae non medicamina nutrix,
Attulit, audaci ſuppoſuitque manu,

 Vt

Vt penitus noſtris
Viſceribus creſcens excuteretur onus.

Theſ. 23. Nullum uero celebrius eſt abortiuum, et ἐκβολικόν, quam quidem *uenae ſectio.* Hanc Matronae omnes tam certo credunt partum eiicere, ut febri ardentiſſima aliquando per tempus ingrauidationis correptae, tam illam abhorreant, quam rem peſtilentiſſimam, et foetui ſuo exitioſiſſimam. Verum adcuratius re penſitata, inuenio, ſectionem uenae, pro tempore ingrauidationis, eſſe et uenenum, et medicamentum multorum morborum et malorum. Venaeſectio nocet quam maxime, ſi fit foetu iam grandeſcente. Tunc enim liberalius et pluries celebrata, ab inopia alimenti, foetus moritur, mortuusque, propter acredinem putrefactionis, eiicitur, conferentibus quoque huc ſuum ſymbolum uaſis, quae in minori ſanguinis copia fortius ſe contrahunt, ſicque ab omni latere agentia, foetum excutere poſſunt. Qua medicina ſubdole ab imperitis chirurgis impetrata, multas pellices, audiui, foetum ſuum enecaſſe.

Theſ. 24. Sed, cum contra conſtat, abortum, in foeminis grauidis et ſanguineis, ſaepe a *Plethora,* ſeu ſanguinis copia, factum fuiſſe, hinc, in foetu tenello adhuc, et germinante, tantum abeſt, ut uenae ſectio noceat, ut potius magnopere proſit, atque ab abortu, ſola omnium, praeſeruet. Sanguine enim menſtruo, ob clau-

ſum

ſuum uterum, ſecerni impedito, et foetu tamen non potente hactenus in ſui incrementum omnem abſumere, oriuntur infinita praegnantium mala, nauſeae, uomitus, proſtratus appetitus, animi deliquia, uertigines, dolores ſummi ſtomachi, pectinis, inguinis, renumque, mammarum torpor, dyſpnoea, grauitas, et, quem dixi, abortus. Quae omnia mala, ſola uenae ſectione celebrata, tanquam incantamento, tolluntur.

Theſ. 25. Hinc IOANNES FERNELIVS, Medicus ſane doctus, artis beneficio conſecutus, quod a Natura negatum eſſe uidebatur, inuiſam ſterilitatem a Domo Regia Henrici II. Galliarum Regis, abortiente ſaepius ob plethoram Regina, repulit, Valeſiumque nomen, optata generoſae prolis acceſſione, propagandum curauit, et ſibi honores, opes, atque egregium nomen, comparauit. Et celeber. CLAVDINVS, *de Ingreſſ. ad Infirm. l. 2. c. 2.* ſecta uena, complures mulieres, abortire conſuetas, ab abortu praeſeruaſſe ſe, ſcribit. Obſeruandum tamen, ſecundo menſe, in plethoricis debere fieri, tribus diebus ante ordinarium menſtruorum fluxum, inque locis, quae ab utero auellunt; ergo non in pede, ſed in brachio. Nono quoque adminiſtrata, faciliorem reddit partum, ſicut in Galliis fit. Quod quoque ab HIPPOCRATE conceditur. *lib. de Morb. Mulier.* Nullibi uero magis uenam aperiri in grauidis permittit; CELSI uero tempori-

 bus,

bus, docuit uſus, non eſſe usque adeo reformidandam phlebotomiam.

Theſ. 26. Et, cum in hoc articulo, totius humani generis conſeruatio uerſetur, non inutile foret Medicis, penitius hanc rem atque altiori indagine pertractare, cum aeque tanti res momenti, hominem naſciturum conſeruare, quam natum, ſit, producere, ac ſuſtentare incolumem. Quo uero animo ſint pellices et ſcorta, quae conceptum utero germen non dubitant occidere, ualde miror; pignora, inquam, tot uotis, tot ſuſpiriis, ac tot medicinarum adparatu, ab aliis expetita, ſed omni ſaepe conamine, omni induſtria, omnibusque remediis, et uotis, uanis ac fruſtraneis.

Caput Decimum Tertium.

Omnia Venena, eſſe Reſpectiua, demonſtrat.

Theſ. 1. Ex illis equidem, quae in ſuperioribus diſputata ſunt, facile liquere arbitor, omnia me uenena facere medicamenta, et contra. Ergo multa ſunt ex noxioſiſſimis illis ac uirulentiſſimis, ad quae, in medicinis morborum faciundis, tanquam ad anchoram quandam ſacram, confugere, neceſſum ſit, morbis ſaepenumero ita pertinacibus, ut non niſi duro nodo durus cuneus ſit quaerendus. Namque

que ita eſt, ac CELSVS olim dixit, *lib. 2. cap. 9.* de cucurbitulis: *ſciamus, hic ut nullum periculum, ita leuius praeſidium eſſe, nec poſſe uehementi malo, niſi aeque uehemens auxilium ſuccurrere.*

Theſ. 2. Scilicet, in morbis chronicis refractariis, ſcorbuto uidelicet ueterano, lepra, lue uenerea, aliisque, a liquido lymphatico, et uiſcerum debilitate, oriundis, ad mercurialia ſaepe uenena, et purgantia acriora, ſcammoneum uidelicet, elaterium, colocynthidem, et elleborata pharmaca, deſcendere cogimur: egregii quidem uſus et emolumenti, ſi a parca et prudenti medentis manu dirigantur. Namque, quid in lepra, ſcorbuto, uenereo morbo, et paralyſi, ſola mercurialia efficiunt quotidie, ſaliuatione excitata, lippis dudum et tonſoribus notum eſt. Plerique enim morbi, a liquido lymphatico inerti oriundi, ſunt ruſtici, nec ciuilitatem aulicam curant. Et uel nota eſt oratio Caroli V. Imperatoris, qui, cum Gaudani laboraret hydrope, et Conſul Leydenſis, Gasdorpius, ad circumſtantes muſſitaret, quod, ſi eſſet ruſticus, poſſet curari, ad haec Carolus, Hiſpanica prorſus grauitate: *cura me ut ruſticum, et ſerua ut Imperatorem.* Dedit ergo ipſi uitriolum ueneris, unde et per uomitum, et per ſedes ingens aquae uis exibat.

Theſ. 3. Atque, ut alia taceam, elleborata certe, antiquis medicis famam et nomen inclu-

tum pepererunt, morbis conuulſiuis, aliisque mali moris hac uia curatis, ut aegri, tanquam Proetides Nymphae, Elaege ac Celaene, ſiue mulieres Argiuae furentes, poſtulata trium partium regni mercede, ſatis impudenti, ut meminit HERODOTVS, *in Calliope*, per Melampum, et Hercules, per Anticyreum, feliciter reſipuerint. Ita quidem, ut, qui tam ualido medicamine curari non potuerit, prouerbio dederit locum, tribus Anticyris caput eſſe inſanabile, propterea, quod in Anticyra, ſinus Maleaci inſula, uberrima ellebororum fuerit ſeges. Elleborata uero remedia, ad furorem curandum, maxime in uſu erant, et celebrabantur. Et, ſunt ſane egregia, ſi mania ſit ex melancholia, et materia aliqua acri, in abdominis glandulis haerente; ſed, ſi a cortice cerebri duro et inflammato, morbum reddunt peiorem. Hinc NASO, ſi quis ipſi, fortuna gaudenti laeta, exilium iuſſiſſet; ita reſpondiſſet, ut canit *lib. 4. de Pont. Eleg. 3.*

I, bibe, dixiſſem, purgantes pectora ſuccos,
Quidquid et in tota naſcitur Anticyra.

Theſ. 4. Et ſunt, qui putant, generoſum illud ac ſtrenuum remedium, quod magno illi Alexandro Philippus Medicus propinauit, poſtquam in Cydno flumine Rex, caloribus aeſtuans, lauando corpus, morbum frigidum, et ſanguinis coagulum, contraxiſſet, ut narrat PLVTARCHVS, *in Alexandr.* et CVRTIVS,

Hiſt.

Hiſt. Alex. M. l. 3. c. 5. et 6. et VALERIVS MAXIMVS, *lib. 3. cap. 8.* elleboratum fuiſſe, quos inter eſt THONERVS, *lib. 6. Epiſt. 7. usque ad 13.* reſoluto ſic, ex ſolidorum actione, per elleboros excitata, coacto per frigidae gelu ſanguine; quanquam alias idem elleborus, per ſe copioſe datus, et ſolida laederet, et fluida cogeret, denſaretque.

Theſ. 5. In morbis denique acutis, et febribus calidis ac impetuoſis, itemque doloribus artuum ſedandis, furiis ſpirituum compeſcendis, et cordis ſufflaminanda contractione, quantum opii iuſta doſis auxilii ſaepe attulit, miramur ſtupidi. Hinc BORRICHIVS, *de Somn. et Somnif. §. 31.* opium inter medicinas refert, quae Θεῶν χεῖρες adpellantur. Et ſane opium ſolum, medicamenti nomine dignum, certiſſimaeque operationis, quamuis in nullius medicamenti operandi ratione tam ſimus incerti. Veteres autem Theriacam et Mithridatium, ex ſolo praeſertim opio ſuas exſerentia uires, Θεῶν χεῖρες dixere. Quod dolorem attinet, TVLLIVS, *lib. 4. de Finib.* magnam inire gratiam illum, ſcribit, qui grauitate membrorum et cruciatu dolorum aliquem leuet.

Theſ. 6. Ita tamen cum opio comparatum eſt, ut ab alio remedio nullum maius ſaepe auxilium, nullum maius periculum fiat. Magnus quoque Lugdunenſium in Belgis Practicus et Profeſſor, FRANCISCVS *de le* BOE SYLVIVS,

VIVS, potius omni alio carere uolebat medicamento, quam opio. *Quinimo*, loquitur de Laudano ſuo liquido SYDENHAM, *Obſ. Med. circ. Acut. Sect. 4. cap. 3. ita neceſſarium eſt, in hominis periti manu organum, iam laudatum medicamentum, ut ſine illo manca ſit et claudicet medicina.* Cuius medicaminis uim et efficaciam ſaepiſſime ſum expertus in multis, et me quoque ipſo. Cui comparo ſyrupum cardiacum meum, ex opio, croco, maci, cinamomo, cariophyllis, ſpirituque uitrioli, aqua roſarum, inuicem maceratis, ac, admixto ſucco granorum kermes, et mali citri, cum ſacharo in ſyrupum concoctis. Atque iſto ſyrupo inſtructus omnibus aliis carere poſſum.

Theſ. 7. Et, quae in ſuperioribus inter uenena acria et corroſiua uegetabilium a me numeratae fuere nuces uomicae, piſcibus magis et brutis minoribus ſunt exitiales. Hominibus autem non ita, nec in quantitate parua. Ad drachmae enim menſuram in diarrhoeis et dysenteriis cum fructu a quibusdam Practicis exhiberi ſolent, quamuis in eadem ponderis ratione uulpeculam tollerent. Quin et nuces uomicae, celebre illud electuarium Maximiliani imperatoris *de Ouo* dictum, ingrediuntur. Sicut et amygdalae amarae, niſi multum fuerint inueteratae et rancidae, uix homini nocere ſolent.

Theſ.

Theſ. 8. Arſenicum, ferox illud in ſpiculis, et ex pondere uim deſumens uenenum, quam certo experimento ad grana duo, tria, uel quatuor exhibitum, tertianam tollat, multi memoriae prodiderunt, copioſa tamen aqua ſolutum; praecipue uero hoc commendat FRICCIVS, *de Virtut. Venen. Med. cap.* 2. Nec deſunt rationes, id euincentes, a me ſuperius allatae. Auctor tamen eſſem, ſi talia remedia cogitare fas ſit, uel ſerum lactis, uel aquam puram copioſiſſime ingerere, quo ſalia cauſtica ſic magis ſoluantur, et diuidantur, ne uirtute unita ferociant in partes ſtomachales. Sed anceps eſt remedium, et non niſi magna cum prudentia adhibendum. Quin et ciuis quidam Keſmarkinus, Hungarus, radicem aconiti in Carpathiis cretam montibus, ad drachmae menſuram tertianariis dediſſe legitur, *Ephemerid. Nat. Cur. Decur.* 1. *An.* 3. quod tamen ego non auderem dare, licet omnia acria uiſcidum febrile incidant.

Theſ. 9. Aceta metallica, ſeu ſpiritus acidi, uitrioli, nitri, ſulphuris, aliique, in calidis febribus, ab alkali productis, quantum efficiunt, cuiusuis loquitur Practici boni experientia. Eminet tamen inter hos, uitrioli ſpiritus, ob pondus ſcilicet ſuum, ac rigiditatem, per quae attributa, magnas, dum a corde protruditur, in coagulis diſſecandis, et reſoluendis, uires exſerit, et leuiores quaſuis particulas in lateralia abigit, pro-

perans

perans uia recta ad conos arteriarum. Si enim globuli duo eiuſdem magnitudinis, ſed diuerſae molis, ac ponderis inaequalis, eodem momento impulſus, per tubum eundem ferrentur, qui duplo ponderoſior, alteri palmam praeriperet, et ad finem metamque propoſitam celerius procurrendo, alterum praeueniret.

Theſ. 10. Cantharides, et interne, et externe, uſurpantur. Externe enim ueſicas excitant; interne uel urinam cient, uel languentem excitant uenerem. Atque ſic ſaepenumero, urgente neceſſitate, uariis in rebus conducunt, non ſolum ad calorem uenereum accendendum, ſed etiam ad reuellendos humores, ab una in aliam partem. Quae uero ratio ſit, cur ueſicatorium, nuchae impoſitum, aliquando exciteturinae ardores, ſtillicidium cruentum, dolores intolerabiles, atque erectionem uerpi, in uarias itum eſt ſententias. Craneniani enim, per poros foras intro-ſpectantes, breuibus ſe abſoluunt. Sed, cum tales pori, figmenta ſint cerebri, nec ab ullo demonſtrati, credibile eſt, in uenas primum irrepere ſalia cauſtica alkalina cantharidum, demum per cor deferri, atque in arterias eiici emulgentes, et ſequentia maximum lymphae torrentem, ut ſalium mos eſt, per renum canaliculos tranſire, ueſicae uero tantum nocere, quod collum eius, ſit inſtar orificii ſuperioris uentriculi, maxime nudum, ſenſile, ac neruoſum.

Theſ.

Theſ. 11. Quidquid autem ex fortium et uehementium iſtorum, quae quidem a Medico ſenatu recepta ſunt, uel recipientur, medicamentorum uſu, interdum mali contingit, illud non ipſi remedio, ſed praepoſterae indicantium perceptioni, uel doſi eiusdem liberali et nimiae, imputandum erit. Omnis enim medicina, ſiue manuaria, ſiue medicamentaria, eſt inſtar gladii, in manu hominis imperiti. Atque ego certe, nullum generoſius eſſe remedium, uel uenenum bonum, crediderim, quod non hominem tollere poſſit, imprudentius, uel largiori doſi et liberalius adſumtum. Et pariter in uenenis ſe res habet, ac cum magnis et feruidis ingeniis, quae, ſiue in Reipublicae utilitatem, ſiue nocumentum, meditentur, ſemper grande ac magnum eſt, inde reſultans commodum, ergo prudentia ſola eſt et experientia, quae hunc impetum uenenorum temperat, inque optimas conuertit medicinas, ſi debito loco, debito tempore, et iuſto pondere, exhibeantur; correctio enim omnis uenenorum uana eſt, et quantum per hanc tollitur de nocumento, tantum perditur de adiumento.

Theſ. 12. Hoc interim a multis obſeruatum eſt, pro uaria diſpoſitione recipientis, uenenum diuerſimode etiam ſcenam ſuam abſoluere. Prout enim, ut ſupra eſt inculcatum, omne, quidquid agit, uel uenenum, uel medicamentum, agit, quatenus adplicatur uel uaſorum ſtamini bus

minibus nerueis, uel ipſis neruis, et eorum ramificationibus, et propaginibus uariis. Et, ſicut nerui diuerſi ſunt, diuerſi quoque erunt effectus inde prouenientes: ut ſileam, quod neruorum cum neruis, ſub communi ganglione ſeu nodulo collectorum, communicatio, in diuerſis animantibus pene ſit diuerſa, ludentisque, ex mechanica tamen ratione, naturae, eorundem uarie producta harmonia, ita, ut hoc modo idem pharmacum, uariis adplicatum corporibus, non debeat non uarios etiam producere affectus.

Theſ. 13. Quibusdam pariter hominibus et brutis illa uiſcerum indoles, atque ea ſuccorum, ea pororum contigit natura, ut uenena quaedam, non ut alii, in ſui deſtructionem, ſed per crebras capiendi conſuetudines tam ſibi fecerint familiaria, ſuoque corpori amica, quam quidem eſculenta et cibaria ſaluberrima. Sic puella Indica, quae ad Alexandrum Macedonem delata eſt, napello uiuere adſueta, tam noxios inde, referente SANTE ARDOYNO, *lib. 1. de Venen. cap. 8. ex* ARISTOTELE, conſecuta perhibetur humores, ut obuios quosque halitu necaret, ipſa tamen ſana et ſibi optime conſtans. Cantharidum ſanguis, aliorumque quorundam inſectorum, adeo acris eſt, ut ueſiculas excitet, ipſis tamen non nocet, ſed per uaſa innoxius meat. Sic refert CARDANVS, *de Venen. lib. 2. cap. 5.* ex Ludouico

Ver-

Vertomano, Tyrannum quendam, ueneno ueſci ſolitum, cum uellet noxios occidere, mandiſſe aliquid, indeque ſpuiſſe in damnatum, quo ſputo ille breui conficeretur. Idem memorat VINCENTIVS *le* BLANC, *Voyag. chap.* 15. de Principe Cambayenſe, qui cibis uenenatis adſuefactus, tam uenenifer euaſerit, ut muſca, ipſum pungens, moreretur.

Theſ. 14. Muſcouitae et Poloni, flores napelli aceto condiunt, atque ſic impune comedunt. Acetum namque frangit uenenum napellinum: infallibili argumento, acredinem plantae in ſale uolatili alkalino oleoſo conſiſtere, inque hoc omnem medicinam eſſe conferendam et dirigendam. Quin et in napello et aconito, tam acri ueneno, inueni ſaepe muſcas coerulei coloris, quae flores depaſcunt, nec inde male habent. Sed tamen acri gaudent ſanguine, poſſentque, loco cantharidum, uſurpari. Sic ſues mandragoram, ſolanum, hyoſcyamique radicem, impune comedunt, ut ſaepe uidi; atriplicem uero, chenopodium dictam, ſine damno edere non ualent. Et GALENVS, *lib.* 3. *de Simpl. Medic. Fac. cap.* 18. auctor eſt, anum Atticam, cicuta uictitaſſe, quam a minima mole edere coeperat, ad maiorem poſtea progreſſa. Et, Sacerdotes Aegyptii, modica cicutae potione, uiciſſim admiſſa, impune ſe caſtrabant, ſi fides ſit auctoribus: ut taceam Chium Eudemum, quem THEOPHRASTVS, *Hiſt. Plant. lib.* 9.

Vu *cap.*

cap. 18. nominat, ellebori famoſum gulonem, ſturnosque, auiculas, cicuta innoxie prandentes. Veſpae ſimile animalculum, Tarantulam, homini nocentiſſimam, uenatur, ac impune comedit, teſte BAGLIVIO, *de Tarant. cap. 1.*

Theſ. 15. Similiter notiſſima fabula eſt, Aſiaticos, praeſertim Turcas, et Africanos, opium, ad quamcunque menſuram impune ſumere, nec ſolum ad unam drachmam, ſed plures quoque, ut uidere eſt apud PROSPERVM ALPINVM, *de Med. Aegypt. lib. 4. cap. 1.* et BELLONIVM, *lib. 3. Obſ. cap. 15.* noſtratibus interim, ab aliquot granis, immenſo ſopore affectis. Et, licet cl. WEDELIVS, *Opiolog. lib. 1. Sect. 1. cap. 12.* rationem quidem hanc reddat, quod in ſeroſioribus et humidioribus magis ſolutum, magis agat: in bilioſis uero minus ſolutum, minus agat: nec negauerim, homines ſolibus exuſtos, aridos eſſe, et ſanguinis exaſſati, inque ea ſim ſententia, opium, liquida noſtra coagulare; conſuetudo tamen eſt, quae hic plurimum facit. Sic, qui Bacho initiantur, pocula crebra non tolerant, quin capite doleant, uacillentque; ſed tranſeunte in alteram naturam compotationis conſuetudine, maius, maiusque uinoſi liquoris pondus, ſuſtinere incipiunt, nec uiuere poſſunt, niſi quotidie inebrientur, ſicut Aſiatici et Africani opio carere nequeunt, ſine diſpendio ualetudinis, prout PROSPER ALPINVS, *dict. loc. cap. 2.* oculatus teſtis eſt.

Theſ.

Theſ. 16. Colonienſis inſuper puella, auctore RHODIGINO, *Antiqu. Lect. lib. 11. cap. 13.* araneis uixit. Sicuti et uirgo illa Germanica, in aula Suecica diu commorata, cognomento Marſchalck, quae ſecuta erat ex Dania Reginam, omnis aeui glorioſiſſimam, ſingulo die, pro deliciis reputauit, et ſanitatis conſeruatione, araneum comedere. Fuit quoque annos aliquot Stockholmiae pedeſtris quidam cohortis Regiae tibicen ueteranus, natione Polonus, qui maiuſculos, quotquot offendit, araneos, impune, et quidem hilariter, deglutiit. Pariter non ante multum temporis, itidem Stockholmiae, erat apud aurifabrum puer quidam, artis ediſcendae gratia, qui, occaſione diligentius quaeſita, in poſteriorem domus partem ſaepe ſe contulit, admirantibus condiſcipulis. Re autem adcuratius notata, araneos ſub telis uenantem inueniunt. Cumque rurſus in officinam uenisſet, aquae fortis hauſtum ſuffuratus eſt. Magiſter autem, uidens, in dies aquam minui, et in auctorem inquirens, inuenit puerum ebibiſſe, reque tota examinata, puerum dimiſit. Quis autem puero monſtrauit antidotum alkalini ueneni araneorum, in aqua forti acida poſitam eſſe? Ergo natura nihil adpetit, niſi quod corpori ſit ſalubre. confer BORELLVM, *Cent. 4. obſ. 56.*

Theſ. 17. Sed magis mira ſunt, quae a cl. BLEGNY referuntur, *Zod. Medico-Gall. Ao. 1. Menſe Maii, Obſ. 2.* de Petro Yuens, ui-

nitore Pariſienſi, qui bufones, et ferramenta uaria, innoxie deuorauit. Talis quoque narratur apud BORELLVM, *Cent. 2. Obſ. 37.* atque alius, uitri uorax, *Cent. 1. obſ. 52.* Sic AMATVS LVSITANVS, *Cent. 2. Curat. 69.* ſe quendam uidiſſe, ſcribit, apud Ferrarienſes, helluonem, qui coria, teſtas, et uitra comederet, atque ob id ſtruthio-camelus dictus. Idemque mihi uidetur Lazarus, uitri uorax, qui apud REALDVM COLVMBVM, Anatomicum ſui temporis celeberrimum, *de Re Anat. lib. 15. p. m. 486.* deſcribitur hunc in modum: *ſed, quod maiore me admiratione affecit, fuit inſpectio Lazari, uitriuoracis uulgo dicti, quem Patritii omnes Veneti, imo Veneti omnes, omnes Ferrarienſes de facie nouerant. Hic, nullo prorſus guſtu, dum uiueret, praeditus erat, nullam in edendo uoluptatem, nihil iniucundum perſentiebat. Inſipida, amara, dulcia, pinguia, ſalſa, acria, non diſtinguebat; uitrum, ſaxa, lapides, ligna, uiua animalia, piſces e uiuario extractos, adhuc ſalientes, uorabat. Vorabat lutum, lineos laneosque pannos, foenum, ſtipulam, et, ut breui omnia complectar, quidquid homines, quidquid animantia uorant. Quidquid illi edendum, ſeu potius deglutiendum offerebatur, mercede propoſita, dictum ac factum, ingurgitabat. Teſtis eſt inter reliquos Martinus, Aromatarius, Patauii*

ad

ad Angeli inſigne, ubi ſacculum, carbone refertum, et ſaccum inſuper, deuorauit. Quo uiſo, perſoluit, quod pollicitus fuerat, comminatus, ne ad pharmacopolium amplius accederet, ueritus, ne ſe cum taberna et uaſis eſitaret.

Theſ. 18. Nam, quod agyrtae et circumforanei, bufones, arſenicum, ſublimatum mercurium, aut aliquando uenena acria, acida, uel alkalina, ſine noxa deuorent, exinde euenire, tenendum eſt, quod, antequam in theatra prodeunt, oliuarum oleum copioſe deglutiant, uel amygdalarum, aut lactucas multas in butyro comedant. Vnde ſuperingeſta acredo obuoluitur et hebetatur partim, partim uentriculus diſponitur, ad uenenum mox per uomitum facilius reddendum, et exterminandum.

Theſ. 19. Struthiones uero, anſeres, anates, cycni, aliaeque aues, ramenta ferrea, arenas acutiores, imo et ipſos quandoque adamantes, ut ſemel uidiſſe me memini in cycni ingluuie, abligurire, notum eſt, ad cibos ſuos comminuendos et permolendos; ipſa tamen uentriculorum denſa ſubſtantia remanente ſalua, quamdiu alimenta ſuffecerint, his uero deficientibus, aperte erodenda. Quin et piſces, lapillos acutiores deglutiunt, praeſertim carniuori, ad chylificationem iuuandam, inque memoriam mihi reuoco, me in aſello, hamo capto, Ao. 1707. menſe Octobri, in mari Germanico, uulgo *Norr-Sicen*, inueniſſe duos grandiores ſilices,

ces, ab omni latere acutangulos, quaſi ad id negotium ex ingenio quodam lecti fuiſſent, quos quoque adhuc inter alia ſeruo, in taedioſiſſimae iſtius nauigationis documentum, cum per continuas duodecim ſeptimanas moleſtiis maris quotidie agitarer.

Theſ. 20. Solent et circulatores, phalangia ac ſcorpiones uiuos, magno auſu ſuis imponere manibus, ut oſtentent, ſe poſſidere antidotum quandam, omnium uenenorum debellatricem. Qualem ſe habere uenditabat non ita pridem agyrta audaciſſimus FERRANTES *de* ORVIETO, qui ſe magnifico nomine TARQVINVM *di* ROMA, adpellauit, quam, Oruietanum, nunc dicimus. Fraudem uero ſuam perficiunt, affricto bene loco, cui imponitur ſcorpius, per acetum uini fortiſſimum. Licet aſtutae eiusmodi artes non ſemper ſuccedant illis, ſed poenam luant meritam nebulonibus, qualem FERRANTES, qui, adſumto arſenico, quod ſua debellare non potuit antidotus Oruietana, in Theatro Veneto, publice cum ignominia interriit.

Theſ. 21. Tantum tamen abeſt, ut confictum aliquod humani uentriculi fermentum, ſiue aqueum, ſiue ſalſum, ſiue acidum, ſpiritumue eſurinum, recidiuae Eraſiſtrati, ut CELSVS prodit, *lib.* 1. ciborum *contritioni* paria et apta eſſe, credam, ut potius cum cl. PITTCARNIO, *Diſſ.* 4. *§§.* 6. 7. *et* 8. ſolum in hoc negotio, uentriculi motum mechanicum

con-

contractilem agnoſcam, cibos atterentis, permolentis, et comminuentis, hoc eſt, tubulos et fluida animalium uegetabiliumque ita ſegregantis, actione propria, et auxilio diaphragmatis, muſculorumque abdominalium, ut partes iſtae, quae nutritae, et quietem adeptae, ultimoque coniunctae, uaſis fibrisque ſe inſinuauerant, in animali, uel uegetabili, unde deſumtum fuit alimentum, iam ex interſtitiis fibrillarum rurſus excutiantur, inque priſtinas maſſulas nutritias redigantur, fibris compactioribus et durioribus in excrementa faceſſentibus.

Theſ. 22. Alimentorum digeſtionem, et in chylum commutationem, ſic per trituram, et actionem uiſcerum, fieri, euincit clare experimentum, cum bolus, ex pane, uel carnibus, diu per dentes in ore maſticatus, una ſui parte perfectum referat chylum, altera perfectas feces, odore ſimul et colore ingratiſſimo. Optime ergo, optimus Imperator, et in perſona Principis eruditus Philoſophus, MARCVS ANTONIVS, ex Graeco in Gallicum a nobili Sueco uerſus, et Reginae Chriſtinae nuncupatus, *Penſées Moral de Soy et a Soy meſme, liu. 10. §. 33.* ſic loquitur: *Un Eſtomach ſain doit prendre egalement tout ſort d' alimens, comme une meule preſſe a moudre toute eſpece de grain.*

Theſ. 23 Famem uero, ſemper ex acido uentriculi fermento fieri, non perpetuae eſt ueritatis, nec ex attritu laterum ad ſe inuicem, quod nunquam fit. Fieri ex acido bulimiam, non nego,

go, qua uera laborauit Gelaſimus Plautinus, qui, ut eſt, *Stich. Act. 2. Sc. 1.* inquit:

Famem fuiſſe ſuſpicor matrem mihi,
Nam, poſtquam natus ſum, ſatur nunquam fui.

Sed, mirari conuenit, maiorem nobis famem ſentiri hiemali tempore, quam aeſtatis. Vnde in iſtam prolapſus fui opinionem, dependere hoc ex materiali frigoris, hoc eſt, nitro, cum ſaliuali humore deglutito. Hinc PLVTARCHVS ſcribit, Brutum, prope Dyrrhaclium, itinere nauali, ob frigus, in bulimiam incidiſſe, addens, hoc potiſſimum contingere, dum nix fit. Quod maiori ruminatione dignum eſt. Idem repetit argumentum prolixius, *Sympoſ. l. 6. Qu. 8.* Bulimia uero iſta ſaepiſſime oritur a uermibus. Hinc refert TRALLIANVS, *lib. 7. c. 3.* ſe nouiſſe mulierem, quae nullo cibo ſatiaretur, poſt purgans uero medicamen aſſumtum, uermem proieciſſe, longitudine duodecim cubitorum, uel plus, famemque furioſam ſic ceſſaſſe.

Theſ. 24. Ita tamen contractio uentriculi, atque actio muſculorum uicinorum, ad alimentorum comminutionem faciunt, ut, maſticato per dentes cibo, accedens e glandulis lympha ſalivalis, ſeu oralis et gaſtrica, potusque, partes alimentares, huc illucque, ope partium ſeſe contrahentium, adeo inuertant ad ſtomachi parietes, ut in minores atque minores conteri poſſint

ſint moleculas, iuſtamque emulſionem. Non ſecus ac ſecale intoſtum, tenuiorem multo atque albidiorem reddit farinam, ac alias in clibano torrefactum; et, ſicut ſemina ſinapi, lapides pretioſi, et colorum materies in porphyrite, cum liquidis pertrita, in tenuiores magis comminuuntur particulas, quam ſi absque humido permolerentur. Hinc, inter comedendum, pitiſſare, ſaluberrimum eſſe puto.

Theſ. 25. Oleum autem, cum omnia animalia, et plantas, nutriat, eaque alimenta optimum praebeant nutrimentum, quae multum continent olei, ut omnia ex ſeminibus confecta; hinc refert MACROBIVS, *Saturual. lib.* 1. *cap.* 12. Carneae Deae, uiſcerum praeſuli, pulte fabacia et lardo ſacrificatum fuiſſe, quod uires corporis maxime his rebus corroborentur. Et CELSVS, *lib.* 2. *cap.* 18. legumina, ualentiſſimum alimentum adpellat. Veriſſimum itaque mihi uidetur, dentes et ſtomachum, cum liquido ſaliuali et gaſtrico, nihil aliud efficere in hoc chyloſeos negotio, quam olea cum farinoſis, ſalinis et terreis, aquae beneficio, optime conterere et comminuere in ſaponaceam emulſionem naturalem albam, ſeu chylum lacteum. Emulſiones enim pharmaceuticae nullo alio adparatu fiunt, quam contritione atque admiſtione, omnia tamen requiſita continent chyli, lactisque, cremorem ſcilicet ſuperne natantem, ſi ſteterint, et aquam infra coeruleam,

leuiter acidam. Et, emulſio talis eſt, ex qua non ſolum homines, ſed et omnia animantia, et uegetabilia, nutriuntur.

Theſ. 26. Nullum tamen eſt alimentum adhuc notum ex toto, qua patet naturae penu, quod plus alimenti ſolidis fluidisque noſtris partibus addit, quam lac, ſi bonum ſit, ex animali ſano, atque herbis ſalubribus paſto. Ratio haec eſt, quod alimenta omnia ingeſta, in eiusmodi lacteum chylum conuerti debeant. Contingit uero interdum, uel ex natura ipſius alimenti, uel ex deficiente contractili ui ac robore ipſorum ſolidorum uentriculi et inteſtinorum, ut alimenta non digerantur, hincque homo tabeſcat. Lac autem cum ante ſit praeparatum alimentum, optime datur hominibus debili uentris uitio emaciatis. Sicut et profuiſſe interdum nouimus, atrophiam ex alia quadam cauſa paſſis. Vnde PLINIVS, *lib.* 24. *cap.* 7. *Scio*, inquit, Democratem, Medicum, in ualetudine Conſidiae, M. Seruilii, Conſularis, filiae, omnem curationem auſteram recuſantis, diu efficaciter uſum lacte caprarum, quas lentiſco paſcebat.

Theſ. 27. Sed, non ſufficit haec alimentorum in uentriculo comminutio ad iuſtum nutrimentum perficiendum. Debet ergo chylus ſanguini affuſus, ui cordis et reſpirationis in uaſis pulmonum conicis exiliſſimis ſubigi magis, conteri, torqueri, granulari quaſi, et formari in figuram aptam ſolido uel fluido, quam in corpore obti-

obtinebit, hoc eſt, in uerum ſanguinem. Duae uero ſunt cauſae, quare Belgici nautae ad iſtam obeſitatem peruenire, mihi uidentur. Nimirum alimento gaudent ex lacticiniis maxime et farinaceis, atque plurimum nauticae rei operam locant, unde ualide reſpirant, aeri utpote magis expoſiti. Hinc etiam iſti, qui domi haerent, leuique motu et reſpiratione utuntur, non tam facile pingueſcunt, licet eodem nutrimenti genere utantur, et forte interdum multo meliore.

Theſ. 28. Hinc etiam uidemus, atrophiam et partium tabem in illis praecipue hominibus regnare, qui, uel morbis pulmonum laborant, uel alias, propter ſedentariam uitam, minus ualide reſpirant, particulis nutritiis in his non debite comminutis, ſed haerendo, ſcorbuticos tumores conciliantibus. Vnde quoque Diuinus Senex, *Epid. lib. 6. part. 7. aphor. 12.* reſpirationem obſcuram et exiguam in tabidis, malam pronunciauit, et WILLIS, *de Febr. cap. 11. p. m. 107.* in cadauere atrophia defuncti, uiſcera coctioni dicata, ſaluberrima, pulmones uero exſuccos et aridos, atque materia ſabuloſa per totum obſitos, reperiit. Hinc BAGLIVIVS, *de Fibr. Motr. lib. 1. cap. 12. pag. m. 119.* ex nimia pulmonum laxitate, tabem oriri, animaduertit. Conf. COOKBVRN, *Oeconom. Animal. p. m. 11. usque ad 21.* Sed, quod MAYOV, *Tr. 4. de Spir. Animal. cap. 4.* putet, ſpi-

ſpiritum nitro-aereum, in tabidis et flaccidis pulmonibus, copia non ſatis ampla, pro ſpiritibus conficiendis, ſanguineae maſſae ingeri, ego quidem non intelligo.

Theſ. 29. Et, quamdiu ſic ſtomachales fibrae, atque ipſe pulmo, aequabili et determinata oſcillatione gaudent, homo ex bonis alimentis, bonum etiam ſanguinem conficere ualet, in corporis nutrimentum et augmentum. Sed eo ipſo, quo ſic per contractionem ſuam fibrae agunt in adſumta alimenta, atteruntur et flaceſcunt, non ſecus ac lima, ferrum erodens, eo ipſo pariter roditur a ferro; prorſus, *ut materia reparationis quaſi aeterna eſſe poſſet, ſi modus reparationis non intercideret*, uerba ſunt illuſtris VERVLAMII, *Hiſt. Vit. et Mort. in Adit.* Hinc ſenes, non tam edere poſſunt, quam iuuenes, ſaltem non tantum queunt digerere. Bene ergo PLVTARCHVS, Philoſophus ſummus, *lib. 8. Sympoſ. qu. 9.* alimenta, uiuendi non ſolum, ſed et moriendi, materiam eſſe. Hinc olim HOMERVS, *lib. 5. Iliad.* Deos, ideo eſſe immortales, cecinit, quod non alantur. Ita autem habet:

Ου γὰρ σῖτον ἔδουσ' ἐυ πίνȣσ' ἄιθοπα ἐινο.
Τȣ̃νεκ' ἀνάιμονές ἐισι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Theſ. 30. Verum, ut redeat illuc, unde deflexit, oratio, ex dictis iam patet clariſſime, uenena dari reſpectiua, idque, quod uni eſt nocumen-

cumentum, alteri eſt nutrimentum ac pabulum: quod tamen de uenenis animalium et uegetabilium praedicari poteſt, non uero de mineralibus, cum illa cuiuis animantium generi noceant. Hinc pulcre HIPPOCRATES, *de Flat. n. 8. non omni animantium generi eadem aut non conferunt, aut commoda ſunt, ſed alia aliis magis conuenientia.* Et LVCRETIVS, *lib. 4. De Nat. Rer.* non male:

Nobis ueratrum eſt acre uenenum
At capris adipes et coturnicibus auget.

Refert VINCENTIVS *le* BLANC, *Voyag. Chap. 30.* in regno Peguano, auiculas quasdam, edere ſtolones ſcammonei, ibi *Debla* dicti, quas, ſi quis homo manducarit, optime inde purgari. Sic antimonio, truculento licet homini ueneno, pingueſcere tamen ſues, atque equos, *Acta* comprobarunt *Anglicana, Ao. 1668. Menſ. Sept.* Et dudum ante, BASILIVS VALENTINVS, Monachus, docuit, *Triumph. Antimon. p. m. 187.* eliminatis forte, per ſtimulantes atque incidentes antimonii particulas, catarrhis, et glandularum per iſta animalia uiſcoſitatibus, quibus uernali praecipue tempore uexantur, praeſertim in locis Septentrionalibus, peripneumonia uidelicet, quam Noſtrates *Quarken*, uel *Diabolum equorum*, dicere ſolent, et pulmone, ac toto ſic corpore, a noxiis et morboſis particulis depurato, ſolidorumque aucto motu, ut accedens de nouo pabulum, melius queat digeri,

ri, ac comminui, et partibus nutriendis facilius adponi, atque adglutinari. Nec eſt, ut timeamus, in hoc animalium genere, antimonii uim emeticam, cum nullo pharmaco, iis uomitus excitetur, licet uehementiſſimo. Multa porro alia huius rei exempla apud auctores proſtant; ſed propoſita breuitas, Amycleo ſilentio; ea inuoluere iubet.

Theſ. 31. Illi autem hoc catarrhali morbo maxime conflictari ſolent equi, qui rarius exercentur, ſed deſidia et otio torpentes, humores colligunt immeabiles et uiſcidos. Hinc motus omnibus animalibus perquam neceſſarius. Atque hoc ipſum meditans, Dux, Eumenes, in caſtello Phrygiae, Nora, obſeſſus, ne perderet militares equos otio, ſubſtringebat capita iumentorum loro altius, quam ut prioribus pedibus plane terram poſſent attingere, deinde poſt uerberibus cogebat exultare, et calceis remittere. Quo artificio iumenta aeque nitida ex caſtello eduxit, ac ſi in campeſtribus ea locis habuiſſet, auctore NEPOTE, *in eius Vita, cap. 5.*

Theſ. 32. Ridiculum tamen eſt, audire rationes uulgi, exiſtimantis, malum quendam genium, tergis equorum per noctes inſidere, unde in tantas iactationes corporis, atque inde orientes ſudores prolabantur. Quocirca dum ſanguis circa uitalia, hoc eſt, per pulmonum regionem, ſtagnat, mira eſt animali anxietas et iacta-

iactatio, et ſudor frigidus, ſimiliter ac fit in hominibus, eadem patientibus. Non autem eſſe diabolum quendam, monſtratur exinde, quod uenae ſectio, tempeſtiue celebrata, hoc malum ex momento iugulet, et quoque, dum hoc ſtagnans, fuerit actione cordis, in pus bonum, aequale, et non acre, mutatum, atque per os naresque eliminatum. Quare etiam ſolent, dum fluere pus incipit, equitationes leues inſtituere, quo, exercitio corporis, expectoratio fiat melior. Contingit equis quoque aliquando hoc incommodum, ex noxio halitu, ab ipſa terra, ubi ſtabulantur, egreſſo, qui eadem ratione in pulmonibus operatur.

Theſ. 33. Atque haec hactenus. Sed in fine huius capitis, Coronidis loco, num animantia, quae uenenum pro pabulo habent, uel alias ueneno emortua fuerunt, tuto atque ſine damno ab hominibus in eſcas et obſonia uſurpari poſſint, curioſe quidam quaerere ſolent? Quod partim negant, partim adfirmant auctores. FRANCISCVS REDI, *Obſ. de Viper.* 32. refert, diuerſos homines coxiſſe atque hilariter comediſſe pullos omnes gallinaceas bonos, et columbinos, reliquaque animalia, ex uiperarum morſu emortua, quidquid contra dicat MATHIOLVS, non poſſe hoc fieri ſine manifeſto uitae periculo. Sic lucius, piſcis, gallinae, et caprae, ſerpentes deglutiunt, et optime tamen ualent, ac eduntur, ut uidi ſaepius.

Theſ.

Theſ. 34. Sed, ſi GALENO, *lib. 6. Epidem. Comm. 5. Text. 35.* et PLINIO, *H. N. lib. 10. cap. 23.* credimus, ex coturnicum, elleboro uictitantium, eſu, conuulſiones ſecutae fuerunt. Et, refert AMATVS, *Cent. 2. Cur. 65.* filiam Ar[illegible]e tabefactam ad mortem, quod carnem guſtaſſet gallinae, arſenico interemtae. A quo non abludit, quod de uenatoribus FERNELIVS, *de abdit. rer. cauſ. lib. 2. c. 14.* narrat, qui, ex rabido lupo mactato, et in ſiluis comeſto, omnes paulo poſt rabie correpti ſunt. Prorſus, ut hoc ſenſu fallax ſit iſtud Italorum uulgatum: *Morta la Beſtia, morto il Veneno.*

Theſ. 35. Vt ut autem ſit, mihi procul omni dubio eſt, in animalium, quacunque ex ratione ex uenenis occumbentium, carnibus, haerere miaſmata quaedam acria fixiora metallica, uel alkalina uolatilia putrefactiua, quae humanis uenis recepta, non poſſint non funeſtam ludere aleam. Ita tamen, haec accipi uolo, ut, quae ex acri uolatili alkalino putredinali obierunt animalia ueneno, multo citius contagionem transfundant, ac late diſpergant, quam illa, quae ex metallici uel uegetabilis ueneni noxa perierunt, ſi tantum uentriculum et inteſtina, in quibus uirulentia latitat, excipias.

Theſ. 36. Pari quoque ſollertia abſtinendum eſt a carnibus animalium, quae morbo aliquo putrido contabuerunt; ſemiputris enim eorum

caro

caro eſt, et febrem facile inducens. Et uidi plurima talia exempla per Wermelandiam, patrium ſolum, graſſante fame, et calida aeris temperie; unde pecora moriebantur, pauperes uero, eorum carnes depaſcentes, febri rurſus abſumti fuere. Sic Ao. 1617. peſtis, orta primo in bobus, ex putrefactis pluuia paſcuis, comeſſatores interemit carnium, dein Neapolin progreſſa, ſexaginta hominum millia ſuſtulit, ut ſcribit MERCVRIALIS, *tr. de Peſt.*

Theſ. 37. In mactatis pariter legitime animalibus, optandum etiam eſſet, ut inſtitueretur carnium delectus, quo ſic abiicerentur partes morbidorum. Hoc fit ingenti cum Publici commodo Lugduni Batauorum, fiebatque antiquitus apud Romanos, eratque munus hoc in Sacrificiis aruſpicum et extiſpicum, confer HERODOTVM, *in Euterpe*, de ſacrificulis Aegyptiacis uerba facientem, ubi munus idem ipſis iniunctum fuiſſe, perhibet. Sic ueteres, in eligendis habitaculis, primo per electum locum pecora paſcebant, dein ex horum mactatorum uiſceribus, praecipue ex hepate, bonitatem ſoli et aquarum deducebant. Sed apud noſtros laniones hoc non obſeruatur, uerum malae carnes et morbidae, bonis confunduntur, et bonae malis. Ex centum autem animalibus mactatis, ne forte unum quidem, hepate ſanum, inuenitur, ſed interdum apparet uerrucoſum, interdum ſcirrhoſum, uel uiſcoſum. Hinc Cen-

ſores Belgici ad id ordinati, beſtias morboſas a foro penitus arcent, ne diuendantur. Et laniones quoque oculos inſpiciunt animalis, num ibi icterus deprehendatur.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

De Faſcinis, Deuotionibus, Excantationibus, Philtris, Ligaturis, Raptu infantum, Incubis, et Somnambulonibus, agit.

Theſ. 1. *Magia*, dicente PLINIO, *lib.* 30. *cap.* 1. *fraudulentiſſima artium, plurimum in toto terrarum orbe, plurimisque ſeculis ualuit. Auctoritatem ei maximam fuiſſe, nemo miretur, quandoquidem ſola artium, tres alias imperioſiſſimas humanae mentis complexa, in unam ſe redegit. Natam primum e medicina nemo dubitat, ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe, uelut altiorem, ſanctioremque, quam Medicinam: ita blanditiſſimis deſideratiſſimisque promiſſis addidiſſe uires Religionis, ad quas maxime etiamnum caligat genus humanum; atque ut hoc quoque ſuggeſſerit, miſcuiſſe artes mathematicas, nullo non auido futuro de ſeſe ſciendi, atque ea e coelo ueriſſime peti credente. Ita poſſeſſis hominum ſenſibus triplici uinculo, in*

tantum

tantum faſtigii adoleuit, ut hodieque etiam in magna parte gentium praeualeat. Aureus ſane Plinii locus!

Theſ. 2. Quicunque enim hanc artem profitentur, inſtrumenta mutuantur ex medicina, totaque medicamentorum omnium farragine; carmina uero et ſolemnia ex Religione uerba; ex ſideribus uero ſuae artis firmitudinem ſumunt, *leuibus et ineptis ingeniis, fallaci ſiderum interpretatione, quaeſtuoſam mendaciis ſuis caliginem iniicientes*, ut uerba ſunt VALERII MAXIMI, *Memorab. Exempl. l.* 1. *c.* 2. Vulgus tamen firmiſſime credit, fieri haec miracula per cauſas ſupranaturales, atque uno uerbo, diabolicas. Ego uero, cum nihil hic, niſi phyſicas rationes, reperiam, magica omnia, res maxime naturales dico; magis ſcilicet ſagisque, uenena ſua propinantibus, illinentibus, aut recondentibus, ex rebus quam maxime naturalibus, metallis, animalibus, herbisue acribus et noxiis.

Theſ. 3. Ex horum numero *Faſcinum* eſt, quo petiti moriuntur, uel ſtulteſcunt, palleſcunt, clamant, aliaue ratione a conſueto uiuendi modo aberrantes peruertuntur. Sic refert PLVTARCHVS, *Sympoſ. lib.* 5. *Quaeſt.* 7. ex Phylarcho, de Thibiis, Ponti incolis; ac PLINIVS, *lib.* 7. *cap.* 2. de quibusdam in Africa familiis, effaſcinantibus, tradit, quarum laudatione intereant probata, areſcant

ſcant arbores, emoriantur infantes; idemque de Tribullis et Illyriis memoriae prodidit, ac de Pharnacibus, Aethiopiae incolis, quorum ſudor contactis tabem adferat. Nec ſolum laudibus fit faſcinum, ſed et inuidia fieri creditur. Ne autem ex laudatione fieret, ueteres Romani hoc praeſeruatorium praemittebant: *quod praefiſcine dixerim.* Hinc Faſcinum, a Φάσκω, dico, deriuant. Noſtrates quoque hac formula utuntur: *At iag ma ſaega det i en gad ſtund.*

Theſ. 4. Parili modo SYNAPIVS, *Paradox. Med. part.* 2. *cap.* 6. Lithuanos quosdam, quos ipſe ſe uidiſſe, ait, uiſu effaſcinare, atque interimere poſſe, narrat, tanquam alteram Moerin Virgilianam, *Eclog.* 3. Verum, notabile eſt, addidiſſe PLINIVM dicto loco, iratis praecipue oculis, hoc facinus perfici. Fit et faſcinum, intuentius ſtrabis ac toruis oculis intuendo, unde adeo ſaepe infantes terrentur, ut euadant ex terrore epileptici, ſicut ſaepe factum noui, a maleficis mulierculis, Lapponibusque, hoc ſolo terrendi artificio ſtipem emendicantibus. Sic adfirmat CARDANVS, *de Venen. lib.* 2. *cap.* 6. quibusdam chirurgis manus eſſe pro napelli aut aconiti radice, qui, quotquot uulnera curauerint, inficiunt quaſi lethali ueneno, perduntque. Quae obſeruatio ſatis eſt egregia, et Cardano digna.

Theſ. 5. Et, cum meo quidem iudicio, ii ſint faſcinatores omnium peſſimi, qui maxime ſunt car-

carniuori, atque in alkaleſcentiam et febriles ignes ſaepius incalentes, PLINII locus, *lib. 7. Hiſt. Nat. cap. 2.* non male hic ſtabit, qui ita habet: *adeoni naturae, cum ferarum morem ueſcendi humani,* (quibuscunque) *uiſceribus in homine genuiſſet, gignere etiam in toto corpore, et in quorundam oculis uenena quoque placuit, ne quid usquam mali eſſet, quod in homine non eſſet.* Vnde etiam idem PLINIVS, *lib. 2. cap. 93.* obſeruat, animalia bruta, carniuora, ut leonem, et urſum, animam graueolentem, peſtilentemque efflare. Hinc uidemus, homines ſolitarios, ingenioſos, uigiliis deditos, in quibus ante dixi, uenenum generari poſſe, ex humoribus uel attritis, uel ex ſtagnatione putrefactis, inque alkali ſaponaceum acre conuerſis, tum inuidos, triſtes, iracundos, lippientes, uetulas, ſcorbuticos ſecundi, uel tertii, uel quarti gradus, inque putredinem iam uergentes, eſſe peſſimos faſcinatores.

Theſ. 6. Hoc autem faſcinum, ad ſpiritus quosdam, et effluuia referendum eſt, e corpore egreſſa: quae, dum rara ac ductilia, et patula inueniunt corpuſcula, plus ipſis nocent, quam ſolidioribus et compactioribus. Quod autem talia effluuia, praeter exſpirationem, inſenſibili etiam tranſpiratione ab hominibus exeant, HIPPOCRATES olim agnouit, et notum orbi fecere triginta annorum lucubrationes SANCTORII

SANCTORII;ab omni quoque re,talia emanare, nob. BOYLE oſtendit, de *atmoſph. corporum conſiſtentium.* Atque tale demum, uetulas quasdam, infantibus attuliſſe, nullo tamen nocendi animo, in patria mea, et alibi, ſaepe obſeruaui. Prorſus, ut dicam cum NASONE, *de Remed. Amor. lib. 2.*

Dum ſpectant laeſos oculi, laeduntur et ipſi,
Multaque corporibus tranſitione nocent.

Theſ. 7. Ita quidem, ut ex hoc argumento, antipathias et ſympathias natura, non difficulter deduci queat, ſi dicamus, praeter illos motus, qui, ex conſenſu matris et foetus, iam nunc in utero nobis connaſcuntur, odium, uel amorem, huius, aut illius, accedere, ex ſpiritibus, et effluuiis, grate, uel ingrate, noſtra uaſa nerueaque ſtamina uellicantibus. Quod Belgae prouerbio quodam ſuo bene exprimunt, odorare ſe non poſſe hominem. Sic ſunt, qui moſchi odorem amant, alii, qui caſtoreum, allium, aſam foetidam, aliaque olida corpora, ex certa organorum diſpoſitione, et ſucci neruoſi natura. Noſtra itaque tempeſtate, non adeo neceſſum habemus, ad occultas rerum qualitates, et uerborum quaedam monſtra, ſaltem in hoc phaenomeno explicando, in omnibus omnino confugere, nec erumpere:

Non amo te, Voluſi, nec poſſum dicere, quare;
Hoc tantum poſſum dicere: non amo te.

Theſ.

Theſ. 8. Tam uulgo iam *Deuouere* receptum eſt per iuramenta horrenda et adprecationes malas, ut nulla res ſit ſolennior: quod ueteribus fiebat per carmina quaedam, in id negotium praeſcripta, et ſacra quaedam in ſacrificiis. Deuoti autem anguntur curis, timent, triſtes ſunt, et iracundi, conſilii inopes, noſtris *Foergiorde.* Porro Deum adſpernantur, crudeles, audaces, auari, ſibi parum fidentes, inuidi. Noſtri *Foerbanna*, h. e. uinculis ligare, dicunt. Deum equidem ſcelera plectere, piorum precibus ſolicitatum, ſed hic melancholiam regnare, credo. Tale autem deuouendi ſacrificium adhuc adhibent Pontifices Romani, licet non multi ſint, qui fulmina Vaticani Iouis amplius reformident. Veteres quoque, referente SAMMONIACO SERENO, *Rer. Rec. l. 5.* certas ſibi habebant formulas, quibus Deos Tutelares, et Penates urbium, a ſe obſeſſarum, etiam exercituum, auocabant, et deuouebant, ut de Romanis uidere eſt apud MACROBIVM, *Saturnal. lib. 3. cap. 9.*

Theſ. 9. Homines, quorundam carminum murmure, *Excantari*, tam pertinaciter credit uulgus, ut eripi mente hoc nequeat. Excantatos eiusmodi, patria lingua, *Foertrollade*, adpellantur. *Carminare* autem ueteribus idem, quod excantare. Hinc carminantia et carminatiua remedia. Nec ſolummodo homines, ſed etiam bruta, hoc maleficio peti adfirmant. *Praecantare* uero, ſi ad utilitatem fieret, dicebant. Ex-

cantationes autem magis a mali metu dependent, unde homo ſe cruciat, et exſuccus, macer, pallens, triſtis, atque ſtrigoſus fit. Sic nutrices excantari dicuntur, depauperato lacte, ob quam cauſam mercurium crudum in nuce portare ſolent, de collo penſilem, quamuis uermes omnem ſaepe chylum abſumant.

Theſ. 10. Adhibent porro mulieres *Carmina* quaedam et murmura, quod noſtri *Signa* dicunt, ad dolores artuum laxatorum ſedandos, inflammationes ſiſtendas, febresque curandas. Ceremoniis finitis, ter exſpuere religioſe, uidimus. Solent quoque res alias carminibus ſacrare, ſicque aegris exhibere. Sic noui uetulam, quae nouem panis fruſtula carminibus uariis ſacrauit, demumque ſingulis ſingula haec uocabula inſcripſit: *Calexmonus: Calemonus: Calemonu: Callmon: Callam: Calla: Call: Ca: Se:* Quouis autem mane, unum fruſtulum panis, hiſce inſignitum characteribus, ſumendum erat contra tertianam. Sed, quid magis ridiculum excogitari poſſet, et, niſi acceſſerit imaginatio fortis, nihili pendendum. Equidem VIRGILIVS, *Eclog. 8.* ſic canit:

Carmina uel coelo poſſunt deducere lunam.
Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſſis.
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Quod ſic TIBVLLVS, *Eleg. 9.* paribus fere uerbis, habet:

Cantus

Cantus uicinis fruges traducit ab agris:
Cantus et iratae detinet anguis iter.
Cantus et e curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, ſi non aera repulſa ſonent.

Theſ. 11. Sic Circe, maritum, Picum, Italiae Regem, ueneficiis ſuis, quae ſolanum fuiſſe puto, in picum, auem, uertiſſe, legitur apud Poetam, *lib.* 7. *Aeneid.* Ex ſolani enim ſucco imaginationes fiunt terribiles:

Picus, equum domitor, quem capta cupidine coniux,
Aurea percuſſum uirga, uerſumque uenenis
Fecit auem Circe, ſparſitque coloribus alas.

Et Medea, uenefica ſui temporis famoſiſſima, per carmina coelo lunam deduxiſſe, tenebras induxiſſe, fluminum ſtetiſſe curſus, ſiluas et ſaxa loco mouiſſe, acusque in iecur urſiſſe, perhibetur, prout huiusmodi criminis eam accuſat Hipſipyle Ouidiana, *Heroid. Epiſt.* 6. Dipſas quoque, anus, *Amor. lib.* 1. *Eleg.* 8. graminis uires ſciuiſſe, ligare nuptos, philtra dare, coelo nubes obducere, rurſus clarum ire diem iuſſiſſe, et ſideribus ſanguinem elicere, nouiſſe, dicitur, et plura.

Theſ. 12. Sed, ut ad Faſcina, et Excantationes, redeam, oues linguam exſerentes, titubantes, et grauiter aegrotantes, faſcinatas eſſe, communis eſt uulgi fabula. Sed reuera peripneumonia laborant, cum ſanguine per pulmones

coacto, et ardentiſſima febri, idque, uel ab acribus, acidis, uel alkalinis inhalatis, uel calore coeli, aut ſiti magna. Deſcribit hunc morbum HIPPOCRATES, cuius aurea haec ſunt uerba, *de Morb. lib. 2. n. 63. Si pulmo repletus fuerit, et erectae ceruicis reſpiratio, atque anhelatio, et linguam exſerit, rubicundis circulis in tibiis repletur, et pruritus uexat, et dolor acutus emergit ad pectus et ſcapulas, et non poteſt ſedere, neque iacere, neque ſtare, ſed aegris uiribus eſt.* Et *lib. 3. n. 7. Quum pulmo tumuerit, prae nimio calore repletus, tuſſis tenet fortis et dura, et erectae ceruicis ſpiratio, et aceruatim reſpirat, et frequenter anhelat, et intumeſcit, et nares expandit, uelut equis ex curſu, et linguam frequenter exſerit, et pectus ipſi canere uidetur, et grauitas in ipſo ineſſe.* Et quae ſequuntur. conf. *de Intern. Aff. n. 8.* Curari uero praeſcribit per clyſteres et purgantia, et ſanguinis miſſionem ab omni corporis parte, et frigefacientes potus. Eryſipelas certe et inflammatio pulmonis eſt.

Theſ. 13. Noſtrates quidam hunc morbum *Skott*, quaſi iaculationem uocant, quod cito ſuperueniat, alii *Finne-Tyrer* adpellant, dicuntque uenire per aera ignem magicum, figura rotunda, ad inſtar uanni, huncque ignem homines et pecora intrare, ac funeſtam et iam modo deſcriptam aleam ludere. Vulgi tamen

de *Tyris* fabula, inde orta eſt, quod inuenerint aliquando in uentriculis animalium ſic demortuorum pilas quasdam; quae tamen a pilis conglomeratae ſunt, quos pecora uel a ſe ipſis, uel ab aliis, lambendo, deglutiuerunt, ut cuiuis opilioni notum. Quin et in hominibus eiusmodi inuentae pilae, ut in puero quodam noſocomii Leydenſis, qui ueſtem laneam, qua tegebatur, exederat, aliisque.

Theſ. 14. Deferri per aera eiusmodi ignes fatuos, et meteora, nullus dubito, magica tamen arte producta, et ludibria daemonum eſſe, ut putat BODINVS, *Theatr. Nat. lib. 2. p. m. 211.* uix credo: eaque etiam, et homines, et beſtias ingredi poſſe, ac pro ratione ſuorum conſtitutiuorum, inſtar fulminis antea memorati, uaria producere incommoda, adfirmo, ſed intrare hos ignes uentriculum, impoſſibile uidetur. Quin, ſi fiat, a pulmonibus excipiuntur, ibique abſoluunt ſuam indolem, ſanguinem coagulando, pulmonesque ſuà acredine conſtringendo, et ſtrangulando.

Theſ. 15. Eſtque hic morbus, ut dictum, eryſipelas, ſeu peripneumonia anginoſa. Lobo enim utroque pulmonis inflammato, animalia primo titubant, aequilibrio ſcilicet mutato, dein ſubito deſident, et cadunt uertiginoſi, cum lingua exerta, et tumore circa fauces. Praecipue hoc fit in ouibus, per colles atque accliuia paſtis. Vulgus dicit, faſcinatas eſſe. Et, cum uer-

tigo,

tigo, ſemper fere ſit ſymptoma urgens, ſeu circumgyratio corporis, Wermelandi mei morbum *Kringgang* adpoſite adpellant. Sed Nord-Hollandi, in tali caſu, ſtatim pecori uenam ſecant, idque cum maximo emolumento; ingenti tamen ex uulnere multus ſanguis educendus. Pulmones enim laceri facilius tolerant impetum parcioris ſanguinis, quam impetum totius. Vaſa quoque, minuto ſanguine, liberius oſcillant, et impacta, antrorſum retrorſumque commouendo, reſoluunt. Hunc uero morbum Belgae aptiſſime uocant *Longen Vuyr*, ignem pulmonis. Et MARO, *lib. 3. Georg.* idem ſuadet in ouibus aegris:

Continuo culpam ferro compeſce, priusquam
Dira per incautum ſerpant contagia uulgus.

Theſ. 16. Et, ſicut plurimi ſic morbi per faſcina fiunt, ita non defuere, qui omnes omnino morbos a Daemonio arceſſerent, imo entia illa, quae nos morborum dicimus cauſas, et τὸ Θεῖον Hippocratis, reuera eſſe ſubſtantias infernales, et Diabolos, ſcriberent: in quam ſententiam inclinare uidetur, uir ſane eruditus, HIERONYMVS IORDANVS, *in lib. de eo, quod Diuinum eſt in morbis;* aperte uero hoc profitetur KOSAK, *Tract. de Haemorrhag. in Praefat.* diabolus tamen ipſe, permiſſu diuino, non poteſt, niſi per cauſas naturales, ſuam perficere magiam, cum ſit rerum phyſicarum cal-

le-

lentiſſimus nebulo. Saltem ego nihil niſi res mere naturales hic concipere queo.

Theſ. 17. Ad diabolicae pariter machinationis effectum, *Philtra* referunt, ſeu *Pocula Amatoria*, pro conciliando mutuo amore, peruerſo ſtudio excogitata, et quidem tanta ſaepe cum efficacia, ut, qui potionatum poculum exhauſerat ſobrius, ueſano et lymphatico amoris delirio oberrarit. Horum equidem, ſicut ſupra de uenenis abortiuis fuit inculcatum, cognitio, aniculis et medicaſtris propria, in ueros medicos rariſſime cadit, cum hominis ſit nequam et ſceleſti, poculis aliquem in amores uel odia pellicere. Eiusmodi Philtra, ſicut ſaepe parari ſolent, ad excitandam uenerem brutorum domeſticorum, ita non inepte a Wermelandis meis *Sleekie*, a lingendo, Norlandis *Trah Salt*, ſeu amatoria ſalia, adpellantur, cum ex ſale potiſſimum communi fiant, clariſſimo argumento, ſal commune non reſtinguere amoris igniculos, quin potius eosdem accendere, atque inflammare.

Excitari quidem et prouocari languentem
poſſe uenerem, neruumque,
Qui, quamuis tota palpetur nocte, iacebit,

ut IVVENALIS, Senilem Flaccidum increpat *Satyr.* 10. per uaria medicaminum genera, notius eſt, quam ut nunc mereatur dici: per illa ſcilicet, quae uere ſtimulum addunt uaſis, ut omnia acria, purgantia, arſenicum, cantharides, ſcincos marinos, boracem, zibethum, moſchum,

ſchum, ambram, opium, et uini ſpiritum; uel per ea, quae copioſum praebent alimentum, et lumbifragam uenerem ſic ſuſtentant, chocoladam nempe Indicam, oua ſorbilia, emulſiones amygdalarum, pineorum, piſtaciorum, et lac, ceterosque boni et alibilis ſucci cibos, antiquis etiam in eam rem ſollicitis, ut prodidit ATHENAEVS, *Deipnoſoph. lib. 1. cap. 12. et l. 2. c. 25.* Prorſus, ut MACROBII adſertum non uniuerſaliter uerum ſit, omnia calida, uenerem prouocare, ſemen excitare, et generationi fauere. *Saturnal. lib. 7. cap. 6.*

Theſ. 18. Venerem porro ſtimulant, ſcolymus, aſparagi ſtolones, itemque anthriſcus, quem chaerefolium uocamus; *peculiaris laus eius, quod fatigato uenere corpori ſuccurrit, marcenteſque ſenio iam coitus excitat*, ut PLINIVS loquitur, *lib. 26. cap. 22.* Et nota uel uulgo fabula eſt, de radice orchidis, ſingulari ad uenerem remedio; unde Quartilla, meretrix impudentiſſima, apud PETRONIVM in *Satyrico*, inquit: *quidquid ſatyrii fuit, Eucolpius ebibit.* Et ſicut idem C. PETRONIVS, omnium elegantiarum erat Neroni arbiter, ut nihil amoenum, nihil molle putaret Caeſar, niſi quod ei Petronius approbauiſſet, hinc nomen arbitri meruit, credoque, eius Satyricon, nihil aliud eſſe, quam flagitia Principis, ſub nominibus exoletorum, foeminarumque, et nouitate cuiusque ſtupri, perſcripta, quae morte damnatus,

annulo

annulo obſignata miſit Neroni, ut indigitat TACITVS, *Annal. lib. 16. cap. 18. et 19.*

Theſ. 19. Auctor quoque eſt THEOPHRASTVS, *Hiſt. Plant. lib. 9. cap. 20.* ſeptuageno coitu duraſſe libidinem, ad ſanguinis usque egreſſum, contactu herbae cuiusdam, cuius tamen nomen ſpeciemque non poſuit. Et memorat ex Phylarcho ATHENAEVS, *Deipnoſ. lib. 1. c. 12.* Sandracotium, Indorum Regem, inter ea munera, quae Seleuco miſit, uires quasdam ita ſtringendo aptas tradidiſſe, ut ſub coeuntium pedibus poſitae, aliis auium impetum ad rem ueneream adhiberent, aliis contra extinguerent. Atque allata eſt ante annos non ita multos ex Indiis radix Ninſi, ingenti pretio aeſtimata, cuius puluerem, uel et tincturam, mire commendant, ad excitandam uenerem, languentesque et iacentes neruos erigendos, ac corroborandos. Sed, quantum experiri licuit, uirtus pretio uincitur, plurisque conſtat, quod ex Indiis perferatur. Acria tamen haec eſſe, et noxia quam plurimum, facile perſuadeor. Sic apud HIPPOCRATEM, *lib. 5. Epidem n. 18.* mulier ex catapotio, conceptus gratia accepto, dolore uentris atque inteſtinorum corripitur, et tumet, ſtrangulatus anhelitus, uomit ſanguinem; forte ex cantharidibus. Et, apud AMATVM, *Cent. 5. Curat. 83.* mulier infoecunda, ab obſtetrice acceptum piperis et zingiberis puluerem, ut praegnans euaderet, deuorans, an-

guſtiis

ſtiis cordis, ardore, uigiliis, pulſu imminuto, uexabatur. Paria accidere alii mala, quae in eundem finem, urticae ſemen auidius comederat, ut habet, *Cent.* 7. *Curat.* 57. auctor quidem leuis ſed ſubleſtae fidei, quamuis in hoc caſu exempla ſint crebra.

Theſ. 20. Iſta uero Philtra et amatoria pocula, tam artificioſa et ſubtili ratione praeparari poſſe, et commiſceri inuicem, ut in hanc potius, quam in aliam determinetur, amoris oeſtro percitus, et potionatus, perſonam, certe funditus ignoro, et quantum ego intelligo, non procedit. Sufficit, quod, ut dixi, per uaria media amor exſuſcitari poſſit, foueri, atque augeri, inque id dementiae cupidinem cogere, ut nefanda ſaepiuſcule et ridicula facinora perpetret. Sapienter itaque ſummus amoris Magiſter ſic concludebat:

Ergo, quisquis opem noſtra tibi poſcis ab arte,
Deme ueneficiis carminibusque fidem.

Philtris autem utebantur piatrices, ſagae, ſimulatrices, fictrices, ueratrices, ſtygialibus ſiue cocytiis ſacris. Et NASO, artis amatoriae Magiſter ſincerus, irritamenta huiusmodi malorum refert, *de Art. amand. lib.* 2.

Sunt, qui praecipiant herbas, ſaturea, nocentes,
Sumere, iudiciis iſta uenena meis;

Aut

Aut piper urticae mordacis ſemine miſcent,
Tritaque in annoſo flaua pyrethra mero.
Sed Dea non patitur ſic ad ſua munera cogi,
Colle ſub umbroſo quem tenet altus Eryx.
Candidus Alcathoe, qui mittitur, urbe Pelasga
Bulbus, et ex horto quae uenit herba ſalax,
Ouaque ſumantur, nec non humentia mella,
Quasque tulit folio pinus acuta nuces.

Theſ. 21. Sed Philtra proprie ſic dicta uaria fuerunt, quorum quaedam APVLEIVS, *Apolog. p. m. 208.* enumerat, ad hunc modum:

Philtra omnia undique eruunt;
Antipathes illud quaeritur,
Trochiſci, Iynges, Taeniae,
Radiculae, herbae, ſurculi,
Aureae ilices, bichordilae,
Hinnientium dulcedines.

Fuere praeterea alia; uel imagines cereae, VIRGILIO *Eclog.* 10. memoratae, uel Hoſtia Sancta, ſanguineis literis inſcripta, uel annuli peruncti, et carminibus uigorati. Atque hoc philtri genere laſciua quaedam puella Carolum Magnum, Imperatorem, circumuenit, ut uiuam non ſolum deperiret, ſed defunctae cadauer pari honore proſequeretur, ut memorat QVERCETANVS, *Diaetet. Polyhiſt. cap. 5. Sect. 1.* Alii certos adhibuerunt characteres, alii cantiones.

Theſ. 22. Quidam, ſigillum ueneris, ſub certa conſtellatione exſculptum; quidam, ut MARO canit, *Georg.* 3.

- Hippomanes, uero quod nomine dicunt
Paſtores, lentum deſtillat ab inguine uirus:
Hippomanes, quod ſaepe malae legere nouercae,
Miſcueruntque herbas, et non innoxia uerba.

Equabus quidem, amoris innaſci ueneficium, Hippomanes adpellatum, PLINIVS, *lib.* 8. *cap.* 42. adſerit; in fronte tamen fieri hoc, caricae magnitudine, colore nigro, uult; quod tamen uix credibile eſt, quamuis OVIDIO, *lib.* 2. *de Art. Amand.* et IVVENALI, *Satyr.* 6. ſic placuerit. Namque, in coitu colligitur, ab equa extillans, innuente ſic quoque PROPERTIO, *lib.* 4. *Eleg.* 5. *Hippomanes* uero, auctore eodem PLINIO, *lib.* 28. *cap.* 10. *tantas in ueneficio uires habet, ut affuſum aeris miſturae, in effigiem equae Olympiae,* (quod Dionyſii Argiui opus erat,) *admotos mares equos ad rabiem coitus agat.* Nec equidem miror, hanc uim eidem ineſſe.

Theſ. 23. Rurſus alii, ſanguinem humanum, alii, ſecundinam Baptizatam, nonnulli oſſicula ranae a formicis depaſtae, ſemen uirile, pergamenum uirgineum, et alia quam plurima nefario conatu adduxerunt. Quin et caudae lu-

pi creditur uulgo amatorium ineſſe uirus, exiguo in uillo, eumque, dum capiatur, abiici, nec idem pollere, niſi uiuenti direptum, ut PLINIVS, *lib. 8. cap.* 22. narrat. Ex amatoriis quoque uenenis, infamis PLINIO eſt, *l. 9. c. 25.* echeneis, piſcis, qui alias naues in ſalo ſiſtere dicitur, forte ad caſtigandum et coercendum amatoris deſiderium, ut uni et ſoli adhaereat. Nullum tamen genus philtri eſt, cui plus tribuitur, quam ſemini uirili, et menſtruali ſanguini, quorum ope certum ſibi amorem pollicentur amantes. Sed, potius hoc artificio furorem concitabunt, ex diuerſitate ſanguinis, non aliter ac hoc factum nouimus, in transfuſione eiusdem.

Theſ. 24. Tali forte delirii larua occoecatus fuit Lucius ille Vitellius, Romanus, Vitellii, Imperatoris, Pater, ut inter cetera humilitatis ſuae faſtidioſa ſeruitia, ſaliuam ſordidiſſimae amaſiae, et uilioris libertinae, uir alioquin ingenioſus et prudens, melle commiſceret, eoque, tanquam altero balſamo uero Arabico, arterias et guttur, pro aucupanda eius gratia, amore turpi, ſaepius inungeret, ut habet SVETONIVS, *in Vita Vitellii, lib. 7. cap.* 2. Sic Mammercus Scaurus, Conſul, ancillarum ſuarum menſtruum ſanguinem hiante ore exceptauit, teſte SENECA, *de Benef. lib. 4. cap. 31.* Numantia, uxor Plautii Siluani, iniecisse carminibus et ueneficiis uecordiam marito, accuſata fuit, narrante TACITO, *Annal. lib. 4. cap. 24.* et Lucullus, Imperator, amato-

rio periit poculo, teſte PLINIO, *lib. 25. cap. 3.*

Theſ. 25. Cuius et ſortis fuiſſe poculum, ferunt, Simſoni a Delila, Herculi ab Omphale, Iſmeniae ab Iſmene, datum. Tale Antonio a Cleopatra Aegyptiaca, qui unam Cleopatram, et ſpirabat, et loquebatur, ut narrat PLVTARCHVS, *in Vita Antonii*, exhibitum. Tale Lucretio, Poetae, ab uxore Lucilla, porrectum; Caeſari Caligulae, a Caeſonia, coniuge, propinatum, quod SVETONIVS, *lib. 4. cap. 33. et 50.* et IVVENALIS, *Sat. 6.* hippomanes fuiſſe, uolunt. Tale Soleimanno, Imperatori Turcico, a Roxolane, coniuge; Galazio, Mantuae Duci, a Patauina puella, in id erroris exſtimulato, ut in praeterfluentem ſe praecipitaret; Eryalo, a Lucretia Sienenſi, quod AENEAS SILVIVS, uir doctiſſimus, eleganter deſcripſit. Quin et Noſtrates uolunt, Catharinam, magni cuiusdam filiam, Ericum XIV. Regem, in ſui amorem philtris traxiſſe; quod ego equidem uix credo. Et, quid Canidia, uenefica HORATII, *Epod. Od. 5. et 6.* aut Apuleii aſinus aureus, aliud uelint?

Theſ. 26. Certe, ſi infallibili experimento res haec ſtaret innixa, maritis omnibus factum bene fuiſſet, nec tot Iunones iratas, aut Xantippes Socrateas, aut Proſerpinas latrantes et mordentes, toto die aegrius exaudirent. Ita enim eſt cum omnibus comparatum mulieribus, ac in-

ingenue fatetur Eunomia Plautina, *Aulular. Act. 2. Sc. 1.*

- *Multum loquaces merito omnes habemur,*
Nec mutam profecto repertam ullam eſſe,
Hodie dicunt, mulierem ullo in ſeculo.

Dari tamen remedia, quibus amor coniugum, et accipiatur, et retineatur, credit hodie uulgus, et tota credidit antiquitas. Hinc eſt in fabulis, Neſſi Centauri, ab Hercule interfecti, ſanguinem hanc uim obtinuiſſe, tenebricoſo loco abſconditum. Et Deianira, Herculis coniux, Iolen, pellicem, male ferens, hoc uſa eſſe, legitur, in *Hercule Oetaeo Senecae, Act. 2,* ubi ſic loquitur:

Hoc docta Mycale Theſſalas docuit nurus,
Vnam inter omnes Luna quam ſequatur magam,
Aſtris relictis, illitas ueſtes dabis,
Hac, inquit, ipſa tabe, ſi pellex tuos
Inuiſa thalamos tulerit, et coniux leuis
Aliam parenti dederit altiſono nurum.

Sed uerendum eſt, ne inde, ut Hercules, exardeſcant plus iuſto, et flammis pereant. Et, ſicut difficulter talia pocula parentur, ita quoque deerunt, quae inter certos homines, plus quam Vatinianum, Ciceroni olim maxime infeſtum, odium, concitabunt.

Theſ. 27. Equidem, qui non ſponte ſuapte, et naturali ductu, in amores trahitur, et amplexus amicae, nullo forſan medicato poculo, ducetur, comperietque, uerum eſſe illud Oenones Ouidianae, *Heroid. Epiſt.* 5.

- *Quod amor non eſt medicabilis herbis.*

Optimum autem ex Hecatone philtrum eſt SENECAE, *Epiſt.* 9. deſcriptum in hunc modum: *Ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius ueneficae carmine; ſi uis amari, ama.* Igitur, cum Olympiae nunciatum fuiſſet, Philippum, maritum, ab Inda quadam philtris fuiſſe petitum, iuſſit, illam ſibi adduci, quam, cum uideret praeter ceteras uenuſtam ac formoſam, ecce, philtrum, exclamat. Aurum itaque, affabilitas, animi morumque ſimilitudo, et facundia, ſunt uera philtra. Vnde Hypſipyle Ouidiana, *Epiſt. Heroid.* 6. ſic infit:

- - *Male quaeritur herbis:*
Moribus et forma conciliandus amor.

Quin potius in furorem, quam in amorem, philtris incidunt, ſecundum illud NASONIS, *lib.* 2. *de Art. Amand.*

Fallitur Aemonias, ſi quis, decurrit ad artes,
Datque, quod a teneri fronte reuellit equi.
Non facient, ut uiuat amor, Medeides herbae,

Mixta-

Mixtaque cum magicis merſa uenena ſonis.
Phaſias Aeſonidem, Circe tenuiſſet Vlyſſem,
Si modo ſeruari carmine poſſet amor.
Nec data profuerint pallentia philtra puellis;
Philtra nocent animis, uimque furoris habent.

Hinc quoque THEOPHRASTVS ERESIVS dicit: ἔρωτα διπλασιασθέντα, μανίαν γίνεσθαι. Et ex Hippomane, et furorem, et rerum obliuia facta fuiſſe, IVVENALIS *Satyr.* 6. inculcat:

Inde animi caligo, et magna obliuio rerum,
Quas modo geſſiſti; tamen hoc tolerabile, ſi non
Et furere incipias, ut auunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Caeſonia pulli
Infundit. - - -

Theſ. 28. Atque, ut taceam reliqua ex philtris mala, quidam immobiles, inſtar ſtatuae, facti ſunt, inque ueram catochen ſeu catalepſin inciderunt, ex arteriis uenisque multo ſanguine turgentibus. Quae determinata cerebri poſitio, tam diu nerueum ſuccum in muſculos certos determinat, quamdiu ille ſtatus cerebri

perdurat. Et cl. TVLPIVS, *Obſ. Med. l. 1. c. 22.* hiſtoriam habet de iuuene Britanno, ex repulſa amatae puellae in catochen prolapſo. Atque in cerebris tali morbo mortuorum inuentus eſt ſanguis putridus, luteſcens, ut BONTIVS, *de Med. Ind. lib. 4. Obſ. 1.* teſtatur.

Theſ. 29. Pertinent quoque ad amatoria maleficia, quaedam *Sortilegia* ueterum, ſeu ſuccenſiones oſſium, oliuarum, apud BARVCHVM, *cap. 6. u. 42.* memoratae, quibus diobolares meretriculae, quas nec diuitiae, nec forma, nec genus, commendabant, ſacrificabantur, ne diu ante ueneris templum excubare cogerentur, de quibus quoque HERODOTVS, *lib. 1.* meminit.

Theſ. 30. Atque, ut per faſcina, carmina, et philtra, uaria fieri mala, iam fuit oſtenſum, ita quoque uulgo creditum eſt, per ueneficarum incantamenta, homines conuerti in lupos, in canes, uel urſos. Sed, ridicula ſunt iſta, et ſuperſtitionis plena. Namque, nihil hic, niſi uaria quaedam maniae eſt ſpecies, ex imaginatione uaria, diuerſam ſibi adſumens imaginem. Venenum uero ipſum, nec a magis, nec ueneficis, ſed ab homine ipſo eſt, in quo plerumque generatur, ut ſupra fuit oſtenſum.

Theſ. 31. Sed, ut ad catochen, ex philtro oriundam, redeamus, ſaepius illa fit ſine ueneno, ex protracta diu in unum ſubiectum meditatione, temperie melancholica, aliiſque cauſis.

Sic

Sic poetae, pictores, in idem alicuius rei occupati, extra ſe eſſe uidentur. Sic Cardanus et Vieta, Carteſii Praeceptor, Algebraice numerantes, cataleptici facti ſunt. Archimedes, in ipſo obſidionis Syracuſanae, a Marcello inſtitutae, calore, tam circulis ſuis, in arena factis, mente inhaerebat, ut militi, mortem ſibi ſtricto gladio minitanti, nomenque eius requirenti, neque nomen diceret, neque uitam deprecaretur, ſed ſaltem, ne circulos ſuos turbaret, moneret, ut habet PLVTARCHVS, in *Marcell.* et VALERIVS MAXIMVS, *lib. 8. cap.* 7. Et Carneades, ut ibidem narratur, Philoſophus Cyrenaeus, tanta ſtudii intentione literis ſe addixit, ut cum cibi capiendi cauſa recubuiſſet, adeo cogitationibus inhaerebat, ut manum ad menſam porrigere obliuiſceretur; ſed eum Meliſſa, uxor, inter ſtudia, dextra ſua, nutriuit.

Theſ. 32. Adeſſe hominibus certos quosdam *ſpiritus familiares*, ſeu Daemonia, uel *Genios Bonos*, non pauci credunt, qui interdum et adeſſe et abeſſe poſſint. Hoc concludunt, ex inaequalitate ingenii, memoriae, imaginationis, et ſtili. Hinc IVLIVS CAESAR SCALIGER, et THVANVS, *Hiſt. lib. 2.* Cardanum tali ſpiritu interdum ualuiſſe, putant, cum ſibi ſemper ſimilis non ſit, ſed interdum homine ſapientior, interdum puero ſtultior, adpareat. Verum, non animaduertiſſe mihi uidentur magni illi uiri, hoc dependere ex corpore noſtro,

nunc ſalubri, nunc uiuaci, ſagaci, laeto; nunc rurſus aegroto, ac languido. Animus autem hinc patitur, et ſe habet pro ratione corporis, ipſa tamen ſibi ſemper ſimilis, pura, et immaterialis. Magni porro Poetae, VIRGILIVS, OVIDIVS, pluresque, quam ſibi ſunt diſſimiles! Haec quoque ipſa, quae ſcribo, quam ſunt diſſimilia, interdum negotiis abrumpentibus filum leniter fluentis orationis, interdum tempeſtate, uel alia aegritudine, corpus ac animum uariis mutationibus adficiente. Fatetur quidem CARDANVS, *lib. de Variet. Rer. in fin.* ſe uarie diſpoſitum fuiſſe, patremque ſuum, Fuccium, Δαίμονα πάρεδρον habuiſſe. Et mihi quoque, dum puer eſſem, alii ſcholares tardioris ingenii, adfingebant ſpiritum familiarem. Quod praecipue exinde factum eſt, quod quidam ad me accedens inueniſſet in feneſtra arculam, cui incluſa erat teſtudo lignea, ſuis pedibus et capite, adpenſo ad ſingula pondere, tam artificioſe conſtructa, ut leuiſſimum motum diu, inſtar uiuae, continuaret. A uenerando quoque presbytero de hac re increpatus fui, ſed credulitatem hominis uicit continuata ſemper memoriae ac ingenii felicitas, uana omnia adſpernante animo puro.

Theſ. 33. Nouorum nuptorum *Ligaturae*, pertinaci credulitate a plebe receptae, multisque narratiunculis ſuperſtructae, fidem magis ſuperſtitioſam ſapiunt, imaginationemque fortem

tem recentis ſponſi, quam rationem aliquam externam, ex phyſicis petitam. Fieri autem ſolent ludicro hoc modo: dum copulatio peragitur, nodum facit ueneficus in filo, uel ligula, clauditque ſeram, inuerſo in theca ſua cultro. Quid tamen magis ridiculum? Vnde Poeta, *Eclog. 8.*

Necte tribus nodis trinos Amarylli colores,
Necte Amarylli modo, et Veneris die uincula necto.

Tales Ligatores, ueteribus Latinis dicebantur, *Feſcennini.* Solui tamen maleficium credebant, ſi uir pronubum permingeret annulum. Non uero defuit, quin hoc quoque in caſu, uulgus, aliquid diuini latere, credat. *Tanta* enim, ut PLINIVS inquit, *lib. 16. c. 44. gentium, in rebus friuolis plerumque opinio eſt.* Tamen hoc facile ob ſuſpicionem fieri poteſt. Timor enim in uenere facile penem deiicit, ſecundum illud Penelopes Ouidianae, *Epiſt. 1. Heroid.*

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Theſ. 34. Ligatura autem non opus habent, qui natura tales ſunt, namque ad nullas erigunt: qui maleficio petuntur, ad omnes arrigunt, praeter unam, ut uolunt. Sed contingit hoc malum illis, qui ingenio plurimum ualent, ſtudioſis literarum, pictoribus, et ſculptoribus egregiis, ingenii ſui ac indolis uim maxiam ideis ſuis impendentibus, ſed non ſemper. Accidit

cidit et illis, qui uenere diu abſtinuerunt, obſeruante CARDANO, *de Venen. lib. 2. cap. 7.* et BAGLIVIO, *de fibr. motrice et morboſ. lib. 1. cap. 8.* Exercitatio enim modica et conceſſa ueneris, roborat uirile membrum, ſed crebrior uſus, item, nimia abſtinentia, deiiciunt. Prorſus, ut uera ſint illa NASONIS, *de Remed. Amor. lib. 2.*

Intrat amor mentes uſu, dediſcitur uſu.

Solida quippe, uel ualidius acta, uel ſegnius, flacceſcunt. Per pharmaca equidem mercurialia et ſaturnina, ſterilitas inducitur, itemque per frigida obſtruentia et tabifica, ſaepe membrum, pariter ac alia membra, tabet, languet, ac flacceſcit, obthuratis uiis et canalibus, corpori nutrimentum, ueſiculis ſemen, membro uigorem, daturis.

Theſ. 35. Ad has ligaturas referri poteſt et illud ueneficium, quo fieri putant, ut noui nupti in primo coitu per membra naturalia fixi cohaereant, ſicut fieri per Finlandias ſaepe audiui. Nec dubito, hoc interdum fieri poſſe, ſed ueneficii nihil magis ſubeſſe puto, quam dum canes ſibi inuicem, abſoluta uenere, ligentur, aliaque forſitan animalia. Cauſa enim uera et unica tum eſt, glans ualide inflammatus, reſtitans intra os uteri libidinoſae mulieris, uel in anguſta uagina, qua detumente, facile extrahitur. Quod autem in Finlandia dicunt, ut ipſe

ipſe audiui, ueneficium hoc, per ignem, ex ſilice excuſſum, a maſçulo ſic adhaerente, curari, ridiculum eſt, et credulos poſcit homines, quamuis ad experientiam prouocent. Sed de nouis nuptis ligatis, atque ſic omni amoris gaudio fruſtratis, dicendum eſt cum NASONE, *lib. 6. Metamorph.* quod

- - non pronuba Iuno
Non Hymenaeus adeſt illi, non Gratia lecto.
Eumenides tenuere faces de funere raptas,
Eumenides ſtrauere torum, tectoque profanus
Incubuit Bubo, thalamique in culmine ſedit.

Theſ. 36. Quod *Raptum Infantium*, et commutationem cum filiis gigantum, tam firma ſuperſtitione a uulgo creditum, concernit, nihil quoque in illo ueneficii eſſe, puto. Tales autem infantes a noſtris *Bytingar* adpellantur, a commutatione ſcilicet, quam ſibi perſuadent. Medicorum autem rationalium ſollertia clarum fecit, regnare in talibus infantibus acredinem quandam, uiſcoſo comprehenſam, pernicioſam ualde, ac exitialem, quae totum infantuli corpus, tanquam in liquamen, conuertit, tabemque partium muſculoſarum, uertebrarum luxationem, ſpinae ac oſſium curuaturas, et nodoſitates, hinc inde ad oſſa et coſtarum

rum extremitates, exorientes, cum abdominis et capitis tumore uaegrandi, oculorumque protuberantia inſigni.

Theſ. 37. Morbus hic quidem uertebrarum, *Rachitis* dictus, per patriam rarior quidem eſt, uidetur tamen ſaepe apud ruſticanam gentem, giganteum ſibi per noctis ſilentia, antequam baptiſmus fuit celebratus, obtruſum fuiſſe infantem, perſuaſiſſime ſibi credentem. Sed, in Anglia, et praecipue comitatu Kent, morbus eſt frequentiſſimus. Singulares autem de hac aegritudine tractatus conſcripſere, GLISSONIVS, *et* MAYOW, Medici Angli clariſſimi. Praecipue tamen MAYOW, in morbi huius aetiologia deſignanda, mecum diſſentit, ad neruos obſtructos, ſuccumque nutritium inde deſtillandum, non effundentes, maxime reſpiciens. Ita quidem, ut oſſa, aliaeque partes, ſubtumide iam excreſcentes, abunde alimento gaudeant, nerui uero, ex medulla praeſertim ſpinali pullulantes, obſtructi, in principio tendinis eorum muſculorum, qui ad haſce partes ſiti ſint, faciant muſculos, ex defectu neruei alimenti, abbreuiari, et contrahi, unde oſſa, tendinibus et caudis muſculorum alligata, iam in longum protenſa, incuruentur.

Theſ. 38. Concurrit quidem nerueum liquidum ad omnem nutritionem, non aliquem ſuccum, ad ignem, ut BELLINVS putauit, concreſcibilem, demittendo, ſed in muſculares

uaſorum

uaſorum fibras, hoc eſt, per uaſa ſua depluendo, ad alimentorum praeparationem, et comminutionem in uiſceribus, ac diſpoſitionem per loca nutrienda, inſignem collocat operam. Ego uero morbi huius cauſam eſſe, crediderim, acredinem omnia eliquantem, cuiuscunque demum naturae ingeniique et illa fuerit, ad luis tamen uenereae fortaſſis naturam accedentem; cum hac enim quam maxime conuenit. Sola differunt oſſa, quae in infantibus móllia adhuc cum ſint, facile curuantur. Vulgus certe ea omnia, quae non intelligit, quaeque a ſagacibus et rerum naturalium peritis per leges phyſicas fieri, ſtupens animaduertit, res putat eſſe mere magicas, ab auxilio diaboli profectas. Ex quo factum fuiſſe, mihi ſaltem perſuadeo, ut faſcina, philtra, ligaturae, et eiusmodi alia mira naturae phaenomena, ſoli Sathanae ſint adſcripta.

Theſ. 39. Similiter infantes, qui alimentis licet optimis paſcantur, tamen contabeſcunt, a uulgo dici ſolent, maleficiis eſſe petiti, Noſtris *Foertrullade.* Sed re penitius examinata, multoties laborant uermiculis cutaneis, qui *Crinones* dicuntur, omne nutrimentum depaſcentibus, ut ex multorum obſeruationibus uere concludit, uir nunquam a me niſi cum laude nominandus, NICOLAVS ANDRY, in eruditiſſimo libro, *de la Generat. des Vers dans le corps de l' Hom. Chap.3. Art. 1.* ut ipſe multoties

toties uidi. Figuram ibi inuenies et naturalem, et uitri optici adminiculo grandeſcentem. Tolli ſolent, corpore toto melle illito, quo exeunt, et ducto per tergum linteo fortiter. Sed LEWENHOECKIVS, ex pilis ſub cute enaſcentibus, et pungentibus, fieri haec, uult, nec eſſe uermiculos, ſed pilos. Interdum autem uermes, interdum pili, in culpa ſunt.

Theſ. 40. Paria credit uulgus de *Incubis* et *Succubis*, Themiſoni πνιγαλιῶν, teſte AVRELIANO, Noſtris *Maara*, dictis. Putant enim homines, nullis, in regione corporis conuenienti, pilis inſtructos, per diabolum ferri nocturnis ſilentiis, ad alios in lecto ſuffocandos et ſupprimendos. Sicut et aliqui, cultro per pectus erecto, ſe eiusmodi incubos confeciſſe gloriantur. Et, uel plurimas in patria plebe audiui hiſtorias de hac re, quam ita, ut nunc dictum eſt, fieri, unusquisque pertinaciſſime credit, et religioſiſſime profitetur. Quin et AVRELIANVS, *Chron. Morb. lib. 1. cap. 3.* ex Silimacho memorat, contagione quadam, plurimos ex iſta paſſione, ueluti lue, apud urbem Romam, confectos.

Theſ. 41. Compertum tamen eſt, ſedula Medicorum obſeruatione, hominem, incubo tentatum, morbo alicui catarrhoſo, uel nimio ciborum in ſtomachum infarctui, hoc ſymptoma debere. Namque, quemadmodum uiſciditas humorum circulantium, cerebelli aliquam regionem, neruos intercoſtales et recurrentes, muſcu-

muſculosque et cetera reſpirationis inſtrumenta facile obthurare poterit, prout ex caſtaneis, liberalius comeſtis, hoc fuit obſeruatum; ita etiam continget, ut uentriculus, nimia ciborum copia repletus, diaphragmatis actionem reciprocam, in reſpirandi negotio neceſſariam, impediat, aut aortam comprimendo, ſanguinem copioſius in cerebellum impellat, unde arteriolae diſtentae, ſe ipſas, et neruos quoque uicinos, prementes, ac ſpirituum affluxum ſufflaminantes, leuiuſculae huius, ſed ſtertoroſae apoplexiae, cauſa ſunt, operam etiam conferente in tergum decubitu, qui cerebellum, unde uita dependet, comprimit, ac contrahit. Mihi ipſi aliquando hoc Vpſaliae contigit, ex pane butyraceo, poſt longam famem, ueſpertina coena, imprudentius et copioſius adſumto, nam inde, ſequenti nocte, incubo uexabar. Conf. BELLINVS, *de morb. capit. de incub. pag. m. 604. et ſequ.*

Theſ. 42. Sed ex multis ſane cauſis incubus fieri poteſt; unum uel alterum dabo exemplum: Nicolaus Krull, Weſtro-Gothus, nauta gregarius, menſe Iulio, Ao. 1709. ex naui *Poſtilion* in ualetudinarium Birkenſe delatus, de tumore duro dolente ſiniſtri pedis ac tibiae querebatur, ita, ut pedem terra figere nequiret. Tumor absque inflammatione, ſed durus, inſtar lapidis, per pedem et tibiam. Idque ex ſcorbuto, morbo nauali. Iuſſi bibere decocta antiſcorbu-

tica ex herbis; deinde per uices dedi purgans, ex Conſ. Hamech, admixtis ſemper granis aliquot mercurii dulcificati. Hinc tumor remiſit, et mollities ac flexibilitas ſenſim inducta fuit. Sed, quid accidit? D. 9. Auguſti incidit in febrim calidiſſimam, cum aſthmate graui, et tuſſicula. Venam mox aperui. Sed magis, in dies remittente dolore, queſtus eſt dies noctesque de lapide quodam pectori incumbente, quod auſferri uolebat inſtantiſſime. Sed nihil aliud hic lapis erat, quam materia acris et uiſcida, ſimul per tibiam diu commorata, nunc ope medicaminum in motum deducta, et lege circuli per pulmonum canales anguſtiſſimos haeſitans. Quae tamen poſtea, actione pulmonum adeo permolebatur, ut poſt aliquot dies, aequabili facto ſanguinis circulo, conualeſceret, daretque ceteris miraculum curationis, cum tibiam ſaxeo tumore micantem, iam uiderent emollitam. Talem porro incubum et pleureſin dolentiſſimam Ao. 1710. d. 15. Maii, in naue Vice-Ammiralis, nob. D. Wattrang, *Eſthland* dicta, in milite pedeſtri, Petro Diup, ex metaptoſi materiae inflammatoriae manus ſiniſtrae, delatae in pulmonum regionem, ope medicamentorum adhibitorum, obſeruaui. Sed, mox aperta uena, et educto largiter ſanguine, ceſſit. Vt omittam pariles obſeruationes plures per claſſem factas.

Theſ. 43. In ſomnambulonibus quoque facti ueneficii meminerunt, ſed fidem iſta non merentur, cum omnem iſtam dormientium ambulatio-

lationem, ex ſolis ſomniis fieri, credam, eſſeque in iſto caſu ſomnum partialem, uigilantibus membris aliis. Sic ſaepe ex compreſſione femoris, tota tibia et pes totus, per tempus redditur paralyticus et immobilis, corpore interim reliquo uigilante, atque omnes ſuas perfectiſſime operationes edente. Sed, quod haec res mira uideatur, nec ſit cauſa uulgo cognita, ad res ſtatim magicas et praeternaturales reiicitur, communi mortalium uitio.

Theſ. 44. Verum tamen et hoc ingenue fatendum eſt, multa in rerum ſympathiis, antipathiis, faſcinis, et philtris, ineſſe, quae adhuc nobis ſunt plane ignota atque abſcondita. Sic contigit aliquando in noſtra patria, ut uetula quaedam, a Iudice Territoriali diſtrictus Sudermanniae Gribsholmenſis, nob. D. Stierneroos, iniuſto, ut ipſa putabat, iudicio adfecta, aegerrime hoc ferret, et ultionis plena, magica quaedam componeret, quibus circumuenire iudicem uellet. Quibus compoſitis, adit uillam, ſed faſcinum filiam pulcerrimam, Iulianam nomine, corripit, manusque eius ita infecit, ut ſtatim nigreſcerent, et deciderent. Quod, cum in omnium ore uerſetur, dubitare non debemus de facto. Adhuc quoque uiuit uirgo, et defectum manuum, tam ſedula imitatione coniunctorum truncorum, in ſcribendo imitatur, ut cum admiratione omnes intueamur; cuius quoque autographum cum truncis ſcriptum,

ptum, idiomate uernaculo et Gallico, inter rariora mea ſeruo, et ſtupens admiror. Sed, quo modo hoc explicari debeat, adhuc non uideo.

Theſ. 45. Illi autem, qui coeca confidentia, et carminum quorundam, neſcio cuius generis, murmure, ſerpentes uel rumpere, uel faſcinare ſe poſſe, gloriantur, uideant, ne ipſis tale contingat infortunium, quale, ut AMATVS, *Cent.* 3. *Curat.* 14. narrat, iuueni Ancona Auximum proficiſcenti contigit, qui, cum ab itinere mictum abiiſſet, uiperamque prope arboris cauernam conſpexiſſet, effutitis aliquot fruſtraneis uerbulis, ſerpentem adprehendit, ſed uirulento ictu percuſſus, paulo poſt audacem animam efflauit. In ſacris quidem dicitur, impios, ſic aures ſuas obthurare, ſicut ſerpentem, ad uocem faſcinatoris. Et antiquis ſemper creditum, eam uim carminibus eſſe. Hinc NASO, *Amor. lib.* 2. *Eleg.* 1.

Carmina ſanguineae deducunt cornua Lunae,
Et reuocant niueos Solis euntis equos.
Carmine diſſiliunt abruptis faucibus angues,
Inque ſuos fontes uerſa recurrit aqua.
Carminibus ceſſere fores, inſertaque poſti,
Quamuis robur erat, carmine uicta ſera eſt.

Si modo uera ſint haec atque alia a Poetis tradita de uiribus ueneficiorum. Ita autem idem NASO, *Amor. lib.* 3. *Eleg.* 11.

Exit

Exit in immenſum foecunda licentia uatum,
Obligat hiſtorica nec ſua uerba fide.

Theſ. 46. Vulgus equidem, *Finnos*, artem callere magicam, credit. Ego uero per quatuor annos apud illam gentem commoratus, nihil in iſta ſapientius inueni, quam in noſtra, quin potius liberalitatem quandam in exteros, ſed tamen ſui quendam amorem, et, ut ita dicam, ſuorum morum pertinax ſtudium retinendi, phyſicam uero naturalem plurimum ibi apud uulgus eſſe excultam. De *Lapponibus* autem, gente per ueneficia quondam, et nunc quoque, infami, a celeberrimo OLAVO RVDBECKIO, Med. Doct. et Prof. Patris Magni non degenere filio, *in peregrinatione Lapponica*, cuius deſcriptionem cum deſiderio multo expectamus, obſeruatum eſt, nihil aliud in ſceleribus ſuis componendis adhibere illos, praeter fungos quosdam rubeos uariegatos, lacteſcentes, qui, pro ea, quam omnis fere planta lacteſcens continet, acredine, ſuam uidentur facile indolem prodere. Et obſeruauit idem RVDBECKIVS, uocabulum *Trolla*, magicas exercere artes, ipſis Lapponibus, ſua lingua Hebraizante, ſignificare, aliquem fraude circumuenire, et ludere: indigitante uocabulo ipſo artis, naturaliter et ex inuentis ingenii haec fieri. Neque hi tantummodo arte magica inclaruerunt, ſed et antiqui Colchidis incolae, Theſſali,

Pſylli, Marſi, Circe, Medea, Theſtylis, Dipſas, anus, aliique quam plurimi ab auctoribus nominati.

Theſ. 47. Sed non immerito admirabuntur plurimi, me tam eſſe audacem, ut magiam omnem, faciam rem mere naturalem, et niſi eſſe aliud, quam phyſicae reconditioris notitiam, cuius ope multa tam bona, quam mala humano generi obtingere poſſint. Neque ſolum omnis uulgi multitudo contrarium credit, ſed fuere etiam ex medicis quam plurimi, qui magiam diabolicam ibant adſertum. Quos inter meretur legi HIERONYNVS IORDANVS, uir doctus, qui *de eo, quod diuinum et ſupernaturale eſt, in morbis humani corporis*, egregium tractatum conſcripſit, ibique totis uiribus contrariam mihi ſententiam propugnare conatur. Cui poteſt addi, ſi placet, MARTINI DEL RIO, Ieſuitae, *Diſquiſitiones magicae.* Mecum uero eſt IOANNES WIERVS, uir eruditus, *de Praeſtigiis Daemonum.*

Theſ. 48. Contingit autem, quod magi et ſagae, remediis, per ſe et natura ſua morbo opitulaturis, admiſceant uerba quaedam, ſuperſtitiones, ſtellarum obſeruationes, cruces, carmina, ſuſurros, aliaque uana, ut non uideantur medicamenta ex ſe hanc uim habere, ſed ex daemone. Et, dum ſolummodo ſua adhibent carmina, noſtris *Signery*, absque medicinis, credo, omnem tum opem, quae inde fit, ſola fieri

ri aegrotantis imaginatione et fide. Quod autem negem, faſcina dari diabolica, non uelim ſic interpretentur, ut in ſpeciem quandam atheiſmi incurram. Diabolum, permiſſu diuino, uaria hominibus inferre mala, non nego, ſed iuxta puto, eundem ad ueneficia res maxime naturales adhibere. Atque hoc erat dicendum.

Theſ. 49. Concludam itaque cum COELIO CALCAGNINO, *lib. de Amator. Mag.* in hunc modum: *Varietas olim iuncta miraculo, furtiuo concubitu genuit magiam ſecundam cognomine; reformidansque, ne forte ueritas, cum qua perpetuas inimicitas gerit, a qua etiam paribus ſignis congreſſa, ſaepius profligata eſt, ſuum partum enecaret, illum impudentiae ac timori, iunctis connubiali foedere, commendauit. At illi in ſinu incomprehenſibilitatis e feſtigio collocarunt furtim, et ſub praeſtigiarum crepundiis educandam. Quae mox in grandiorem aetatem adulta, iamque pinnulis praemunita, euolauit in fatuorum arces, ibique nidulans, credulitatem peperit. Quae, utpote Parentum beneficiis grata, illam mutuo enutrit, et quaſi* ἀντιπελαργίζει, *alioqui breui interituram.*

 CAPVT

Capvt Decimvm Qvintvm.

Temporaneorum et Delibutoriorum Venenorum ſiſtit examen.

Theſ. 1. Habebant et priſtina tempora, ſic uti noſtra hodienum, uenena ſenſim agentia, temporanea, et terminata, eaque ſatis noxia, et deleteria. Sed, eſſe ea factitia, non naturalia, uolebat CARDANVS, *Contr. Med. lib. 2. Tr. 5. Contr. 10.* quod quoque uidetur ueroſimile, cum ea praeſertim, quae per mechanicum tritum fiunt, horum uenenorum nomine digna ſint; hominum prauitate non contenta, niſi quoque ad certum tempus mors illa praeſcriberetur.

Theſ. 2. THEOPHRASTVS, *Hiſt. Plant. lib. 9. cap. 17.* refert, Thraſyam, Mantinenſem, inueniſſe uenenum, quod facilem et ἄπονον ἀπόλυσιν, mortem ſcilicet non laborioſam, adferret. Parabatur autem ex cicuta, papauere, aconito, aliisque huiusmodi. Hoc tamen ἔυογκον πάνυ et μικρὸν, mole et pondere paruum, ad drachmae menſuram, necaret, quod tamen eſſet ἀβοήθητον, ſeu immedicabile, durans diu, nec quidquam mutationis experiens. Cicutam Athenienſes ſic paraſſe ſcribuntur, ut ad drachmae pondus, intra tres horas, occideret. Tale quoque ex aconito antiquitus compoſitum fuit,

fuit, quod certis occidere temporibus poſſet, bimeſtri, trimeſtri, ſemeſtrique ſpatio, anno completo, uel biennio, peſſime mulctaris, qui diutina tabe et languore periſſent, remedio fruſtra quaeſito.

Theſ. 3. Atticum Pharmacum, in publicis iudiciis admiſſum, quo Socrates, Philoſophus optimus, ſublatus fuit, antea memoratum, fuiſſe uel cicutae ſuccum inſpiſſatum, uel compoſitum quoddam, diximus. Iubet enim Critonem Socrates, apud Platonem, uenenum teri, ſi tritum non eſſet. Quare etiam contuſum in calice attulerunt, ceu facile liquidis miſcibile, quod tamen de radicibus, ſeminibus, foliisue, dici non poteſt. Neque Socrates expedite ebibere potuiſſet, ſi fuiſſet ſimplex puluis. Quidquid fuerit, ſiue cicutae ſuccus inſpiſſatus, ſiue compoſitum, ſiue arſenicale aliquod, acre fuit certe, quia cum frigore extremorum, tibiarumque, mortem incepit, teſte PLATONE, *in Phaedro, ſub fin.*

Theſ. 4. Terminatum uel ſaltem Temporaneum accepiſſe uenenum Attilius Regulus ſe fatetur, apud GELLIVM, *Noct. Att. lib. 6. c. 4.* Et Ciceronis, Romanae Parentis eloquentiae, haec ſunt uerba, *Orat. contra Piſonem: uenenum eiusmodi fuit, ut non ſtatim eum interimeret, ſed mortem in diem proferret eo conſilio; poſtea uero graſſante ſenſim ueneno, eo tabeſceret.* Talium uenenorum compoſitores

ſaepenumero deprehenſi ſunt. Sic memorat LIVIVS, *lib. 8.* Romanas quasdam Pharmaceutrias, Corneliam, ac Sergiam, utramque Patriciae gentis. Foeminae enim ſaepius huic nefariae arti operam dant, ut maritos, ſibi non charos, nec per omnia reſpondentes, tollant. CARDANVS quoque, *de Venen. lib. 3. cap. 6.* Veronenſem quendam ſenem nominat, Marteloſium nomine, qui talia uenena Venetiis praeparauerit.

Theſ. 5. Sed, ſicut artes bonae et liberales recentiori tempore magis adoleſcere coeperunt, ita etiam, quae in ruinas tenderent hominum, magis quam priſtinis ſeculis, ex prauo ingenio quorundam, erigere caput ac ſurgere. Vt enim taceam Pyrium puluerem, et machinas igniuomas, ac tormenta bellica, uenena certe temporanea, noſtro iam tempore crebrius longe atque artificioſius componuntur. Quorum in claſſem prae ceteris ſaturnina et gypſea ueniunt, atque illa maxime, quae per trituram ex corpore duro, rigido, ac ponderoſo fiunt, praeſertim ex lapidibus pretioſis, adamante, aliisque. Ea enim horum uenenorum natura eſt, ut nec ſolui in corpore, nec debellari et hebeſcere, nec ſuperari et inuerti ullo modo poſſint; Sed, ubicunque haeſerint intra fibras partis alicuius ſolidae, uel in canali aliquo anguſto, ſenſim quidem lancinant, ſed indelebili uitio fodicant, nec capiunt medicinam.

Theſ.

Theſ. 6. Famoſiſſimum uero huius generis uenenum fuit, quod per foeminam quandam Pariſienſem, ſortis haud ignobilis, uulgo *Madame de Briauilliers*, ex adamantinis fragmentis et ſaturni ſacharo, uti uolunt, componebatur, eamque ob cauſam, *la Poudre de Succeſſion* dicebatur, quod nempe temporaneum eſſet. Hunc puluerem ferunt intra certos terminos fuiſſe conſcriptum, ultra quos non progrederetur. Sed, quale illud fuit, quo Dominus de Nort-Carmes, Prouinciae Vltraiectinae Gubernator, ab Hiſpanis petitus fuit, lento quidem, atque unde in icterum periculoſum inciderit, omni remedio incurabilem, ſicut faſſus eſt magni nominis Medicus, HEVRNIVS, non adeo liquet.

Theſ. 7. De natura Pariſienſis iſtius ueneni, auctores quidem non conueniunt. WEPFFERVS enim, *de Cicut. Aquat. cap. 20. Schol. 4.* arſenicale fuiſſe, putat, ſicut et illud, quo ueneficae quaedam Romanae, ſub Pontifice, Alexandro VII, impio pietatis fuco, tantam ſtragem ediderunt, Italis *Aquetta* dicto, ex qua aqua, intenſiſſima febris, et aeſtus uix extinguibilis, fiebant. Sed, cum huius antidotus fuerit citri ſuccus, aliud quid fuiſſe puto. Et refert NICOLAVS FLORENTINVS, *Sermon. 4. Tr. 3. cap. 9.* Franciſcum Ordelaphum, Capitaneum Foroliuii, ueneni genus quoddam habuiſſe, quod iniectum carbonibus, illico interimebat omnes circumſtantes. Sed PAVLLINVS,

Bufon.

Buſon. Curioſ. Sect. 1. cap. 3. §. 45. adſerit, Pariſinum illud, ex bufonibus, ſale, et ſpiritu uini, inuicem deſtillatis, confectum fuiſſe. Ex arſenico tamen, et calce uiua, inuicem ſublimatis, uenenum hoc conſtare, mea fert ſententia. Quidquid uero ſit, altius in id inquirere, nec lubet, nec decet. Et, eſt credibile, non unicum tantum huic famoſae ueneficae uenenorum fuiſſe adparatum, quum in nefaria hac, tam multis aliis, atque ipſi tandem operatrici, exitioſiſſima arte, fuerit quam exercitatiſſima. Et talis in humanam perniciem excogitata medicina, *quaedam homicidorum ars eſt, prorſus mechanica,* non autem altera illa et uera medicina, in quam hoc telum miſit, omnibus ſcientiis iniquiſſimus, ex quadam animi prurigine, HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA, *de Vanitat. Scient. cap. 82.*

Theſ. 8. Ex his autem temporaneis uenenis mors quidem certa fit, cum uariis ſymptomatis antegreſſis, ſenſu ſcilicet lancinationis perpetuo, et dolore corporis, hebetudine, debilitate, pallore, aſthmate, triſtitia perpetua, inappetentia, ac alui conſtipatione, praeſertim ſi ex gypſeis et cretaceis fuerint. Dari tamen aliquod uenenum, exactis adeo calculis terminatum, inque certos dies definitum, uix ego crediderim, propter miram illam, et in ſingulis quoque diuerſam corporis contractilitatem, et elaſticitatem, uimque ipſius cordis, ex cuius

motu

motu, omnium reliquarum partium motus dependet contractilis. Itaque, qui maiori uiſcerum robore, fortiore cordis contractione atque arteriarum, gaudent, citius pereant, neceſſe eſt, ſi fuerint acria. Et iuuenes citius, quam ſenes, peribunt. Sed ex gypſeis non adeo diuerſimode peribunt.

Theſ. 9. Vt enim philtra dixi amores quidem excitare, ſed non certos ac determinatos, ita etiam ſe res habet cum uenenis temporaneis ac terminatis. Naturae hominum diuerſae, et elateres ſolidorum uarii, non poſſunt non ueneni talis uim uel accelerare, uel retardare. Nam, ſi hoc eſſet uniuerſaliter uerum, in peſtilentia certe, ubi uenenum, quodcunque demum et id fuerit, ab omnibus aequaliter hauritur, omnes pariter eodem tempore morerentur, quod tamen non fit, cum hic ſubito, alius tardius, uel non, moriatur, pro ratione uitae, in uenena agentis. Sic purgantia remedia, alios cito mouent, alios tarde, uel nunquam. Qui enim pituita laborant per omnem uentriculi atque inteſtinorum ductum, atque hanc ob cauſam debilius oſcillant, non tam facile uenenis acribus laeduntur, ac qui forti elatere praediti, et puriori uentre.

Theſ. 10. Nam, quod ſolertiſſimi temporaneorum uenenorum compoſitores, unius cuiusque hominis naturam et robur, quid ferat, quid ferre recuſet, exacte nouerint, nunquam

cre-

crediderim; cum tot ſint diuerſae naturae, quot diuerſi ſunt homines. Atque GALENVS ſuo tempore, Aeſculapium nouum ſe forte ſibi pollicebatur, ſi ad id ſcientiae medicae faſtigium pertingere potuiſſet; quod tamen negat ſibi unquam fuiſſe poſſibile. Confer LAVRENTIVM IOVBERTVM, Medicum doctum, qui argumentum hoc tractauit in ſcripto quodam, cui titulus, *Si on peut limiter certain tems aux Poiſon.* Sufficit in tantum creuiſſe nefariam hanc artem, ut certa mors obtingat, eaque non ſubitanea, ſed tarda, ſine ullo ueneni acris extantiore, uel uomitu, uel torminibus, aut dyſenteria, uel febri, ſed morbo, ſub ſpecie phtiſis pulmonaris, uel rheumatiſmi, et arthritidis, ſuam fabulam percurrente.

Theſ. 11. Eo quoque dementiae humana peruerſitas proceſſit, ut uenena in ſubſtantia, hoc eſt, puluere, uel potionibus, exhibuiſſe, non fuerit contenta, ſed quoque ingenioſas commenta fraudes, aliis rebus, omni ueneni ſuſpicione uacuis, crudelia eiusmodi clanculum aptauerit. Veteres talia uenena appellabant delibutoria, praeſertim uero illa, quae telis inungebantur. Sic Turcae ephippia, ſtrophiola, et cereos, ueneno praeſentiſſimo inficiunt, uel unguentis ſuaueolentibus uirulentum nefas admiſcent, ut de illis CARDANVS, *de Venen. lib. 1. c. 15.* SCALIGER, *Eexercitat. 154.* et BARCLAIVS, *Satyric. Icon Anim. cap. 9.* adnota-

notauerunt. Quae unguenta non quidem tutiora fuiſſe conſtat, quam illud, quod arſenico contra capitis impetigines commixtum, Florentinum iuuenem intra noctem ſuſtulit, ut AMATVS ſcribit, *Cent.* 2. *Curat.* 33. Et, quod apud WEPFFERVM, *de Cicut. Aquat. cap.* 20. *Hiſt.* 13. *p.* 289. puellae, ob phtiriaſim, inunctum capiti, eam ſuſtulit, poſt capitis tumorem, deliria, et febrim. Sic Ao. 1708. in Oſtro-Gothia, prope Wadſtenam urbem, militis uxor, puero quinquenni, contra impetiginem, arſenicum, duorum piſorum magnitudine, pulueriſatum, in ulcera inſperſit, unde dolor, tumor monſtroſus, et poſt duos dies, mors. Regium quoque collegium medicum Stockholmenſe, Ao. 1709. menſe Februario, ſuper hac re conſultum eſt.

Theſ. 12. Alii chirothecas uirulento miaſmate perfundunt. Ex quo periiſſe Imperatorem Romanum, Ottonem III. annales loquuntur, quas chirothecas, morte praeſentiſſima grauidas, ipſi tranſmiſerat Creſcentii coniux. Nec deſunt, qui ſacratiſſimas hoſtias, ueneno imbuunt, unde obiit Henricus VII. Imperator, ex domo Luxenburgica, qui Piſis ſepultus eſt. Et refert AMBROSIVS PARAEVS, *de Venen. lib.* 20. *cap.* 7. Clementem VII. ſeu Iulium Medicem, Pontificem maximum, praeeuntis uenenatae funeralis facis halitu, per fumos in pulmonem admiſſo, periiſſe. BRVYERINVS uero,

de

de Re Cibar. lib. 9. cap. 20. ex immoderato fungorum eſu mortuum fuiſſe hunc Pontificem, memoriae prodidit, ut ſupra notaui. Potuit et mors ipſi fieri ex ſolo admiſſo fumo piceae uel cereae facis, ad modum aliorum fumorum acrium, pulmones ſtrangulantium, et liquida tranſitura cogentium.

Theſ. 13. Nummum porro argenteum, ueneno imbutum, SCHENCKIVS, *Obſ. Med. de Venen. lib. 7.* narrat, quo filiolus Antonii Boſcolt, a matre propria crudeliſſima, loco ſtrenae, ſic donatus, obiit. Poterit enim facile fieri, ut nummi, tinctura aliqua acri imbuantur, acida, uel alkalina: infantes uero, ſicut omnia ori admouent, ut ſupra de crepundiis, arſenico coloratis, notaui, facile quoque hinc corripientur; quanquam metallica corpora, ob pororum anguſtiam, et materiae ſuae ſoliditatem, non facile effluuiis penetrentur.

Theſ. 14. Atque, ut in nulla non re, grata oculis, ſapori, aut odori, experimentum facerent ueneficiorum, ſic florem cariophylli uenenatum MATTHIOLVS refert, *Comment. in 6. Dioſcorid. in Praefat.* Folium acetoſae, imbutum uiru, HENRICVS *ab* HEER, *obſ. 8.* commemorat. Vt reliqua taceam. Adhaerere autem rebus iſtis, praeſentiſſimi ueneni cuſpides, et miaſmata, facile nobis fidem faciunt, poſtquam multorum experientia, et fatali etiam ſaepe uitae periculo, conſtitit, fraga, rubi idaei baccas,

ſal-

ſaluiam, gramen, aliaque luxuriantis Pomonae Floraeque dona, ſolo buſonum tabido halitu, uel alius uenenatae beſtiolae, perflata, atque intoxicata, mortem induxiſſe minime tardam. Sic de fragis, bufone intoxicatis, et Catharinam Stalber male adficientibus, refert HILDANVS, *Obſ. 30. Cent. 5.* itemqne de uuis, pariter infectis, *obſ. 39.* prodit. Auctor eſt PALMARIVS, *de Morb. Contagioſ.* equos, boues, et alia animalia, in rabiem acta fuiſſe, poſtquam de ſtramine, cui rabioſi quidam porci incubuerunt, comediſſent. Similiter PARAEVS, *lib. 20. cap. 24.* narrat, mercatores, in hoſpitio, immiſſis in uinum ſaluiae foliis, inter prandendum, uomitu, uertigine, ſyncope, ſpaſmo, ſudore frigido, correptos, protinus obiiſſe. Hoſpes accuſatur facti maleficii, ſed abſoluitur; bufones enim inuenti ſunt ad radices plantae. Non tamen negandum KIRCHERO eſt, *Scrutin. Peſt. Sect. 1. cap. 7. §. 2. Exper. 3.* ineſſe foliis herbarum interdum minutiſſimos uermiculos, horum malorum auctores. Hinc HIPPOCRATES optime, *in Epiſtola ad Crateuam: ſed et herbis multa reptilia uenenum immittunt, et hiatu ſuo internae ipſarum teneritudini, afflictionem pro auxilio inſpirant.*

Theſ. 15. Coronis quoque, quas ueteres epulaturi caput induebant, inſperſum fuiſſe uenenum, hic PLINII locus oſtendit, *lib. 21. cap. 3. Apparatu belli Actiaci, gratificationem ipſius*

 Reginae,

Reginae, (Cleopatrae) *Antonio timente, nec niſi praeguſtatos cibos ſumente, fertur ea pauore eius luſiſſe, extremis coronae floribus ueneno illitis, ipſaque capiti impoſita, mox, procedente hilaritate, inuitauit Antonium, ut coronas biberet. Quis ita timeret inſidias? Ergo concerpta in ſcyphum incipienti haurire, oppoſita manu, en ego ſum*, inquit *illa, chare Antoni, quam noua praeguſtantium diligénter caues: adeo mihi, ſi poſſim ſine te uiuere, occaſio aut ratio deeſt. Inde eductum cuſtodia bibere iuſſit, illico expirante.* Adeo in potu atque hilaritate conuiuali, praecipue ſub odorum fragrantia, ſubrepit fallaciter, atque ex inſidiis uenenum, ſcelerato hominum inuento! In re quippe amatoria, multum eſt uariumque uitandum periculum. Nunc enim philtris ſibi amorem foeminae ſtudent conciliare, nunc, ut canit amator peritiſſimus, NASO, *de Art. Amand. l. 3.* contra abominationem procurare,

Eſt dare miſta uiro tritis aconita cicutis,
Accepto uenerem munere ſi qua negat.

Theſ. 16. Quin et litteras uirulento miaſmate ſaepe imbuunt. Et refert HELMONTIVS, *de Tumul. Peſt.* peſtilentiam per epiſtolam in uicinam urbem propagatam fuiſſe, magna mortalium ſtrage. *Vidi, qui tangendo peſtiferas chartas, eo ipſo ſenſerit dolorem uelut acus*

pun-

pungentis, moxque peſtilentem anthracem in indice digito oſtendit, et poſt biduum occubuit, ut ſonant eius uerba. Et memini, me legiſſe, Ao. 1708. Stockholmiae, d. 31. Auguſti, in nouellis publicis, aduenisse ad Principem Eugenium ex urbe Ryſſelenſi, ſiue Inſulis Flandricis, arctiſſime tum obſeſſis, litteras, quibus portiuncula quaedam gryſei papyri, ueneno fortiſſimo peruncti, incluſa fuerit. Quam, qui imprudentius attigiſſent, paſſi ſint inde damna non parua. Et canis, commune illud experimentorum martyrium, cui per artificium fuit hoc papyri fruſtulum exhibitum, morte repentina obiuerit. Quis ergo nunc a ueneno tutus eſſe poſſit, cum per litteras transmitti poſſit.

Theſ. 17. Alii, referente PLINIO, *lib. 33. cap. 1. ſub gemmis uenena claudunt, ſicut Demoſthenes, ſummus Oratorum Graeciae, annulosque, mortis gratia, habent.* Aedituus quoque Capitolii comprehenſus, fracta in ore annuli gemma, ſtatim expirauit, eodem referente ibidem PLINIO. Et ſunt, qui uolunt, Hannibalem, Carthagine ad Pruſiam, Bithyniae Regem, profugum, cum T. Quintio Flamminico, Conſuli Romano, traditus eſſet, uenenum, quod in annulo, Regio more, ſecum ſemper ferebat, ſumſiſſe, et mox extinctum eſſe. Videſis PLVTARCHVM, *in T. Q. Flammin.* De quo annulo IVVENALIS, *Satyr. 10.* ſic cecinit:

Cannarum uindex, ac tanti ſanguinis ultor.

Nam, quae de Gygis annulo, PLATONI olim, *lib. 3. Polit.* memorato, circumferunt, fabuloſa eſſe, credo. Dicebant enim, quod hoc circumacto, habentem nemo cerneret.

Theſ. 18. Veterum autem proprie ſic dicta delibutoria uenena, ſeu tela, uiru contaminata, in frequenti uſu fuerunt apud Scythas. Vnde NASO, Tomis exul, de illis ſic habet, *Triſt. lib. 3. Eleg. 10.*

Pars cadit humatis miſere confixa ſagittis,
Nam uolucri ferro tinctile uirus ineſt.

Fiebant autem ex ſucco ellebori, taxi, ſolani maniaci, quod hinc dorycnium eſt uocatum, et uiperina ſanie, cum ſanguine humano, aliisue rebus, permixta, ac in tabum, ſub fimento ſepulta, contabeſcente, ac computreſcente, ut PLINIVS habet, *lib. 11. cap. 53.* AVLVS GELLIVS, *Noct. Attic. lib. 16. cap. 15.* et OLAVS MAGNVS, Noſtras, *de Gent. Septentr. lib. 15. cap. 2.* Alii putant, toxicum ſolummodo uenenum, ad ſagittas uiru imbuendas, uſurpatum fuiſſe, cum ſagittae, Graecis τόξα dicantur. Eo uero tela, et miſſilia, ut uolucria eſſent, erant pennata; ſiquidem, dicente PLINIO, *lib. 34. cap. 14. ut ocyus mors perueniret ad hominem, alitem fecimus, pennasque ferro dedimus.* Pulcherrime PLINIVS! Pharicum autem uenenum, telis imbuendum,

erat

erat ſuccus radicis ellebori albi, in bubulo cornu ſeruatus, donec putreſceret, quo Pyrenaei montis accolae ſagittas imbuunt ad uenationem, teſte PRAEVOTIO, *de Venen.* Et HOMERVS, *Odyſſ. lib. 1.* canit, Vlyſſem in Ephyram profectum ad Ilum Mermeridem, ut quaereret uenenum mortiferum, ad ſagittas inungendas, aerea cuſpide munitas.

Theſ. 20. Quidam uero non inungebant uenena telis, ſed foramen in ſagitta excauatum, uiru replebant, quo ueneficii genere Sigeum Galleranum occiſum fuiſſe, ſcribit CARDANVS, *lib. 1. de Venen. cap. 15.* artificio hominis, in hiſce nefariis, uincente naturam. Alii ſolo napelli ſucco tela contaminant, quod de Valdenſibus refert THVANVS, *Hiſt. lib. 27.* Verba eius haec ſunt: *a fide dignis mihi narratum fuit, apud Conuallenſes, ſeu Valdenſes, in uſu eſſe, ut gladiorum acies, ſpicula, uenabula, ſagittas, glandes plumbeas, et cetera miſſilia, Torae uulgo dictae, ſeu potius Pthorae, ſucco, quae in illis locis frequenter naſcitur, et uulgari Toxici nomine adpellatur, inficiant. Quod praeſentiſſimum uenenum eſſe, ſciunt Medici.* Hinc paulo ante ſcribit, nullos Sabaudos, a Valdenſibus uulneratos, euaſiſſe.

Theſ. 21. Sed delibutoria, non tantum ad conficiendos homines, erant excogitata, uerum etiam

iam feras; et illud, quo in uenationibus ceruorum, antiqui utebantur Galli, ſeu ceruarium, Loemeum ipſis, ἀπὸ τῦ λοιμοῦ dictum, PLINIVS, *lib. 25. cap. 5. et lib. 27. cap. 11.* ex ellebori ſucco comparatum memorat. Sed barbaros, perfricata carne aconito, pantheras uenari, idem ſcribit, *lib. 8. cap. 27.* euaneſcente tamen apud nos hodienum illa ſagittas intoxicandi licentia, poſtquam per pyrium puluerem, glandemque plumbeam, notato loco immiſſam, compendioſa magis morte, ferarum lucremur delicias et pulpamenta. Indis uero, etiam noſtra hac tempeſtate

- - Non felicior alter,
Vngere tela manu, ferrumque armare ueneno,

ut MARONIS illud, de Amyclo uſurpem, *Aeneid. lib. 9.* Et memini, me Ao. 1704. in arce Scoglaſter, prope Stockholmiam, curioſitatum promptuario, uidiſſe pugionem Indicum uenenatum, ſed particula ueneni in mucrone ſuo, unde canis traiectus obiuerat, orbatum. Quin et Indi, apud CVRTIVM, *lib. 9. cap. 8.* ueneno tinxiſſe gladios, perhibentur, unde ſaucii ſubinde exſpirabant, leuibus etiam plagis medicinam reſpuentibus. Refert quoque TACHARD, Ieſuita Gallus, *Peregrin. Siamit lib. 3. pag. m. 98.* Macaſſaribus Indis, in uſu eſſe pugionem, ipſis *Crit* dictum, cuius uenenum, aeſtate ſubtiliſſimum, adeo lethale ſcribit, ut uel

uel granulum, ſanguini admixtum, immedicabile ſit, niſi excrementa propria fuerint adſumta, non abſimile ueneno ſerpentis, Cobra de Capello Portugallis dicti.

Theſ. 22. ALPHONSVS tamen FERRVS *tract. de Sclopet. uulner. Romae edit. l. 1. c. 4.* ipſos etiam plumbi globos, ex ſclopeto emiſſos, ob pyrium puluerem uenenatos eſſe, putat, cum puluis hic coeleſtium naturam ignium ac fluminum indolem imitetur. Quidquid ſit, id certe ad Narwam, Ingriae urbem, obſeruatum eſt, in memorabili, atque Marathoniam pugnam longe exuperante clade Ruſſorum, qua ſeculum ſuperius clauſit, ſibique aeternam peperit gloriam Heros Maximus, Carolus XII. Magnus, Rex Suecorum Gothorumque Auguſtiſſimus, globos ſcilicet et glandes plumbeas, quas octoaginta Ruſſorum millia, contra octo mille Suecos, inſtar pluuiae et imbris, emiſerunt, uenenoſitatis aliquid ſibi adfricuiſſe ex allii ſegmentis, quae continuo ſecum geſtant Ruſſi, dapes ſuas optimas. Nam, uulnera ibi facta, medelam non facile capiebant. Idem quoque in proelio ad Holofhim obſeruatum. Sed forte gens aſtutiſſima, alia quoque nocentiora admiſcuerat.

Theſ. 23. Sic eſt, undique petimur homines, undique nos dira fati uis rapit, deciditque uno momento moles, multis conſtructa annis. Prorſus, ut hic addam, quae diuinus HOMERVS,

RVS, *lib.* 17. *Iliad.* ſub perſona Iouis, in hunc modum canit:

> Ου μὲν γάρ τε πού ἐςὶν ὀιζυρώτερον ἀνδρὸς
> Πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἐπιπνέιει τε καὶ ἕρπει.

Et, uel ex hoc humanam mirari oportet malitioſam ſollertiam, in uariis uenenis acquirendis, et conficiendis, cum nullum animal, praeter hominem, alio armorum adparatu, contra hoſtem confligat, quam quo eadem, natura inſtruxit: ſecundum illud NASONIS, *in Halieutico:*

> *Omnibus ignotae mortis timor: omnibus hoſtem*
> *Praeſidiumque datum ſentire, et noſcere teli*
> *Vimque, modumque ſui.*

Atque ſic, quamuis ceteris animalibus, in tutelam ſui, ſatis uirium ſit, et quaecunque uaga naſcuntur, uitamque actura ſegregem, armata ſint, hominem uero imbecillitas cingat, non unguium, non dentium uis, terribilem ceteris faciat, nocendi tamen inſtrumenta ualidiſſima homo callidiſſime inuenit.

Theſ. 24. Hinc bene PLINIVS, *lib.* 18. *cap.* 1 de terra loquens, exclamat: *genuit uenena; ſed quis inuenit illa praeter hominem? Cauere ac refugere alitibus feriſque ſatis eſt.* Et paulo poſt; *quod nimal tela ſua, excepto homine, uenenis tingit? Nos et ſagittas ungimus, et fero ipſi nocentius aliquid damus.*

Nos

Nos et flumina inficimus, et rerum naturae elementa. Ipſum quoque, quo uiuitur, aerem, in perniciem uertimus. Nec ab ullo, praeter hominem, ueneno pugnatu. alieno. Et in *Praefat. lib. 7.* ſic fatur: *cetera animantia in ſuo genere probe degunt: congregari uidemus, et ſtare contra diſſimilia: leonum feritas inter ſe non dimicat: ſerpentum morſus non petit ſerpentes: ne maris quidem belluae et piſces, niſi in diuerſa genera, ſaeuiunt. At, me hercule, homini plurima ex homine ſunt mala!* Vel, ſi mauis carmina IVVENALIS, *Satyr. 15.*

Sed iam ſerpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni
Fortior eripuit uitam leo? quo nemore unquam
Expirauit aper, maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: ſaeuis inter ſe conuenit urſis.
Aſt homini ferrum lethale, incude nefanda
Produxiſſe parum eſt; cum raſtra et ſarcula tantum
Adſueti coquere, et marris ac uomere laſſi,
Neſcierint primi gladios excudere fabri.

CAPVT

Capvt Decimvm Sextvm.

Noxas uel mortes ex Venenis renunciandi modum deſcribit.

Theſ. 1. Venio nunc tandem ad illud orationis punctum, quod ex hoc argumenti genere maximum uſum habet in medicina practica, atque in uita communi, praecipue uero in poliatris, et medicis prouincialibus, ſuo quodam cum merito deſideratur, multamque ſaepe foeneratur lucem cauſis obſcuris, et criminibus ſuſpectis, nec adhuc ad liquidum perductis. Hiſce enim iam ſupra recenſitis, et pluribus forſitan aliis medicinarum iniuriis expoſitum ſaepe numero humanum corpus, ſi forte mori contigerit, uocatus ad defuncti cadauer inſpiciendum medicus, quomodo ſuum debite iudicium ferat de fati qualitate, et circumſtantiis, non inutile erit nouiſſe. Quod nunc pro re nata breuiter attingam. Nec enim noſtro deſunt tempore homines, qui furtiuis mortibus alios petunt, et, ut de ferreae aetatis hominibus canit NASO, *lib. 1. Metamorphoſ.*

Lurida terribiles miſcent aconita nouercae:

Non ſolum, ut magni uiri de medio tollantur, ſed ut inimici, uel diuites, mortem oppetant, quo ſic impune eorum frui opibus detur; iuxta illud MARONIS, in aeterno aeneidos opere, *lib. 3.* *Quid*

- - *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames!

Theſ. 2. Verum enim uero, non tantum ad medicum pertinet, iudicium ferre, de mortibus, ueneni ſuſpectis, ſed etiam ſaepius anſa datur, ſuam edicendi ſententiam in grauiſſimis morborum caſibus, derepente et cum uenenorum genio alicui obrepentibus. Ac primo quidem ad ſingula uenenorum genera ſedulo attendendum eſt, pro uaria ſua natura uarie ludentium. Scribit quidem CARDANVS, *Contr. Med. l. 2. tr. 5. Contr. 10. omni ueneno, ad tempus noxam trahenti, non ſolum praeſentaneo, uim ineſſ, ut nauſeam concitet, ſed ob paucitatem ueneni, aut, ob admixta dulcia, et bene redolentia, aut propter conuiuii hilaritatem, quandoque, imo perſaepe, latet.* Dari tamen, quae uomitu non prodantur, credo, praeſertim illa, quae ſunt mechanica, et per tritum fiunt. Putat inſuper idem CARDANVS, loco citato, putrefacientia uenena, ipſam ſanguinis ſubſtantiam in uiridem colorem conuertere, poſſeque hoc noſci per uenae ſectionem, ut a ſe factum in muliere ſcribit. Quod tamen non eſt perpetuum, quamuis interdum non fallat.

Theſ. 3. Signa tamen ex *acri metallico*, uel *alkalino putrefactiuo ueneno*, urgentia, haec ſunt: uomitus, lancinationis ſenſus, labiorum, linguae et gutturis ardor, tumorque, tormina uentris,

uentris, abdominis inflatio, ſitis, febris, mentis alienatio, anxietas, inquies, ſingultus, conuulſiones. Adeſt porro fluxus alui ſanguineus, ſtrigmentoſus, tandemque ultimo maculae per corpus liuidae, et in confinio mortis, nigrae. Sic quoque multa ſigna ſimul et ſemel coniunguntur, ſi dyſenteria cum ſpirandi difficultate, ſi uomitus cum liuore unguium, ſi dolor linguae cum urigine urinae, res ſuſpicione acris ueneni non uacat. Addi porro et hoc poteſt, quod ſi ſtatim ſentiantur eiusmodi ſymptomata, poſt adſumtum quodcunque cibi uel potus genus.

Theſ. 4. Haec autem fuere praeſentaneorum uenenorum ſigna. *Lenta* uero et *diuturna uenena*, tabe partium, pallore, dyſpnoea, et lancinatione leui, ſed fixa, noſcuntur. CARDANVS, *d. l.* ſic habet: *cum Venetias forte fortuna iuiſſem, oſtenderunt mihi Ioannem Scottum, cui affinis, ob intentatam litem, uenenum diuturnum exhibuerat. Febricula adficiebatur continua, quae tamen tertio die exacerbabatur: dolor in uentriculo, et eroſio perpetua; inde marcor et tabes cum uigiliis, et uomitus quaſi lentae pituitae ac craſſae, et ſitis, non tamen multum ualida, et deiectiones albae ac corruptae.* Forte hoc uenenum ex gypſo deſumtum fuit, uel ſaturninis, ex quibus, praeter tabem et ſitim, et tuſſim ſiccam, fieri ſolet tympanitis, in ſuperioribus memorata. Et refert

fert idem CARDANVS, *de Venen. lib. 2. cap. 1.* quod uir quidam ſic peremerit uxorem ſuam, omni curatione fruſtra adhibita per eundem Cardanum. Hoc autem uitium temporaneis uenenis tum imputatur, ſi homo paulo ante robuſto corpore fuit, ſanisque parentibus natus, nec intemperanter uiuat, nec animi morbis conflictetur, nec percuſſus fuit in membro ullo, uitae neceſſario. Sed eo breuior nunc ero, in hiſce ſignis depingendis, cum ſatis ſuperque ad ſingula uenena ſuperius annotata ſint.

Theſ. 5. At *Saturnina*, adhuc plumbeo dentium colore, uomituque albo, *Cretacea* uero et *Calciformia*, labiorum et oris albore, ſe ſe prodere, deprehenſum eſt. Sed haec ſunt ſigna, quae ſtatim, ac fuere adſumta, adparent. Si uero moram in corpore traxerint, in omni ſymptomatum caterua, cum lentis et temporaneis uenenis conueniunt, tabe ſcilicet lenta corporis, pallore uultus, difficultate ſpiritus, leui partium internarum morſu, paralyſi, anxietate fere perpetua, et uitae ſolitariae amore, atque id genus aliis.

Theſ. 6. Sed *Narcotica*, et *Opiata*, non quidem, quantum ego ſciam, praeter horridum oculorum obtutum, eorumque ruborem, et faciem uultuoſam, rubram, oculos uero feroces, truces, protuberantes, externum aliquod ſui ſignum relinquunt. Sed intra corpus ſecretionum omnium eclipſis, indolentia, ſiccitas oris,

incre-

incredibilis, ſitis, inſania, temulentia, aeſtus corporis, anxietas, ſomnus profundus, cum ſtupiditate tandem, paralyſi, apoplexia, frigore extremorum, et morte gelida. Narcotica autem, et opiata, tanto facilius prae ceteris internoſcuntur, quanto crebrius quotidie eſt obſeruare, helluones, rubris oculis, rubra facie, propendentibus oculis, aliquem intueri, dein in ſomnum ſtertoroſum, quandoque apoplexiam, et mortem, incidere. Inebriamina enim, et narcotica, pari paſſu ambulant: ſola differentia, eſt in uirtute et efficacia, quae, reſpectu doſis, maior eſt in opio, et narcoticis, proprie ita dictis, quam inebriantibus.

Theſ. 7. Et fortaſſis e re quoque eſt, ut uera dentur ſymptomata, peſtilentia affecti hominis, quo ſic in alia uenena uertere non ſit neceſſe animum, quam in peſtilens, ſi talia ſigna ingruant. Sed magis hic ſpectanda nobis occurrit illa peſtis, quae ab acri aliquo, aeri immixto, fit, ſiue illud fuerit acidum metallicum, ſiue alkali putredinoſum. Vt ergo dixi, aerem primo corruptum eſſe, hinc correptus tali peſte, accepto miaſmate per pulmones acri, ſaepe quoque per uentriculum, horret primo, mox calet, ſtrangulatur, et anhelat, uomit, uigilat, cor dolet, caput dolet, feruetque, angitur animi, ſitit ualde, cum gutturis ardore, linguae ſcabritie, liuore, aut nigredine, oculi uero rubent, igneſcunt, tumentque. Hinc graueolentia

lentia exſpirat, abeunte in putrilaginem pulmone, iam denſo et ponderoſo, ex ſtagnantibus per illam regionem liquidis, iuxa illud LVCRETII, *lib. 6. de Nat. Rer.*

Spiritus ore foras tetrum uoluebat odorem,
Rancida quo perolent proiecta cadauera ritu.

Sputat cruenta, male olentia, purulenta, liuida. Raucus eſt, tuſſitque. Partes pedum gangraenis, ſphacelisque corripiuntur, et ſiderantur. Bubones oriuntur iuxta aures, ſub axillis, per inguina, quae in carbunculos et anthraces abeunt. Imo puſtulae per totum corpus, et ardor ac dolor incredibilis, ut neque tenuiſſima linteamina, ſed ſolam nuditatem ſuſtineat.

Theſ. 8. Rapta uero ex pulmone in cerebrum materia morboſa, delirat, auresque ſibilant; uel in inferiora decumbente eadem, frequenter deiicit ſanguinolenta, mucoſa, putridaque; uel in ſuperficiem propulſa, maculae fiunt purpureae, liuidae, nigrae, uel et perſtante in pulmonibus coacto ſanguine, nec locum exhibente relapſuro ex ſuperioribus, fit ſanguinis e naribus profuſio ingens. Contingere quoque nonnullis ſolet ſingultus, oſcitatio, et ſternutatio frequens, diaphragmate ſcilicet, uel ipſo uentriculo, inflammato, aut, quod ſaepius, huius orificio ſuperiore, quam ſequitur mors certa, et repentina. Ideoque, tempore Agathonis, Pontificis Romani, cum peſtis talis ſternutatoria et ſingultuoſa infinitam hominibus cladem in-

inferret, ab illo tempore mos receptus eſt, ſternutantibus ſalutem adprecari; licet hodienum magis ex farina tabacea ſternutantibus, quam alia de cauſa, bene fieri, optare ſoleamus, in uanum adſumta Pontificiali religione.

Theſ. 9. Pulſus incertus, formicans, nunc debilis, nunc fortior. *s*) Et quidem ſignum illud ex pulſu non contemnendum eſt. Sic CHARICLES, Medicus arte inſignis, non quidem regere ualetudinis Tiberii principis, conſilii tamen copiam dare ſolitus, ex pulſu uenarum, eius mortem praenuntiauit, memorante TACITO, *Annal. lib. 6. cap. 50. t*) Id porro

s) Nunquam tamen diuerſus erit pulſus ab eo, quem in febribus continuis malignis obſeruamus, quamuis non deſint, qui peſtem absque febri eſſe, perhibeant, prouocantes ad PLVTARCHI teſtimonium, qui in *Romulo* refert, quod peſtis, citra ullum morbum, homines iugulauerit. Sed peſtem, acutiſſima ſociatam febre, quae, ſanguine mox coacto, et omnium obliuione rerum inducta, homines, non ſentientes, quae patiantur mala, citiſſime e uiuis, ſphacelo mox accedente, ſuſtulit, fuiſſe, credo.

t) Ex his ſatis eluceſcit, quod ueteres medici, exacta licet circuli ſanguinis, a quo pulſus dependet, cognitione deſtituti, ſedula tamen obſeruatione, intimiora atque occulta morborum phaenomena cognita perſpectaque habuerint; ueteres quippe

ro peſtis ſignum non praetermittendum, quod
Bbb omnes

medici non ſolum ex pulſu, ſed aliis quoque ex ſignis, uitam mortemque aegrotantium, certo praedicebant, atque in hac ſcientia hodiernos immane quantum ſuperarunt. Et notae ſunt praedictiones Galeni, Sexto Romano, ſenatori, nec non Eudemo, febricitantibus, indicatae. Et, ſi ullus medicus, praeſagiendi ſcientia unquam excelluit, idem omnino fuit Hippocrates, merito hinc diuinus uocatus; nam, quicquid in ſemiologia habemus, idem maximam partem Hippocrati, eiusque ſedulitati, attentioni, et prudentiae debemus. Ex eiusdem obſeruationibus depromtae ſunt obſeruationes Lommii. Nec credo, ullum, uel ex antiquis, uel ex recentioribus, proſtare auctorem, qui tanta fidelitate hiſtorias medicas conſcripſit, et poſteritati reliquit. Lectu pariter digniſſimus eſt Prospero Alpini, medici Patauini, *liber, de praeſagienda uita et morte aegrotantium.* Rem plane admirandam, et in naturae reconditam adytis, uocare poſſumus, quam Petrvs a Castro, medicus Veronenſis, *tr. de febrib. malign. punctic. aph. 23. Sect. 4.* obſeruauit, atque annotauit, a me nondum obſeruatam, aut annotatam, licet ſedulo attenderim, quod ſcilicet febricitantes, qui facie repraeſentent parentes, uel cognatos, antea ipſis diſſimiles, certo extinguantur. De medicis Sinenſibus uulgaris eſt perſuaſio, quod omne morbi genus, cauſam, indolem, atque euen-

omnes alii morbi iſto anno ſileant prorſus, inque hanc conuertantur. Facies quoque Hippocratica, ſi in ullo alio morbo, moribundis praeludit; quam uerſu bene ſic expreſſit LVCRETIVS, *lib. 6. de Nat. Rer.*

Triſte ſupercilium, furioſus uultus et acer:
Compreſſae nares: Naſi primoris acumen
Tenue: cauati oculi, caua tempora; frigida pellis,
Duraque in ore iacens: rectum frons tenta meabat.

Legi poteſt, et meretur, Tr. uiri doctiſſ. HIER. MERCVRIALIS, *de peſte Veneta et Patauina*, PETRVS *a* CASTRO, de peſte Romana, Neapolitana, et Genuenſi, item DIEMERBROECKIVS, *de peſtilentia Nouiomagenſi.*

Theſ. 10. Sed, ubi medicus ad ipſum defuncti cadauer inſpiciendum uocatur, atque haec ſigna ex propinquis adfuiſſe, nouit, uel ſcire non detur, non poteſt non tamen repentina hominis

tum, ex ſolo pulſu cognoſcere ac iudicare queant. Tanto Aegyptiis pulſus habetur in pretio, ut credant, medicos ex ſolo pulſu uel ipſius annularis digiti morbum percipere; hinc mos iisdem antiquiſſimus et familiariſſimus eſt, medicis obuiam factis mox brachium porrigendi, ut admotis pulſum tangant et explorent digitis, teſte PROSPERO ALPINO, *de Med. Aegypt. l. 1. c. 4.*

nis frugaliter ante id tempus et ſobrie continuo iam ante uictitantis mors, ueneni ſuſpicione carere: quod omnium primo uolunt obſeruandum. Si cadauer inſpiciendum eſt hominis, aqua ſubmerſi, uenter aqua plenus tumet, naribus mucus, ſpuma ore diffluit, digitorumque extremitates corroduntur, atque exulcerantur, cum quaſi furibundus perierit, praeſidium in arena quaerens, ut uitaret mortem, ſi uiuus in aquas fuit proiectus; quae tamen ſigna non adſunt homini, qui mortuus in eam praecipitatus fuit, ut docet RODERICVS *a* CASTRO, *Med. Polit. lib. 4. cap. 11.* et FELTMANNVS, *de Cadau. Inſpect cap. 21.* Si autem per *Corroſiua*, et *Acria Metallica*, aut *Putrefactiua Animalium alkalina*, uel *Vegetabilium Acria Volatilia*, fuit ſublatus, externus ſuperficiei tumor, maculaeque nigrae, rubrae, fuſcae, uel liuidae, linguae tumor nigricans, ungues lutei, liuidi, nigri, facile labentes, et capillorum ſpontaneus, manipularisque caſus, manifeſta quidem ſunt indicia et teſtimonia, ſed non ſemper concludunt. Conf. GALENVS, *de loc. Affect. cap. 5.* Arſenicum tamen, omnium acrium uenenorum, maxime ad finem uitae inducendum, properat, corpusque totum denigrat fere. Singularis uero eſt obſeruatio, quod uirile membrum ab arſenico, non ſolum nigreſcat, ſed extendatur, et quaſi ab altero quodam opio, turgidiſſime infletur, prout ob-

ſeruationes, quas adduxit cl. STAHLIVS, loco ſupra allegato, *c. 4.* docent, et ipſe ſemel uidi. *u)*

Theſ. 11. In aperto uero cadauere, ſi uiſcerum liuor, colorque citrinus, uel nigredo, uel uentriculi atque inteſtinorum mortificationes, gangraenae, et ſphaceli, pulmones quoque liueſcentes, uel atri, conſpiciendos ſeſe exhibeant, uiuos rerum teſtes putabis. Tanto tamen certius hoc adfirmandum, ſi ſigna antegreſſa, cum corroſiuis magno numero comitantia, uomitus uidelicet perpetuus, tormina alui, deiectiones cruentae, urinae ardores, conuulſiones, oſcitationes, ſyncope, ſudores frigidi, ob uaſorum excretoriorum ſeu ualuularum cutanearum paralyſin, et debilitatem ſummam, ſed tamen ardores interiores, uaſis nempe in gangraenam abeuntibus, palpitatio cordis, obmuteſcentia, et alia id genus mala, non quidem ſenſim, ſed confertim ſe ſe proripientia, non

u) Cum grano ſalis accipiendum, quod habet ZACHIAS, *Quaeſt. Med. Legal. lib. 2. quaeſt. 8.* hominem ſcilicet, qui uenenum ore accepit, hauſitque, non corrumpi; nam, ex uenenis metallicis acidis, non tam facilis, nec tanta fit corruptio, cum contra ex uenenis alcalinis animalium, uegetabiliumque, citiſſime ingruat corporis putrefactio. Ridiculum uero uulgi eſt praeiudicium, credentis, foeminae cadauer citius, quam maris, corrumpi.

non dubio argumento idem ſentiendi occaſionem dederint. Quod aeſtum attinet internum, HIPPOCRATIS eſt effatum, in *Praenotionibus Coacis*, et *Aph. 48. Sect. 4. et Sect. 7. aph. 72. in non intermittentibus febribus, ſi externae quaedam partes frigidae fuerint, internae uero ardeant, ac ſitim habeant, lethale eſt.*

Theſ. 12. At res ſaepe clara eſt, ubi rerum teſtimonia adſunt. In mortibus tamen a *Venenis Saturninis et Cretaceis*, nullum ſaepe ſignum per uiſcera adparet, ſed in pulmone aliquando gypſeae et cretaceae concretiones, in glandulis quoque, eiusmodi reperiuntur. Veritas tamen a praecedentibus et nominatis iam ſymptomatis haurienda erit, ſine quorum notitia, tota, ut dici ſolet, uia erramus. Pariter quoque de *Venenis Narcoticis* concludendum eſt. Relinquunt quidem ſaepenumero oculos praetumentes, et rubros, eroſum palatum ac rubrum, uiſcera quoque rubra, ſed niſi alia adfuerint ſigna, non difficulter in iudicio ferendo hallucinamur.

Thej. 13. In peſtilenti quoque ueneno, ſicuti quis non facile criminis accuſatur, ita etiam res ualde ardua eſt, aliquid in hoc negotio certi determinare, cum eiusmodi uenenum nec oculis ſenſibile ſit, nec ſaepe ſui aliquod relinquat ueſtigium in aliqua parte ſolida eroſa, praeterquam in pulmonibus, ubi ſaepe uitium hae-

 ret,

ret, nullo quamuis de induſtria ad hunc attendente. Nam, quod externe in pedibus et tibiis, ac manibus, ſaepe gangraenae et ſphaceli obſeruentur, antea dictum fuit. Quae quidem ſigna febris acutiſſimae ſunt perquam diligenter obſeruanda, ut bene ſic diſtinguamus inter uenena febrilia, et uenena claſſis alterius, quamuis nullum ſit uenenum acre, quod febrim non adferat calidam.

Theſ. 14. Ergo, in uiſceribus nullo reperto indicio, ad ipſum illud uitale liquidum conuertere ſenſa noſtra debemus. Et, ſi tum ſanguis per arterias in offam aut grumos concretus, et in uenis extreme tenuis fuerit, ſuſpicari quidem licet, aliquid ſubeſſe monſtri. Vnde etiam PETRVS *a* CASTRO, *de peſt. Rom. Neapol. et Ianuenſ. p. m. 17. 20. et 30.* in febre peſtilentiali, ſanguinem per tuſam uenam excurrentem, ab omni labe immunem, rubicundum, et bene coloratum, obſeruauit, in diſſecto uero cadauere, grumos ſanguineos, cordis uentriculos, et uicina circum loca, obruentes; dilutiori nempe et magis ſoluto ſanguine, cum lympha tenuiſſima, per arctiſſimos arteriarum conicos fines libere in uenarum cylindros tranſeunte, relictis in maiori arteriae cauo maioribus globulis, et ſero craſſiori, per uenam coacto et coagulato: addente etiam ſuum hic ſymbolum lympha, quae ex uicinis uaſis collecta, in unas uenas eructatur, et recipitur, ab arteriis uero ſemper et perpetua laterali ſcaturigine exprimitur. Vita inſuper

per arteriarum elaſtica, multis paraſangis uenarum elaſticitatem ſuperat, adeoque uenenum, in arteriae cauo hinc inde uolutatum, ob fibrarum arterioſarum maiorem oſcillationem, uehementer ab iis feritur, et uiciſſim ſolida grauiter ferit, ipſaque in liquida truculentius graſſatur. Hoc uero experimentum in recenti adhuc et calente cadauere locum habebit.

Theſ. 15. Sed in iudicio ferendo ex ſignis ſupra dictis, ſummam inter prudentiam, et renunciandi parſimoniam, Politicus Medicus uerſari neceſſum habeat. Hinc monitum eſt HIPPOCRATIS, *lib.* 2. *Praedict. n.* 3. *Conſulo, ut quam prudentiſſime agant, tum in reliqua arte, tum in huiusmodi praedictionibus, illius prope memores, quod, ſi cui ſucceſſerit praedictio, is apud aegrotum, intelligentia praeditum, in admiratione erit. Si uero quis aberrauerit, ſuper hoc, quod odio habetur, fortaſſe etiam inſanire uidebitur.* Affectus autem animi quicunque uehementiores, dolor, ira, inuidia, triſtitia, amor, deſiderium, gaudium, terror, atque id genus alia, praeſentiſſimam ſaepe mortem adferunt, cum multa ſimilitudine ueneni. Interdum polypus, excuſſus omnimode, obſtruit canalem ſanguiferum, et mortem adfert repentinam.

Theſ. 16. Namque ea omnia indicia, quae ex eroſis forte per uenenum uiſceribus, colligi poterint,

erint, ex humore intra ipſum hominem generato acri, fieri queunt, ut ſupra fuit oſtenſum de atra bile ueterum, ita, ut partes ſolidae exinde corrodantur, gangraeneſcant, et ſphaceleſcant, fluida uero primo reſoluantur, dein coagulentur. Et, quod ex nigritie linguae ſola deſumi ſolet ſignum, ſine ſignis reliquis, plerumque fallit, poteſtque haec nigrities originem trahere ab adſumto uino Graeco, ſeu nigro, uel eſu ribium, baccis nigris, ac gangraena, et ſphacelo, ex ipſa natura morbi febrilis, exiſtente. PLINIVS equidem auctor eſt, *lib. 11. cap. 37.* quod Vitellius, oratione quadam probare uoluerit, Piſonem, cauſam mortis fuiſſe Germanici Caeſaris, ueneno interemti, propterea, quod cor Caeſaris ob uenenum cremari non potuiſſet. Ex uitriolicis quidem et metallicis corporibus, alicui corpori abunde inſinuatis, fieri aptitudinem quandam ignibus reſiſtendi, non nego, ſed, num cor Germanici tanta uitrioli copia traiectum fuerit, uel, num una pars prae ceteris tam peti poſſit, hoc eſt, quod dubito: namque, ſi uel maxima eſſet ueneni copia adſumta, eadem quidem uiſcera prius omnia abſumeret, quam ad cor perueniret.

Theſ. 17. Quod ab extremorum frigore, et caloribus internis, deduci ſolet argumentum, de praeſentia ueneni acris, cum grano ſalis accipiendum eſt. In omni enim morbo acuto, ubi partes uitales corruptae ſunt, inflammatae, uel deni-

denique in gangraenam uerſae, ingens quidem calor eſt interne, ſummum uero frigus externe, circulo ſcilicet ſanguinis ſufflaminato, poſt corrupta uitalia. Hinc GALENVS, *Comment. in Aph.1. Hipp. S. 7.* ſymptoma hoc ſuperuenire ſcribit, φλεγμοναῖς σφοδροτάταις τῶν σπλάγχνων. Deficiente enim cordis uita, neceſſe eſt, partes extremas frigere, et tumere. Idque fit non ſolum ab arſenico, ſublimato mercurio, ſed et animalium uenenis quibuscunque, tum uegetabilibus, napello, aconito, cicuta, opio, mandragora, ſpiritu uini, aliisque, atque etiam in omni morte praeternaturali.

Theſ. 18. Et notiſſimum eſt, uariolas, morbillosque, ipſam cutim non ſolum lacerare, et distrahere in tot ſaepe purulenta tubercula, ſed etiam ſimiliter partes internas; et febres aliquando, in id acredinis euecta febrili materia, uel puncticulares maculas per cutim oſtentare, uel liuorem partium: labentibus poſt omnem morbum acutum diuturniorem capillis, et unguibus ſaepe, ipſa quoque cute renouata, ut in me aliquando contigit, cum per quindecim ſeptimanas febre laboraſſem acuta Carlſtadii, ſoliusque naturae beneficio euaſiſſem. Liuida autem ulcuſcula, in morbo aliquo lethalia pronunciat HIPPOCRATES, *de loc. in Hom. n. 44.*

Theſ. 19. Nec certiora et magis fida ſunt, quae ex ſanguine coagulato in arteriis hauriuntur argumenta. Quidquid enim in corpore

noſtro haeret diu, faceſſit in alkali acre uolatile, mechanica in antecedentibus deſcripta, quod ſanguinem primo momento reſoluit, mox per arterias parteſque uitales coagulat. Accedit, quod in omni cadauere, etiam ſine ſuſpicione ueneni, demortuo, paulo poſt mortem naturalem, et cordis quietem, ſanguis per arterias grumeſcat, in uenis autem dilutior diu permaneat; facile liquidiſſimis ac tenuiſſimis ex minutula ui morituri cordis ſe ſe in uenas recipere ualentibus, difficulter uero craſſioribus iam ibi relictis.

Theſ. 20. Ex uariis denique diaetae erroribus, et abuſu ſex rerum nonnaturalium, eaedem pariter in nobis obſtructiones fiunt, et calculorum ac ſcirrhorum concretiones, ac quidem ex ſaturninis et calciformibus produci ſolent. Quin et aſthmata, pallores, ſputa purulenta, et eiuſmodi mala, ex pulmonum uitio, uel per haereditatem, uel per morbum, uel per aeris frigus, contracto. Tabem porro ex coryza, ſeu deſtillatione, ex palato in pulmonem depluente, ibique puruleſcente, HIPPOCRATES agnouit, de *Glandul. n. 10.* item *de Morb. lib. 1. n. 10. et* 22. item *de intern. affect. n. 11.* et CELSVS, *lib. 3. c.* 22. *et l. 4. c. 4.* Grauedines, et ſternutationes, in morbis circa pulmonem, et anteceſſiſſe, et ſuccedere, malum HIPPOCRATI pronunciatur, in *Coacis.* Quod ego quoque pluries obſeruaui, Ao. 1708. praeſertim in

M. B.

M. B. Tabes porro, ex ſuppreſſione menſium, HIPPOCRATI obſeruata, *de Morb. Muliebr. l. 1. n. 8.* item ex labore ruptis uenis, ab empyemate; a pituita, obthurante lateralia uaſa, eidem animaduerſa, *de Int. Affect. n. 11*

Theſ. 21. Quin et uulnera capitis, uel uiſcoſitas, aut pinguedo humorum, uel enatum in cerebro oſſiculum, aut ulcus comprimens, ſomnolentiam ſaepius diuturnam, et aliquando fatalem, absque omni opii cogitatione, concitarunt, ut quotidiana ſatis loquitur experientia, et uel unicum ruſtici Stolckenſis, non procul ab urbe Gouda, exemplum, teſtatur, quem uidi Ao. 1707. profundiſſime dormientem per continuas triginta ſeptimanas, corpore ad oſſa fere extorrido atque emaciato. Parile exemplum in Anglia obſeruatum eſt. Simile quoque Stockholmiae ante annos uiginti quinque, ni fallor, uiſum eſt in nauta quodam, Dano, nomine Gaddegaſt, qui per annos duos dormiebat, ſed interdum acerbe loquebatur, edebat, ueſtes proiiciebat, rurſusque ſe ſomno componebat. Tandem in Daniam delatus eſt. Sic PLINIVS, *lib. 7. cap. 52.* de Epimenide, puero, memorat, quod aeſtu et itinere feſſus, inciderit in ſomnum quinquaginta ſeptem annorum. Et hiſtoria eccleſiaſtica ſeptem illos dormientes non tacuit. Ex opio uero, narcoticis, atque inebriaminibus, tot diuerſi obſeruantur affectus, quot diuerſae ſunt naturae, uarius

us ſanguis, uariumque temperamentum. Alios ergo reddunt hilares, cantantes, ſalientes, ridentes, petulantes, ac libidinoſos; alios iracundos, litigantes, audaces, pugnaces, furentes, ac inſanientes; alios taciturnos, triſtes, melancholicos, imaginarios, lacrymantes, languidos, ſomnolentos, mortuos; alios uero, in eadem doſi, nihil adficiunt.

Theſ. 22. Plurimi porro dantur morbi incurabiles, atque tam ſimiles uenenatis, ut lac lacti tam ſimile non ſit, quos tamen homines ſibi ſola ſua uiuendi licentia, contraxerunt, comeſſationibus nempe, compotationibus, uenere, et animi curis. Sed ſunt quidam, qui quoscunque dolores internos mox dicunt fieri per uenena, licet alias ſaepe cauſas agnoſcant, uel rheumaticos acres humores, uaſorum ſolida lancinantes, uel obſtructiones uaſorum, uel apoſtemata interna. Quae, quo magis premuntur a ſanguine, per cor proiecto, eo magis dolent. Prorſus, ut hic conueniat, licet diſſimili occaſione, dictum illud Poetae, *Triſt. lib. 5. Eleg. 1.*

Strangulat incluſus dolor atque exaeſtuat intus,
Cogitur et uires multiplicare ſuas.

Theſ. 23. Magis tamen mirum eſt, plurimam hominum partem, ſuos morbos diuinae adſcribere poenae, ſuntque illi, qui more ueterum Aegy-

Aegyptiorum, in omnibus promiſcue morbis, numen incuſant. Deum, peccata noſtra plecte re meritis poenis temporalibus, nemo ſanioris religionis negabit; ſed, omnes morbos grauiores, eſſe poenam, a numine optimo inflictam, hoc eſt, quod conſtanter nego, ſequi uero ex ipſa natura diaetae, et uictus ratione; ideoque non eſſe poenam, a Deo miſſam, ſed commeſſationum indiſſolubile conſequens, et comitem indiuiduum. Nec ideo uenenati dicendi ſunt morbi, quod ſint incurabiles. Namque, ut bene NASO, *de Pont. lib. 1. Eleg. 4.*

Non eſt in Medico ſemper, releuetur ut aeger,
Interdum docta plus ualet arte malum.

Theſ. 24. Ergo in hac incertitudine renunciandi mortes uenenatas, conſultius longe erit, reum, nullo certo, ipſum conuincente argumento, accuſati criminis abſoluere, quam inſontem, nec adhuc conuictum, morti adiudicare, inculcante hoc ipſum iure Diuino, ac, quod inde defluxit, humano. Renunciatio enim mortis ex ueneno, res eſt cum maximo periculo coniuncta, nec ita praecipitanter, ut a quibusdam fieri ſolet, concipienda. Et, qui plura de hoc negotio legere cupit, adeat RODERICVM *a* CASTRO, *Med. Polit. lib. 4. cap. 10. et* BOHNIVM, *de Offic. Med. duplic. Clin. et Forenſ. P. 2. cap. 4. pag. m. 600. ad 604. et*

cap

cap. 6. pag. 637. usque ad 655. x) Dantur tamen interdum caſus, tam extra dubium poſiti, ut alia ratione iudicandum ſit. Sicuti apud LIVIVM, *lib. 40.* Quarta Hoſtilia, Senatus Conſulto damnata fuit, ob ueneficium, Claudio Proconſuli compoſitum.

Theſ. 25. Exempla uenenis enectorum, ubiuis cum proſtent, pauca ſaltem et clariora delibabo, Alexander magnus ueneno obiiſſe fertur, per Caſſandrum dato, ex Nouacride, ſeu Styge, Macedoniae fonte, guttatim de petra ſtillante, ut PLVTARCHVS, CVRTIVS, IVSTINVS, aliique uolunt. *y)* Sic Germanicus,

x) Iunge his CARDANVM, *de uenenis, lib. 2. cap. 2.* FELTMANNVM, *de Cadauerum inſpectione, cap. 25.* ZACHIAM, *Quaeſt. Med. Legal. lib. 2. quaeſt. 7.* VALENTINVM, *Corp. Iur. Med. Leg.* HOFFMANNVM, *Med. Conſult.* ALBERTVM, TEICHMEYERVM, ZITTMANNVM, AMMANNVM, et centum alios.

y) Patris ita in filio flagitium iuſta plectebatur Nemeſi, Philippus enim, Alexandri magni parens, Aratum, et Taurionem, ueneno ſuſtulit, teſte POLYBIO, *lib. 7. p. 589.* Alii uero mortem Alexandri magni, ſoli ebrietati, alii ueneno, poculis addito, tribuunt. Iisdem fere diebus, ſcribit CVRTIVS, *lib. 10. cap. 4.* conuiuium apud Theſſalum, medicum, inſtitutum eſt, ad quod Rex quoque cum ſodalibus uocatus uenit, ibi, nondum Herculis ſcypho epoto, repente, ue-

cus, Caeſar, in Syria ueneno lento mortuus narratur, a Piſone, accepto, ut ſcribit TACITVS, *Annal. lib. 2. c. 69.* cum repertae ſint, *ſolo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina, et deuotiones, et nomen Germanici, plumbeis tabulis inſcriptum, ſemiuſti cineres, ac tabo obliti, aliaque maleficia, quîs creditur animas numinibus infernis ſacrari.* Accepiſſe Piſonem hoc uenenum, *cap.* 74. uidetur ex Martina, infami ueneficiis in ea prouincia, et Plancinae, coniugi ſuae, perchara. Quae Martina deinde, ut *l. 3. c. 7.* uidere eſt, a Cn. Sentio Brunduſium miſſa, ſubita morte extincta eſt, uenenumque nodo crinium eius occultatum, nec ulla in corpore ſigna ſumti exitii reperta.

---

lut telo confixus, ingemuit. Elatus è conuiuio ſemianimis tanto dolore cruciatus eſt, ut ferrum in remedia poſceret. Amici cauſam morbi, intemperiem ebrietatis, diuulgarunt; reuera autem inſidiae fuerunt, quarum infamiam, ſucceſſorum potentia ſuppreſſit. Antipater enim, praeparatum uenenum Caſſandro, filio, qui cum fratribus, Philippo, et Iolla, Regi miniſtrare ſolebat, dederat, praemonito eo, ne aliis, quam Theſſalo, et fratribus, crederet. Philippus itaque, et Iollas, potum Regis praeguſtare ſoliti, in aqua frigida uenenum habentes, eam praeguſtatae potioni Regis ſupermiſerunt.

perta. Seianus pariter Druſum ueneno ſuſtulit, per Lygdum, Spadonem, delegeratque, quod paullatim irreperet, ut fortuitus morbus adſimularetur, referente eodem TACITO, *lib. 4. cap. 8.*

Theſ. 26. Similiter hiſtoriae patriae narrant, Daniae Regem, Woldemarum, in nuptiis filiae ſuae, Margaritae, cum Haquino, Norwegiae Rege, Magni Smeekii, Sueciae Regis filio, uenenum uino admiſcuiſſe, quo ſponſi mater, Regina Sueciae, Blanka, Namurcenſis, mox obiit, Rex uero, Magnus, Medici ſui opera conualuit; quanquam et Regis Woldemari filius, Chriſtophorus, imprudentius ex hoc uino ſibi mortem biberet. Ex hoc pariter ueneni genere, magnus ille ſui temporis in noſtro Septentrione Heros, Steno Stuure, Senior, deceſſit, quod Canuti Alfonis uidua, Martha, futuro ſuo ſponſo, Suantoni Stuure regnum paratura, ipſi propinaſſe dicitur, in conuiuio quodam Sudercopenſi. Quin et Ericus XIV. Rex Sueciae, eo nomine, in arce Orbyenſi, uenenum hauſit in iuſculo fabarum, Stockholmia ſibi transmiſſum. Sic Bernhardo, Duci Vinarienſi, Heroi incluto, quod Briſacum Gallis tradere nollet, uenenum datum eſt in iuſculo, quo obiit Neoburgi ad Rhenum, non ſine Reipublicae et Proteſtantium damno. Et Io. Baneer, Noſtras, Heros fortiſſimus, non ſine ſuſpicione ueneni obiit Halberſtadii, quod in conuiuio Hildesheimenſi hauſiſſe creditur.

Theſ.

Theſ. 27. Pariter Ao. 1709. menſe Septembri, accidit in pago Voigtlandiae, Plauen, ſicut memorabant nouellae publicae, ut Legislatoris ibidem cuiusdam uidua, eiusque filia, natu minima, poſt cordis angores, et uomitus uehementes, repentinam mortem obirent, duodecim etiam aliis hominibus uehementer aegrotantibus. Caſu hoc mirabili, a celeberrima Lipſienſium Facultate Medica perquiſito, inuentum eſt, bibiſſe eos potum, quem, utpote aceſcentem, ſolutis clauellatis cineribus, edulcoraſſent. Sed iuxta deprehenſum eſt, cineres iſtos, ex uicina Bohemia translatos, in furno calcinatos fuiſſe, in quo paulo ante arſenicum fuerat ſublimatum. Vt reliqua innumera, et quotidie fere contingentia exempla, reticeam.

Theſ. 28. Hiſce uero, aut aliis nocendi modis, qui, ex deſtinato conſilio, contra debilem hominis machinam, a ſe ipſa quidem cum tempore caſuram, furtiuis eiusmodi artificiis conflixerit, non mirum eſt, quod in omni Republica ſanioris conſilii, legitimam atque tali facinore dignam incurrat poenam. Videſis GROTIVM, *de Iur. Bell. et Pac. l.3. c.4. ſ.15.* Perſae uero, antiquis ſeculis, ut me docuit PLVTARCHVS, *in Artaxerx.* et RHODIGINVS, *Antiqu. Lect. l. 3. cap. 5.* ueneficio ſe ſe proſtituentis caput, amplae impegerunt lapideae tabulae, rurſusque alio ſuperinducto ſaxo, in minima fruſtula confregerunt.

Theſ. 29. Apud Romanos autem culleo, id eſt, coriaceo ſacco, cum cane, gallo, ſerpente, ac ſimia, inſuti, in profluentem praecipitabantur. Vnde IVVENALIS, *Satyr. 13.* ſic canit:

Confer et artificem, mercatoremque ueneni,
Et deducendum corio bouis in mare, cum quo
Clauditur aduerſis innoxia ſimia fatis.

Lege uero *Cornelia*, uenefici, capite damnantur, nec ſolum illi, qui uenenis, ſed et qui ſuſurris magicis et carminibus uſi ſunt, et qui mala medicamenta publice uendunt, ut uidere eſt, *Tit. Inſtit. de Publ. Iudic. ſſ. 5.* Sed *a* CALLISTRATO, *Digeſt. lib. 48. Tit. 19. Leg. 28.* de uenenariis, talis lex lata eſt: *Venenarii capite plectendi ſunt, aut, ſi dignitatis reſpectu agere oportuerit, deportandi.* Primus autem, P. Malleolus, matricida, culleo inſutus legitur.

Theſ. 30. Atque in illos, meo quidem iudicio, alter MEZENTIVS VIRGILIANVS, Rex Hetruriae, animaduerteret, qui, ut eſt, in *Aeneid. l. 8.*

Mortua quin etiam iungebat corpora uiuis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) et ſanie, taboque fluentes
Complexu in miſero longa ſed morte necabat.

Sic Publicia, quae Poſthumium Albinum, Conſulem, item Licinia, quae Claudium Aſellum, maritos

ſuos, ueneno necauerant, propinquorum decreto, ſtrangulatae ſunt, ut VALERIVS MAXIMVS, *lib. 6. cap. 3.* habet. Et, quo non ſupplicii genere dignus es, qui eiusmodi patras horrendum dictu factuque facinus? Certe idem tibi, quod Myrrhae, Cynaram, Parentem, amanti, conuenit, illud Poetae, *lib. 10. Metamorph.*

Stipite de ſtygio, tumidisque adflauit echidnis,
E tribus una ſoror. - -

Theſ. 31. Veteres equidem, ad incerta fortunae, uenenum, uel mortem, ſecum in annulo ferebant, quod LIVIVS, *lib. 30.* adpellat morem Regium. Sed Diuinis non ſolum, uerum humanis quoque legibus, prohibitum eſt, et Chriſtiano prorſus homine indignum, mortem, ueneno ſumto, ſibi approperare, ad uitandum, uel aliorum inſidias, uel proprium ob moerorem animi. Sic Hannibal, Carthaginenſis, auctore NEPOTE, *in eius uita, cap. 12. Ne uitam alieno arbitrio permitteret, memor priſtinarum uirtutum, uenenum, quod ſemper ſecum habere conſueuerat, ſumſit.* Quod uenenum, ut ſupra innui, Regali more, ſemper ſecum ſub annuli gemma, ferebant, ut haberent, quo ſibi uitam eriperent, praeſentaneum et repente necaturum toxicum.

 CAPVT

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Methodum, Acria uenena obtundendi, atque ex eorum propinatione oborta mala curandi, ſiſtit.

Theſ. 6. 1. Adumbrata ſic, pro inſtituti ratione, uenenorum natura, et agendi ac nocendi modo, reſtat, ut in eorum antidota et curas leuiter ac pro re nata inquiram. Medici fere idem, ac oenopolae, eſt officium: ſanguineum nempe liquidum in naturali temperie conſeruando, acida refraenando, alkalina hebetando, coagulata diſſoluendo, diſſoluta debite inſpiſſando, et uaſorum latera ac rimas, tanquam altera doliola uinacea, reſarciendo, ac nouis uinculis religando, hominis uitam labefactatam reſtaurare, et feliciter producere. z) Et egregius

z) Non ideo enim, cum doctiſſimo CONNOR, *Med. Artic. 15. pag. 136.* pronuncio, uiuit corpus, quia ipſi coelitus demiſſus eſt ſpiritus cogitans, neque ideo moritur, quia eadem ſubſtantia cogitans ab eo recedit; ſed ideo uiuit, quia partes ſolidae ſponte ſua, et iuxta neceſſarias naturae leges, ſine ullo animae imperio, a fluidis, et fluida uiciſſim a ſolidis, mouentur; et ideo extinguitur, quia utrorumque motus, a ueneno, morbo interno, uulnere, aut aliquo caſu externo, ſupprimitur. conf. *Tract. noſtr. de naturae*

gius eſt HIPPOCRATIS locus, *de Nat. Hom n. 18.* morbos a repletione, ſanari euacuatione et euacuationem ſanari a repletione, laboris morbus quiete, et contra: medicum debere opponere ſe morbis, naturis, temporibus, diſtendentia ſoluere, et ſoluta diſtendere. *Multa enim ſunt in homine, ergo non unum eſt, quod medetur,* dicente eodem, *ibidem, n. 2.*

Theſ. 2. Sed, qui morbis medebuntur, non omnes pari pretio habendi ſunt. Boni namque Theoretici, mali plerumque Practici. *Et, qui ſapientes ſibi uidentur Medici, hi ſunt nimirum, qui peccant,* ut *de fracturis deligandis,* bene dixit HIPPOCRATES, *n. 1.* Equidem, quidam cum Tiberio Caeſare, ut refert TACITVS, *Annal. lib. 6. cap. 46.* eludunt medicorum artes, putantes, poſt triceſimum aetatis annum, ad internoſcenda corpori ſuo utilia uel noxia, alieni conſilii non indigere. Quod utique ualde eſſet utile ac optandum. Multi porro euadunt ex morbis, imo uenenis, ſine Medico, ſine aliqua cura. Sic Aridaeus, a nouerca, Olympiade, ueneno adpetitus, euaſit quidem, ſed languente in poſterum animo, ut PLVTARCHVS, *in Alexandr.* habet. Id autem *inprimis cauendum,* ut de arboribus monet PLINIVS, *lib 17. c. 27. ne ex remediis uitia fiant, quod euenit nimia aut intempeſtiua medicina.*

Stahlianae in Chirurgia Impotentia, et diſſertationem de Glandul. in plurimis uiſceribus abſentia.

Prorſus, ut ſint iuxta NASONEM, remedia, ſicut uina, ut habet, *de Remed. Amor. l.1.*

- - Data tempore proſunt
Et data non apto tempore, uina nocent.

Theſ. 3. Verum tamen, ut cum CORNELIO CELSO, Hippocrate Latino, loquar, *l. 4. c. 13. medicamentis uti, niſi in uehementibus malis, ſuperuacuum eſt.* Omnia enim fere medicamenta ſtomachum laedunt, malique ſucci ſunt, ut idem inculcat, *Praefat. lib. 5.* Ergo in omni morbo uidendum eſt, num ipſa natura absque remediis uincere morbum ualeat. Sed id ſaepe non attendimus medici, uerum uocati ad aegrum, receptam ſtatim conſarcinamus, contra monitum SYDENHAMI, *Obſ. circ. Acut. Sect. 5. cap.* 2. ubi inquit: *Sane mihi nonnunquam ſubiit cogitare, nos in morbis depellendis, haud ſatis lente feſtinare, tardius uero nobis eſſe procedendum, et plus naturae ſaepenumero committendum, quam mos hodie obtinuit.* Atque idem SYDENHAMIVS, *cap. 6.* ſic loquitur: *Sed, quod dolendum omnino eſt, aegrorum quam plurimi, haud ſatis gnari, quod perinde ſit medici periti, quandoque nihil agere, atque alio tempore efficaciſſima adhibere remedia, probitatis atque fidei fructum hunc capere nolunt, ſed, uel negligentiae, uel ignorantiae id imputant; cum empi-*

empiricorum inſulſiſſimus quilibet, medicamenta medicamentis adiicere aeque nouit, ac ſolet magis, quam medicorum prudentiſſimus.

Theſ. 4. Medicus porro ſemper ſecum quam adcuratiſſime in praxi perpendeat, Regionis ſuae, in qua praxin exercet, temperiem, ſitumque, et genium populi, uictumque, tum uentorum naturam, et ordinem. Nam, quod in Italia, et calidioribus terris, cum fructu uſurpatur remedium, atque homines tenui uictu contentos curat, uix apud nos ualebit, ſi ſolam excipias febrim ardentem, ex cauſa ſanguinis crudi interna ortam. At, in praxi facienda, ad multa ſigna attendendum eſt. Et, ſi non prima uice, qua aegrum uides, totam exhauſeris morbi ideam, ut ſaepe hoc, uel expertiſſimo medico, impoſſibile, altera uice, uel tertia, fiet, ſi bene ad ſingula attenderis. Dicam enim cum IVLIO CAESARE CLAVDINO, *de Ingreſſ. ad Infirm. l. 1. c. 1. mihi aegros inuiſenti ſaepius id contigit, ut, ſi in prima uiſitatione, ex reſponſis aegrorum, et adſtantium, infeſtantem morbum cognouiſſem minus, is mihi in ſubſequentibus perfecte innotuerit.* Hoc uero non impetratur multa loquacitate, manibus et geſticulationibus, manu et uoce ſtentorea, ſed ſedula obſeruatione obtinetur, cum iuxta MENANDRVM:

ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος.

Ideoque, qui primo quaſi aegroti adſpectu, et tacta

tacta pauliſper manu, receptam conficiunt, id ab aegro reſponſi habeant, quod olim ARISTOTELES, memorante AELIANO, *Var. Hiſt. l. 9. cap. 23.* tali medico dedit: *Ne me cures ut bubulcum uel foſſorem, ſed prius cauſam ediſſere.*

Theſ. 5. HIPPOCRATES, bene, *de articulis, n. 20.* illum, qui morbum cognouit, ſanare dixit. Omnia autem mala, a principio ſuo, et cauſa prima, curari debent, iuxta eundem, *de Loc. in Hom. n. 42. Atque medicina omnis, nihil aliud eſt, quam adpoſitio, et ablatio, de Flat. n. 2.* Hinc Poeta, *lib. 1. de Rem. Amor.*

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Sed, ut differt corpus a corpore, ſecundum HIPPOCRATEM, *lib. 1. de Morb. n. 24.* ita quoque interdum medicus nimis ſero uocatur, ac omnis ſic medicina uana eſt et fruſtranea. Prudentius ergo eſt, talem aegrum non recipere. Namque, ut CELSVS optime, *lib. 5. cap. 26.* eſt prudentis hominis, primum eum, qui ſeruari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem eius, ut occiſi, quem ſors ipſius interemit. Deinde, ubi grauis metus, ſine certa tamen deſperatione, eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe, ne, ſi uicta ars malo fuerit, uel ignoraſſe, uel fefelliſſe uideatur. Sed, ut haec prudenti uiro conueniunt,

ſic

ſic rurſus hiſtrionis eſt, paruam rem attollere, quo plus praeſtitiſſe uideatur.

Theſ 6. Vbi enim uidemus, mortem prae foribus eſſe, nihil tentandum. Inexorabilis enim fati ſors eſt, atque ita, ut Hector apud HOMERVM, Andromachen uxorem, *Iliad. lib. 6.* edocet:

Μοῖραν δ' ἔτινα φημὶ πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,
Ου κακὸν, ὀυ δὲ μὲν ἐσθλὸν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.

Illud tamen, in hac uitae inconſtantia, ſolatii eſt, quod uideamus, uno occumbente, alium rurſus, tanquam ex Phoenicis cinere, exſurgere atque oriri. Prorſus, ut uere dixerit, apud Poetarum Principem, dicto loco, Glaucus, Hippolochi filius.

Οιηπερ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν·
Φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη
Τηλεθόωσα φύει ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη
Ως ἀνδρῶν γενεὴ, ἡ μὲν φύει, ἡ δ' ἀπολήγει.

Potius itaque, in tali caſu mortis propediem futurae, praeſcribenda eſt, ab HENRICO CORNELIO AGRIPPA, *de Van. ſcient. cap. 83.* in contumeliam medicorum adducta formula, ſic ſonans: Recipe, *Tabellionem unum, teſtes uero ſeptem, adde ſacerdotem cum aqua*

 et

et oleo, benedictis, (Pontificiali ritu,) *quantum ſufficit, et diſpone domui tuae, quia morieris.*

Theſ. 7. Antidotus uniuerſalis contra omnes quoscunque morbos, et omnia quaecunque uenena, non datur, licet plurimi hoc adſtruant ueteres. Et uana pariter ſunt, quae de Antidoto Saxonica, Auguſto, Saxoniae Duci, a ruſtico quodam monſtrata, et diuendita, ac a nob. RANTZOVIO, *de Conſ. Valetud. cap.* 51. deſcripta, memorantur. Nec uideo, quomodo haec, ſublimatum mercurium, malefico datum Hafniae, debellarit. Sic electuarium parile Ferrantis de Oruieto, Oruietanum dictum, diu contra uenena celebratum eſt, licet auctor ipſe Venetiis, ſumto ueneno, cum ignominia publice interierit. Et ridicula ſunt, quae de carduo benedicto circumferuntur, et legi poſſunt apud GEORGIVM CHRISTOPHORVM PETRI, in ejus *Carduo.* Quae autem arcerent deleteria, ſeu plantarum uenena, *Alexipharmaca* dicebantur Graecis, cum Φάρμακον ipſis uenenum eſſet. *Alexiteria* uero et *Theriacalia*, quae ſerpentum ferarumque impugnarent uirus; *Alexicaca* autem, quae malis obſiſterent medicamentis.

Theſ. 8. Namque, qui Theriacam et Mithridatium, omnibus omnino uenenis antidotum faciunt, nae illi mihi uidentur ualde fallere, et falli. (*a*) Externe quidem partibus dolentibus, uel inflam-

a) Demens, haec, de uniuerſali theriacae, mithri-

inflammatis, impoſita, reſiſtentiam ibi tollunt, maturantque, et in pus ſuppurant locum. Interne uero uidetur ſolum ex tot innumeris et ingenti conquiſitis pretio ſimplicibus, opium operari; prorſus, ut credam, quod eiusmodi magnis compoſitionibus egregie competat illud Poetae, de Magno Mundi Chao, *lib. 1. Metamorph.*

- - Rudis indigeſtaque moles
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum.
- - quia corpore in ũno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis, Mollia

---

datii, et oruietani uirtute, omnibus reſiſtendi uenenis, adeo plurimorum hominum mentes faſcinauit, ut quouis diluculo, doſin allegatorum remediorum, ſeſe a uenenis uenenorumque noxa praeſeruandi ergo, cum ſanitatis dispendio, aſſumant. Adaequata his ſunt, quae Helmontivs, *Tumul. Peſt.* habet: etenim, inquit, theriaca, Hippocrati, peſtis domitori, adhuc ignota, triplum mellis ad puluerum conctorum copiam, recipit: ſimplicia quoque ſexaginta, discordia, arida, dura, concluſa, cruda, excrementoſa, et plerumque a bimatu inueterata.

Mollia cum duris, ſine pondere, habentia pondus.

Atque hoc modo ea mihi facta eſſe perſuadeo, quae BODINVS, *Theatr. Nat. l. 3. p. m. 316.* ſic habet: *hoc medicamento*, AMBROSIVS *Gallus*, Ἀρχίατρος, *in populi concione, Carolo Nono, Rege, ſpectante, a uipera morſus, Theriaca ore ſumta, et uulneri appoſita, curatus eſt apud Monſpelienſes, cum more ſolenni Theriaca componeretur.*

Theſ. 9. In omni itaque morbo, uel ueneno, quodcunque demum et illud ſit, locum habet illud HIPPOCRATIS, *de Flat. n. 2. Contraria contrariis optime curantur.* Sic PLINIVS, *l. 27. c. 2.* de Aconito Pardelianches refert, illud, contra uenenum, in corpore praeexiſtens, alexicacum, ſanis uero eſſe exitioſum. Quidquid hoc quidem ſit Plinianum effatum, illud interim, ſi recte res examinetur, ueritati non admodum diſſonum eſt, ſi regnauerit ante per corporis uiſcera acidum uenenum, ab aconiti ſale uolatili alkalino debellandum. Atque ſic nobis imaginari poſſumus, acidum alkalino, uel alkalinum acido praeponderantem ſalem, alterum alterius agere poſſe antidotum. Namque, ex mutuo iſtorum conflictu, uis uenenata perit, exoriturque ſal aliquod tertium, ammoniacum, ſalubre, corpore manente illoeſo. Sic cicutae caules, PLINIO *lib. 25. cap. 13.* aceto macerati,

cerati, impune comeduntur, et ipſe edi Lugduni Batauorum.

Theſ. 10. Illud uero, quod AVSONIVS, Poeta, de mercurio cecinit, quem adultera Eumpina marito exhibuerat, aliter explicari poteſt, pondere ſcilicet mercurii per inferiora ſecum trahente toxicum alkalinum. Ita autem Poeta habet, *Epigram. 10.*

Toxica zelotypo dedit uxor moeche marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum;
Miſcuit argenti lethalia pondere uiui,
Cogeret ut celerem uis geminata necem.
Diuidat haec ſi quis, faciunt diſcreta uenenum,
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceſſat lethalis noxa ſalutiferae.
Protinus et uacuos alui petiere receſſus,
Lubrica deiectis qua uia nota cibis.
Quam pia cura Diuum! prodeſt crudelior uxor,
Et cum fata uolunt, bina uenena iuuant.

Sic Georgius, Marchio Brandenburgicus, ſecundis nuptiis ducta filia Caroli, Ducis Munſterbergenſis, cum poſt crebra pocula, in ipſa nuptiarum feſtiuitate, euacuata, noctu incaluiſſet, circumſpectans, qua ratione ſitim reſtingueret, inuenit forte lagenam, mercurio currente plenam,

nam, eamque exhauſit uno impetu. Senſit inde murmura uentris, ſed mercurius exiit aluo absque damno. Et Nero, Imperator, matrem Agrippinam uenenis adeo exquiſitis tentare non eſt auſus, quod ſentiret antitodis praemunitam, teſte SVETONIO, *in Nerone.* Hiſce tamen remediis non promiſcue fidendum, periculoſa enim ſunt, et nocumenti ſuſpicione non uacant.

Theſ. 11. Et, ſi annalibus fides ſit, Mithridates, Ponti Rex, *in reliqua ingenii magnitudine, Medicinae peculiariter curioſus*, Pliniano elogio, *lib.* 25. *cap.* 2. electuario ſuo minore, ex iuglandis nuce, ficubus, rutae modico, et ſalis grano, conſtante, uim cuiusuis ueneni adeo eluſit, ut in Pompeiano tandem carcere detentus, nullum reperiret, quo taedium uitae ſibi poſſet eximere, ſed male tentatum ueneno ſpiritum, ferro expelleret. Vnde MARTIALIS, *lib.* 5. *Epigr.* 77.

Profecit poto Mithridates ſaepe ueneno,
Toxica ne poſſent ſaeuo nocere ſibi.

Theſ. 12. Hanc uero rem PLINIVS ita *lib.* 23. *cap.* 8. deſcribit: *in Sanctuariis Mithridatis, Maximi Regis, deuicti, Cn. Pompeius inuenit in peculiari Commentario, ipſius manu compoſitionem antidoti, e duabus nucibus ſiccis, item ficis totidem, et rutae foliis uiginti, ſimul tritis, addito ſalis grano: et qui hoc ieiunus*

iunus ſumat, nullum uenenum nociturum illo die. — Refert tamen GELLIVS, *Noct. Attic. l. 17. cap. 16.* ex Lenaeo, Pompeii liberto, Mithridatem, miſcuiſſe medicamentis, quae digerendis uenenis ualerent, anatum Ponticarum ſanguinem. Conf. PLINIVS *l. 25. c. 2.* qui ſic tandem concludit: *uno ei excogitatum, quotidie uenenum bibere, praeſumtis remediis, ut conſuetudine ipſa innoxium fieret.* Si autem in hoc enarrato, hiſtoriae fides non aliquid laboret, uel ſi pinguia et mucilaginoſa huius antidoti quaedam ingredientia uenenum obuoluere potuerunt, ferreum tamen, in quod nos incidimus, ſeculum, uel eiusmodi uulgaribus medicinis non cedit, uel truculentiora longe adinuenit uenena.

Theſ. 13. Mihi autem ſpectanda hic uenena ſunt, pro recepta ſuperius triplici eorundem diuiſione. Alia enim corroſiuis et acribus, quae praecipue hoc capite dicentur, alia obſtruentibus, et alia denique opiatis ac narcoticis, medicamina adhibenda ſunt. Non autem dubitandum eſt cum PLINIO, *lib. 8. c. 23. rerum natura largius mala, an remedia genuerit.* Ego etenim nullas res eſſe malas, puto, niſi male adplicentur. Atque, ut ſupra oſtenſum fuit, omnia maxima uenena, ſunt aliquando maxima remedia. In omni autem et morbo et ueneno curando, obſeruandum eſt aureum HIP-

PO-

POCRATIS monitum, *Epidem. lib. 1. Sect. 2.* Exerceto circa morbos duo, ut iuues, aut non noceas.

Theſ. 14. Primum ergo uenenorum, idque acrium genus, hoc praecipue loco pertractandum, quod attinet, triplici modo tractabitur; prout uel externae cuti adplicatum fuit; uel uiſcera inteſtinalia, aut ipſum obſeſſit ſanguinem. Acre exterius cuti adhaerens, tolletur, mitigabitur, et frangetur, per impoſitionem contrariorum ipſi ueneno, per acida ſcilicet naturalia, aut arte facta, ſi fuerit alkalinum, et contra, ſi fuerit acidum. Atque talia tunc epiſpaſtica adpellantur. Quorum in numerum ueniunt alia quaecunque, calide adplicata, quae ſic in laeſo loco minuunt reſiſtentiam, et faciunt uenenum illuc propelli, ibique deliteſcere, nec amplius ſerpere. Hoc in caſu conducunt quoque interdum ſacrificationes, cucurbitae, hirudines, quae loco dolenti et morbido impoſitae, ſanguinem infectum tollunt, minuunt reſiſtentiam, et impediunt ulteriorem acris in corpus introitum. Aliquando pars laeſa ferro mox abſcindenda eſt, propter eandem rationem. Sed, haec medela, ſicut mox facta inſigniter, prodeſt, ita ſero nimis peracta, nihil quidquam profert, infecto toto ſanguine. Partes acutae mechanicae tollantur, ſi poſſibile. At maxime haec locum habent in uenenis animalium, per morſum uel puncturam adplicatis, quae iam ſunt dicta.

Theſ.

Theſ. 15. Frigoris quoque particulae, et tot quaſi lanceolae, membro alicui inſinuatae, uulgari remedio tollentur, per repentinam partis immiſſionem in aquam frigidam, uel niuem, deterſaque linteis parte, et ſaponis communis inunctionem, absque igne. Sic enim ſalia, frigus componentia, et materiale eiusdem, ſoluuntur, atque eliciuntur, atque educta, cruſtam glacialem, circa latera partis, componunt. Verum, ubi altius haec ſpicula penetrauerint, ut ſic ſolui atque educi non poſſint, ſed pars iam protinus gangraenam arripit, carificationes, cucurbitae, et hirudines, locum hic inuenient. Medicamenta uero antiſeptica, putredinique reſiſtentia, omni modo calida, adhibenda, et ſaepe iteranda ſunt, quo pars iſta ſuppuretur, et ſanum ab aegro diuidatur ac ſeparetur. Quo facto, tractandus eſt locus, ut uulnus purum, uel impurum.

Theſ. 15. Per os uero admiſſum quodcunque uenenum acre, acidum, alkalinum, aut mechanicum, ex uiſceribus uel ſtatim eiiciatur, aut ibidem frangatur, uel, ſi neutrum fieri poſſit, occultetur, implicetur. Sed, quando torrentem fluidorum ſecutum, in ipſa ſanguinea uaſa penetrauit, febrimque, atque cetera ex acribus ſymptomata, excitauit, uel iſtud frangetur per contrarium uenenum, aut componetur; uel actio ſolidorum et fluidorum in acre, per uenae ſectionem, aut opiata, minuetur, ſicque hoc ad quietem reducetur, uel et, ſi poſſibile, liquido multo calido ingeſto, motuque uaſis maiori

conceſſo, et minuta, per balneationes externas, reſiſtentia, eliminabitur per ſudorem. Componendo autem, ſic franguntur uenena acria, ut ſi ueneni ſpiculum ageret ſub forma trianguli, acutanguli, atque illud componeretur cum alio triangulo, acutangulo, fieret inde quadratum lateribus inaequalibus, quod tamen non noceret. Nam, quae acria in ſanguine obtundunt, uel ſic agunt, uel contrario ſalium niſu, uel et inuiſcando, impinguando, illinendo, atque abſcondendo, agunt.

Theſ. 17. Optime HIPPOCRATES, *in Epiſt. ad Crateuam: ab omni equidem arte, aliena res eſt, dilatio, uerum maxime a medicina, in qua dilatio, eſt animae periculum.* Ergo, poſt adſumta corroſiua et acria, properandum ad remedia, ne mora ſua intra corpus, uentriculum et uiſcera immani cum dolore depaſcant. Non enim hic ualet illud Imperatoris Caroli V. qui doloribus podagricis uexatus, Electori Marchioni Ioachimo, Medicos, ut adhiberet, morbi gnaros, ſuadenti, reſpondit: optimum remedium eſſe, *Gedult und ein wenig ſchreien*, referente MANLIO, *libell. Med. pag. m. 755.* Ideoque ſomnus nullus his concedendus. Homo enim dormiens fortius reſpirat, et reſpiratione forti uentriculus ualidius ſe contrahit, inque uenenum agit. Et obſeruatum eſt in populari febre, ſudore Anglico, ut memorat FVCHSIVS, *Inſtit. Med. lib. 2. S. 4. c. 5.* ſomno nihil fuiſſe nocentius.

Theſ.

Theſ. 18. Itaque, ut uenenum quodlibet, intra abdominis regionem, praecipue uero uentriculum, ſtagnans adhuc, expellatur, ante omnia uomitus proliciendus eſt, idque quam celerrime. *b*) Et quidem domeſticum uomitorium, ex oleo oliuarum antiquo, aut butyro, cum aqua tepida ſalſa, ſaepe ſatisfacit. Vel uitriolum ueneris, ope aceti deſtillati paratum, aut eiusdem flores purificati, ad grana duo, data, remedia

Ddd 2 ſapo-

b) Vt ſciamus, num uenenum, in canale adhuc alimentorum, primisque hoſpitetur uiis, aut ipſam iam ſubierit maſſam ſanguineam, ſequentibus eruendum, ac probandum, docet ALPHONSVS MORESCHOTTVS, Ferdinandi Primi, Luſitaniae Regis, Archiater, *Compendio Med. pag. 117.* hunc modum praeſcribens: ſi uitellum oui cum ſuo albo, in urinali uaſe, cum eius urina, qui uenenum ſumſit, poſitum, infra paucas horas nigreſcit, ac foetet, ſignum eſt, uenenum tranſiuiſſe gibbum hepatis; ſi rugoſum fiat, ac citrineſcat, et non foeteat, ſignum eſt, quod nondum transierit inteſtina. Valde uero de aequali et conſtanti huius experimenti ſucceſſu et fide dubito; et, ſi idem locum habet, admittendum eſſe iudico in aſſumtis uenenis mineralium. Melius uero nobis, in conſtituenda diagnoſi, proſpiciemus, ſi calculum ex tempore hauſti ueneni ponamus partim, partim ſymptomata, ſymptomatumque indolem, ſedulo examinemus, et ponderemus.

ſaporis quidem ingratiſſimi, ſed quae ſyrupo aliquo abſcondita, ex momento operabuntur, ſero lactis, uel aqua calida, aut potu calido cereuiſiae ſubinde in copia epoto. Sed obiiciet mihi aliquis non male, quod acria metallica uomitoria non conuenienter exhibeantur in acri ueneno. Et quidem fateor, pinguiora, eſſe meliora, ſed dari debet aliquid, quod momentaneae eſt uirtutis atque operationis. Ei autem piper dare, qui euphorbium hauſit, eſt hominem necare. Ignis enim igni additus, maiori incendio deflagrat.

Theſ. 19. Ad oblinendum, hebetandum, et occultandum, pinguia omnia, cum aqua ſoluta, ingeri debent, oleum praecipue oliuarum, aut butyracea: quae partim mucilagine ſua, acres ueneni particulas inuoluunt, partim pro illa, quae ſibi, dum uetuſta ſunt, inhaeret, acredine, (acria enim tria ſunt: acida, alkalina, et oleoſa,) uentriculum in uomitus compellunt. Itaque PLINIVS, *lib. 23. cap. 4.* de oliuarum oleo ſic habet: *Venena omnia hebetat, praecipue pſimmythii,* (ceruſſae,) *et gypſi, in aqua mulſa, aut ficorum ſiccarum decocto, potum: contra meconium in aqua; contra cantharides, bupreſtin, ſalamandras, pityocampas, per ſe potum, redditumque uomitionibus; contra omnia ſupra dicta laudatiſſimum.* Lac praeterea, cremor ptiſanae, decoctum uuarum paſſarum, albumen oui cum roſarum aqua, item

item mucilagines ſeminis pſyllii, cydoniorum, gummi tragacanthi, emulſiones uariae, et terrae ſigillatae *c*) conducunt, quatenus inuoluunt inuiſcant, hebetant, atque obtundunt. Hinc noſtrates ruſtici, quam primum animalia de cicuta comederunt aquatica, uidentque intumeſcere, dant lac ex capra alba. An albedo caprae aliquid ad rem faciat, aliis inquirendum relinquo: conſtat interim, pilos, uarie coloratos, albos, nigros, rubros, fuſcos, cinereos, diuerſum quoque corporis temperamentum indigitare. Et obſeruaui, rubro crine homines, in

 febri

c) Terrea, nonniſi poſt ſufficientem ueneni euacuationem, uberiori pinguium, oleoſorum et ſeroſorum uſu promotam, abſorbendi roborandique ſcopo, adhibenda ſunt. Sin uero acidum uiſcidumque fuerit uenenum, tum quam maxime ſaponem therebinthinatum, ex ſale tartari et therebinthinae oleo compoſitum, qui tantam in Anglia, etiam ad uenenorum uires infringendas, delendas, famam acquiſiuit, commendauerim; idem quippe, partim acria acidorum ſpicula implicando et obliniendo, partim uiſcidum, ab acido ligatum, reſoluendo, attenuando, ſuam perficit operationem. Maior adhuc circumſpectio, in uſu opiatorum, adhibenda, quae a medicis, ſcopo ſedandi uomitus, aluinasque deiectiones, ab arſenicali, ſimilique ueneno excitatas, funeſto praeſcribuntur ſucceſſu, teſte Hoffmanno, *Med. Conſult. Decad. 1. caſ. 7. pag. 34. et ſequ.*

ſebri acuta, quam maxime delirare, peierare, nec ſaltem phreneſi, ſed mania ipſa laborare, ut uidi Ao. 1709. in armamentario nauis Wachtmeiſter, Dauide Banck, et Ao. 1710. in nauta Matthia Norberg, qui quoque obiit, poſt peierationes, iactationes quamplurimas. Nec medicamentis locus erat, quia omnia abiecit, adeo, ut uinculis conſtringeretur.

Theſ. 20. Haec ergo iam dicta, ſalina corroſiua ſpicula, et quaecunque mechanica acria, inuiſcant, inque uagina quaſi condunt. Cuſpide autem ſalis cuiuslibet acris, in quam certe omnis anguli recti, acuti, uel obtuſi, (ſub quibus angulis, aculeus quilibet agit,) extremitas terminatur, abſcondita, effectum ſpiculi etiam tolli, neceſſum eſt. Et CARDANVS, *lib. 3. de Venen. cap. 3.* fatetur, ſe ſolo lacte quinque filios ſeruaſſe mercatoris Mediolanenſis, quibus mercurius ſublimatus fuerat exhibitus. Atque haec quidem ſaepe bona ſunt, ſed, quae uel contraria indole adſumtum frangunt uenenum, uel per uomitus educunt, multo ſunt confidentiora. Ita tamen, ut uomitu facto, et contra uenenum contrariis atque antidotis pugnato, lacticinia et reliqua mucilaginoſa magnam laudem mereantur, atque neceſſario ingeri debeant, ad ſanandas atque ungendas partes ſolidas, a ueneno corruptas.

Theſ. 21. Ad metallicos uero acidos ſpiritus, ſeu aceta metallica, uel et, ſi dentur, uegetabilium

lium acida, mitificanda, forte contulerit ſpiritus uini ſimplex, uel et ſpiritus cochleariae, ut uenena talia, horum ope, miteſcant; non aliter ac in experimentis uidemus, ſpiritum nitri acidum, uel urinoſos fortiores, ſpiritui uini combinatos, hebeſcere, illumque, in nitri ſpiritum dulcem, hunc, in ſalis ammoniaci dulcem, faceſſere. Verum, ſicuti haec experimenta cum ſpiritibus acidis nitri, uel ſalis, et ſpiritu uini, ualde ſunt periculoſa facienti, ita credibile eſt, non absque periculo conflagrationis et exploſionis, intra uiſcera noſtra commiſceri eosdem ac coniungi.

Theſ. 22. Tum aqua tepida ſola, in caſu neceſſitatis, liberalius hauſta, partim uenenum diuidit, ac ſoluit, partim per uomitionem educit, hoc eſt, fibrarum gaſtricarum, ultra datum terminum contractionem, clauſo pyloro, muſculorumque abdominis et diaphragmatis, horumque neruorum ſpaſmum, et inordinatum ſucci neruoſi ac ſanguinis in eosdem influxum: quos intra muſculos uentriculus collocatus, quaſi a torculari utrinque premitur, ad reddendum contenta. Videſis WILLIS, *Pharm. Rat. S.* 2. *c.* 1. *de Vomit.* De quo remedii genere, ad uenena exterminanda, proficuo, conferri poteſt DIOSCORIDIS *liber de Venenis poſterior*, qui *Alexipharmacus* inſcribitur, *cap.* 2. et AVICENNAS, *Canon. lib.* 4. *Fen.* 6. *Tract.* 1. *cap.* 4. *p. m.* 912. Aqua autem tepida, copioſe hauſta, pro praeſentiſſimo eſt remedio ſalium

corroſiuorum, per os adſumta, itemque, ſi uenenum ad inteſtina iam fuit delatum, per anum pro clyſtere iniecta. Nec eſt medicamentum aliud, quod magis reperitur idoneum; aqua enim eſurit, ſaliaque auide diſſoluit, et deuorat magis, quam alius quilibet liquor, cuiuscunque nominis.

Theſ. 23. Verum, pro corrigendo et frangendo aliquo acri ueneno, eius antea indoles, uel acida, uel alkalina, optime indaganda. Oleoſa namque ſemper fere alicui ex his ſalibus coniunguntur. Et, ſi tum bene intelligitur, alkali acre ingeſtum fuiſſe, acidis omnibus debellandum eſt, aceto nempe uini, uel metallico, uitrioli, ſulphuris, nitri, aluminis, ſalis marini, uel gemmei, aliorumque; uel ſucco fructuum horaeorum, citri, aurantiorum, limoniorum, roob ſambuci, ribium, berberumque, ſucco baccarum rubi idaei, fragorum, myrtillorum utrorumque, ſucco acetoſarum, aliisque in hunc cenſum uenientibus. Nulla tamen efficacior alkalinis et putredinoſis ſalibus eſt antidotus, quam ſpiritus acidi metallici, inter quos eminet ſpiritus uitrioli, ob rigiditatem ſummam et pondus; unde non uno in conflictu gladii eius diffringuntur, ſed perſtant. Nec aliud plus putredinem arcet, quam oleum calcanthi et ſulphuris, ſed caſtigata debent offerri, ut monet CLAVDINVS, *Reſp. Med. 4. Sect. 1.*

Theſ. 24. Itaque, ſi certo ſcitur, uenenum uegeta-

getabile imprudentius fuiſſe adſumtum, quia, ut ſupra notaui, uis eius quamplurimum in alkalino uolatili oleoſo conſiſtit, acidis debellandum eſt, aceto nempe factitio, uel acetis naturalibus fructuum horaeorum, aut metallicis. In principio quoque conueniunt emetica iam dicta, hebetantia deinde pinguia, et lac copioſe hauſtum. Sic, poſt cicutam, uomitu bene reiectam, DIOSCORIDES *lib. Alexipharm. cap. 17.* ad maximum et praeſentiſſimum auxilium, uini generoſi potum, deueniendum eſſe, monet: non eo quidem argumento, quod, ut PLINIVS *lib. 25. cap. 13.* habet, uinum, pro calefaciente ſua facultate, cicutae frigus tollat, ſed quod contraria ui in uirus agere cicutae mihi uideatur. Hinc quoque uetus fuit obſeruatio, animalia, uenenis, uel uegetabilium, uel ferarum, petita, ſi fulmine tacta fuerint, curari, cum meteori uis in acido nitroſo, uel ſulphreo, conſiſtat.

Theſ. 23. Sed, ſi acidum corroſiuum uenenum, ut ſaepenumero fit, ingeſtum fuerit, quia hoc non adeo ſeſe prodit foetore, ac quidem alkalina plurima, et parua etiam in copia noxium ſit, praeſertim, ſi fuerit metallicum, rigidum, ac ponderoſum, tum de contraria medendi ratione cogitandum eſt. Tumque pro antidoto propinanda ſunt, oſtracodermata, uaria calcinata, atque in puluerem redacta, ut mater perlarum, oſtrea conchae, mytuli, cancrorumque chelae, ac corallia, cornu cerui uſtum, oſſa ſepiae ſeu ſqua-

 mae,

mae, creta, cortices ouorum, corallina, margaritae, lapis bezoar, os e corde cerui, unicornu, bolus Armena, terra ſigillata, lapis haematites, lapis e Goa, Pedra del porco, hyacinthus, cochinellae, aliaque quam plurima.

Theſ. 26. Quae quidem ueneno acido contrariantur, non, quod omnia ſint alkalia, ſi ea, quae ex animalibus deſumuntur, exceperis, ſed, quod in talibus terreis, eorumque poris, uenena acida ſuas acies frangant, et miteſcant. Poſt autem terreorum cum acidis conflictum, non ſolum acida hebetantur, ſed terrea quoque fatiſcunt, ſicut Cleopatrae pretioſus unio per acetum in potabilem diſſiluit materiam, quemadmodum PLVTARCHVS, *in Vit. M. Antonii*, et PLINIVS, *l. 9. c. 35.* et MACROBIVS, *Saturnal. l. 2. c. 13.* memorant. Nec Cleopatra Aegyptiaca ſola, tanti luxus rea fuit, ſed et Aeſopi, Tragoedi, filius, aceto liquatos magnae ſummae uniones, potionibus adſpergere ſolitus erat, referente VALERIO MAXIMO, *Mem. Exempl. l. 9. c. 1.* FLACCVS quoque, *Serm. l. 2. Sat. 3.* de illo ſic canit:

Filius Aeſopi direptam ex aure Metellae,
Scilicet ut decies ſolidum ſorberet aceto,
Diluit inſignem baccam - -

Theſ. 27. Praecipue uero ad mercurium ſublimatum, ſalis tartari oleum, deliquio ſoluti, ad arſenicum uero, cryſtallus montana, in pul-

uerem

uerem contuſa, commendatur. Atque haec foſſilis, ſeu montana cryſtallus, ab ipſis iam Matthioli temporibus, tam ſpecificum, et praeſtans eſt arſenici antidotum, ut *in Ephemeridibus Germanorum* legere ſit, *Anno 1685. Dec. 2. obſ. 25.* experimento cl. Crugeri, reſtitutum fuiſſe aegrotum, qui drachmam arſenici ſumſerat, per ſcrupulos quatuor montanae cryſtalli, uiciſſim in puluere exhibitos. Vnde hinc facile concludi poteſt, arſenici uirus ſingularem habere indolem, quam nec in totum acidam, nec alkalinam, dixeris, cum de genio ipſius cryſtalli non adhuc adeo liqueat, hac tamen propius ad alkali, illo ad acidum deflectente.

Theſ. 28. Quae uero ſolum per mechanicum tritum, ex non uenenis, facta ſunt uenena, ut adamantina fragmentula, aut ex cryſtallo montana, margaritis, perlisque detritae cuſpides, aut ipſo ex uitro ſchidia, ſi non ſtatim, ac ingeſta fuere, poterint rurſus per uomitorium elici, ſummopere annitendum, ut aliqua ratione occultentur, per ante dicta hebetantia, componanturque ita cum quadam mucagine, quo inertia euadant atque innoxia. Sed, ſi iam alicui fibrae ſolidi ſeſe interpoſuerint, difficillime atque rariſſime omnium tolluntur, plerumque uero lenta tabe corpus conſumunt. Hinc, qui uenenis petuntur lentis et terminatis, uix medelam ſentiunt, ſed tabe et languore ac dolore conſumuntur ingenti, et inimico, incluſo uiſceribus, bello inteſtino indubie conficiuntur.

ciuntur. *Adëo in medicina, etiam, ubi perpetuum eſt, quod fieri debet, non tamen perpetuum eſt id, quod conſequi conuenit.* uerba ſunt CELSI *l. 7. c. 13. n. 4.* Aliquid tamen tentandum eſt, nam, inquit HIPPOCRATES, *l. Praenot. n. 6.* *remiſſio morbi alicuius magnum aegroto ſolatium praebet.*

Theſ. 29 Opiata quidem, in uenenis per inteſtinalem ductum corrigendis, nullum fere locum inueniunt, niſi in quantum, urgente ſummo lancinationis dolore, ad partes laeſas ſtupefaciendas, et dolorem ſedandum, minuta doſi, adhiberi queant. Et, tum praeſertim proficua ſunt, quando ſpasmis et torminibus, ab acri ueneno excitatis, uaſa ſpasmodice contracta aliquo modo laxari poſſunt per uim opii laxantem, dum ſpirituum influxus in loca ſpaſmo contracta, per actionis modum in cerebro, ſupra deſcriptum, impeditur ac ſufflaminatur. Aquoſa tamen et diluentia magis laxant, ſpiculumque acre, ſpaſmi auctorem, eluunt. Sed acria, quae alicui canali ſanguifero haerent impacta, quomodo lenienda, componenda, uel eluenda, uel eorum uis minuenda ſit, per momentum contractionis ſolidorum, et impulſus fluidorum diminutum, aut immutatum, aut qua ratione excutienda erunt per corporis ſuperficiem, motum oſcillatorium uaſis conciliando, et reſiſtentiam in extremis minuendo, prolixius infra paſſim dicetur.

Theſ.

Theſ. 30. Nunc tantum dicam, dari opiata poſſe, ad minuendam cordis contractionem, qua minuta, ſiſtitur uis ueneni, ubicunque et illud infixum haeſerit, uel fuerit uolutatum. Sed, antequam opiata in ſanguinem et cerebrum fuerint perlata, corroſiua iſta et acria procul dubio aliquam corporis partem eroſerunt, immedicabili uulnere, et morte ipſa perſoluendo. Nec in doloribus ſedandis, ſomnoque conciliando, aliud opio praeſtantius eſt, et crediderim cum NASONE, *de Pont. l. 1. Eleg. 2.*

- - Cum requies medicinaque publica curae,
Somnus adeſt, ſolitis nox uenit orba malis.

Atque, dum opium laxat partes ſpasmo contractas, facit acria ſpicula ſolidis partibus excidere. Sic, ſi in in manu cultrum acutum tenuerim, et compreſſerim manum, mihi nocebit. Si uero ſomnus ſuperuenit, et inducit flacciditatem manui ſpontaneam, excidit culter manu. Ita cum ſolidis internis, in acria agentibus, comparatum eſt. Dum enim homo ſopitur, totum corpus laxatur, et flacceſcit, ut cuiuis patet. Sic, dum calculus ex pelui renali in ureterem emotus eſt, ibi ſaepe haeret, maximosque dolores facit, uretere per ſpaſmum ad latera calculi fortiter ſe contrahente. Opium, tum datum, calculum optime pellit, ſicut et inſeſſus in ſemicupio calido, et quaecunque potentiam habent partes

ſpasmo

ſpasmodice ſtrangulatas laxandi, et reſiſtentiam minuendi.

Capvt Decimvm Octavvm.

Medicamenta, peſtilens et febrile uenenum expellentia, et genuinum eadem applicandi modum, continet.

Theſ. 1. Inter ea uenena, quae ſanguinem praecipue inficiunt, primum ſibi locum peſtilentiale uirus uendicat, tum febrium epidemiarum, quanquam et partes ſolidae ab hiſce uenenis pariter corripiantur, praeſertim pulmones, a quacunque demum cauſa, ſiue ab acri acido metallico, ſiue alkalino putrido, uel aere nimis tenui, aut nimis frigido, humido, uel craſſo, uel uermiculis, aut multiplici alio cauſarum genere, ortae fuerint hae febres. Nec aliter ullo modo concipere poſſumus. *d*) Febrium uero communium curandi ratio, tanto magis eſt neceſſaria, quanto ex his duo ad minimum hominum trientes, ſi eos demas, qui uiolenta in bello morte pereunt, moriantur. Nullus uero morbus tam notus eſt, nec ullus tam ignotus, quoad cauſas, ideam, et ueram curandi rationem. *Theſ.*

d) Venenum enim, corpus non afficit, niſi adficiantur ſolida, quae motores ſunt fluidorum.

Theſ. 2. Peſtis uerminoſa equidem ualde rara eſt. Si tamen aliquando contingat, anthelminticis facile debellabitur, quae tamen, in hac epidemica lue curanda, non usque adeo recepta ſunt, nec uſu ſemper comprobata, licet interdum aliquid boni praeſtitiſſe ea, non diffitear. Potius meo quidem iudicio conducent ea omnia, quae putredinem interea arcebunt, omnia acida, metallica, atque externe ea omnia incenſa, quae ſimili uirtute gaudent, ut puluis pyrius, nitrum, ſal marinum, ſulphur, ligna acida, iuniperi, aliaque, et gummi accenſa, acidum ſpiratura. His enim uel uermes peribunt, uel ulterior putredo, unde prodeunt, ſed ſuis ex ſeminiis, impedietur.

Theſ. 3. Illa uero peſtis truculenta, quae ex fame publica oritur, quando ſolita atque inſolita alimenta deſunt, abſumtis iumentis equisque, et ceteris animalibus, quae profana foedaque in uſum neceſſitas uertit, non poteſt tolli, niſi remediis contrariis blandis, et ſtomachi latrantis murmura compeſcentibus, frumentis ſcilicet, lacticiniis, aliisque rebus, eſui aptis. Talis fuit, proprie loquendo, peſtis, quae Annis 1696. 1697. 1698. 1699. per totum Sueciae, Gothiaeque regnum, atque uniuerſas Finlandias, et quae 1708. atque annis ſubſecutis, per Poloniam, Lithuaniam, Curlandiam, Liuoniam, Eſthoniamque, graſſabatur, licet multum huic conferrent hominum ſtrages, inhumataque cadauera animalium bellatorum.

Theſ

Theſ. 4. Sed, dum aer, uel per ſuam rarefactionem, uel per ſuam grauitatem, ac denſitatem, peſtilens eſt, ut ſupra ſuo loco relatum, cogitandum eſt in illa remedia, quae huic malo medelam afferant. In utroque tamen caſu, domi ſeſe continere, perutile eſt. Quando autem aer tenuitate nimia et calore peccat, ipſum cubiculum aquae riuis per ſiphones, ut Anglis uſitatum, conſpergendum eſt, uel acetum ſilicibus candentibus inſpergendum, uel etiam aer ipſius frigidae aut aceti exhalationibus hinc inde diſpoſitorum temperandus. Tum plantarum appropriatarum conuenit frigus excipere, uidelicet pomorum, aurantiorum, citriorum, limoniorum, ſalicis, populi, alni, ſambuci, roſae, lactucae, papaueris, portulacae, ulmariae, ſolani, bugloſſae, ſemperuiui, borraginis, uiolae, rubi, uitis, acetoſarum omnium, florumque tiliae, in ipſo cubiculo diſpoſitorum, atque aceto irroratorum. Aut, ſi placet, fontes riuulosque quaerere, arborumque aquaticarum umbra ſe conſolari. Sic, in Babylone, diuites aeſtuantes, utribus aqua plenis indormiunt, teſte PLVTARCHO, *Sympoſ. lib. 3. Qu. 2.* Itali utribus aere plenis delectantur. Conueniunt tunc quoque pauimenta lapidea, glacies, et nitrum. Loca uero aeſtuantia riuulis aquae perfodere, non erit inconueniens. Sic, in Belgio, ubique perfoſſo, aeſtus non adeo regnat. Et, refert VALERIVS MAXIMVS,

l. 2.

l. 2. c. 4. Cn. Pompeium, ante omnia, aquae per ſemitas decurſu, aeſtiuum minuiſſe feruorem.

Theſ. 5. Contra in graui, humido, frigidoque aere, domi quidem permanendum eſt, aer uero remediis maxime diuerſis corrigendus erit, foco ſcilicet hilari, accenſo igne, ex quercino uel iuniperino ligno, atque deinde ſuperiniectis atque incenſis aromatibus temperatis, meliſſa, thymo, ſatureia, cupreſſo, lauendula, maiorana, rorismarino, hyſſopo, matricaria, pulegio, mentha, ſaluia, ſerpillo, cariophyllis, mace, cinamomo, corticibus citri, aurantiorum, chinenſiumque, lauri foliis, gummi benzoe, ſeu thure, uel olibano, ſtyrace, bdellio, ſuccino, ſagapeno, pice arida, colophonia, tum radicibus cyperi, iridis, angelicae, zedoariae, enulae, pimpinellae, aliarumque; ſuffitus praeterea cornuum, ungularum, aliorumque talium, in peſtilentia, ex graui humidoque aere, conducunt. *e)* Sed, non uideo, quid eius-

 modi

e) Si peſtis ab humido grauique aere ortum ducat, loco huiusmodi graueolentium, et foetidorum, potius ſuffitus ex baccis lauri, iuniperi, maſtiche, olibano, ſtyrace calamita, lignis et corticibus aromaticis, quorum mentionem auctor praeſente theſi fecit, commendauerim; praecipue, cum ex HELMONTII, *in Tumul. Peſtis*, obſeruatione, ipſa quoque experientia ſuffragante, peſtilens fracedo, crematarum foetorem ſolearum referre ſoleat; unde citatus HELMONTIVS, in pe-

modi fecerint boni in peſte Stockholmenſi, Ao. 1710. ex contagio humano et terrore orta, aere interim puro liberoque. Pilae praeterea odoratae fieri poſſunt ex moſcho, ambra, zibetho, uel ex gummatibus ante dictis. Quae omnia uariari poſſunt, pro ratione regionis, et conditionis cuiuscunque. Pauperes quidem noſtrates, longo iam uſu, in tali aeris temperie, optimo cum ſucceſſu, iuniperi baccas, camino lamina obthurato, prunis iniiciunt, uel et ceparum rubrarum exuuias.

Theſ. 6. Si ex aqua putrida, continuo uſu hauſta, ortus fuit morbus aliquis peſtilentialis, ut ſaepe fit, alius aquae fluentis et purae uſus ſedulo inculcandus. Sic EMPEDOCLES, annotante LAERTIO, *de Vit. Phil. l. 8.* Selinuntiis, ob uicini amnis foetorem, peſtilentiam contractam ſuſpicatus, remedium excogitauit præſentaneum, cum riuulos e propinquis limpidis fluminibus deriuando, in putridum deduceret amnem, idque proprio aere; quibus inuicem mixtis, acceſſione purioris aquae, putridae lacunae emendatae fuerunt, praecipue quod adderet a tergo impetum, momentumque motus pernicius. Vnde foetor ſublatus, atque aer correctus, et peſtis deſiit. Pariter Piſanus ager, olim aequore tectus, maris aeſtu reci-

ſte Oſtendana, homines peſtilenti infectos contagio, allegati miniſterio odoris cognouit, et detexit, licet aliorum, quae peſtem comitabantur, ſymptomatum adhuc expertes fuerint.

reciproco, habitatoribus infeſtus erat, ob aeris putridi uitium. Sed Ducis Florentini induſtria canalibus ductis, quibus exciperetur aqua, ſterile prius ſolum, uomerem pati coegit, et ſalubre coelum incolis reddidit. Sic quoque maxima Belgii pars, ex maris aeſtuariis, et paludoſis locis, in iſtam populi frequentiam, et iſtam mercimoniorum celebritatem, inoleuit, ductis ubique riuulis, qui aquas exciperent; unde fit quidem habitabile, licet non ſit ſolum adeo ſalubre, praeſertim aduenis, qui ex locis arenoſis et editis illuc migrant.

Theſ. 7. Sed, ut ad aeſtiuos calores redeam, Bononiae certe, atque in aliis Italiae locis, quando feruet coelum, per fora proſtat brodium pyrorum aridorum, pro compeſcendis ſiti et calore. Sic in noua Suecia, Americae prouincia, quae nunc Penſyluania dicitur, creſcit peponis quoddam aquatici genus, quod Sueci ibi habitantes lemonia aquatica dicunt, cuius itidem ſuccus, aeſtiuis caloribus ſedandis, uſurpatur. Et, uel in hoc caſu Diuinam bonitatem non ſatis depraedicare poſſumus, acidos horaeorum fructuum ſuccos tunc temporis atque ea anni tempeſtate abunde nobis indulgentem, cum propter coeli calorem, iis maxime indigemus. Hinc per aeſtatem apud nos ceraſa, ribeſia, mora Scandica, fraga, rubi idaei baccae, exterisque ignotus, nec niſi per Norlandias creſcens rubi cuiusdam fructus, noſtris *Akerbeer* dictus, aliaque Pomonae munera, proſtant ubi-

 uis.

uis. Hinc, et citrium florem, ſenibus anheloſis medicari, MARO canit, *l. 2. Georg.* in talem modum:

Ipſa ingens arbos, faciemque ſimillima lauro,
Et, ſi non alium late iactaret odorem,
Laurus erat. Folia ullis haud labentia uentis.
Flos apprime tenax, animas et olentia Medi
Ora fouent illo, et ſenibus medicantur anhelis.

Illo etiam tempore, omnis noſter ſanguis incenditur, praeſertim in corpore exercitato, et alkaleſcit. Acidis ergo debellandus calor eſt. Hinc non male HORATIVS, *Serm. l. 2. Sat. 4.* cecinit:

. . . . ille ſalubres
Aeſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante grauem quae legerit arbore ſolem.

In ſulphurea aeris temperie, acri arſenicali, aut alio quocunque metallico, ſpiritus alkalini, et omnia foetida, conducunt, ſi peſtis inde oriatur. Contingere hoc quidem poteſt, ſed eſt rariſſimum. In locis tamen circa fodinas, barathra, ſpecusque, eiusmodi acres halitus repeririuntur ſemper, nec alio remedio curantur, quam fuga. Si enim unquam pulmones exederint, uulnus eſt incurabile per uitam, homo autem iſte aliquando diu ſatis uiuet, ſed aſthma-

aſthmaticus, tuſſiens, cum ſputis purulentis, ſanguineis. Vbi uero maior halituum metallicorum copia plures ſimul et ſemel adflauit, plures quoque uno eodemque tempore morientur. Spiritus equidem ſalis Ammoniaci, cornu cerui, urinae, ſanguinis humani, aliaque ex animalibus facta, interne data, et externe per ſpongiam naribus adplicata, multum quidem conducunt, ſed, cum haec ſint uolatilia, illa uero ponderoſa et magis rigida, talia mala raro medelam admittunt.

Theſ. 9. Verum, ut communiſſima peſtilentiae cauſa, eſt putredo alkalina, ideoque peſtem, et febriles ex hac cauſa morbos, prolixius percurramus. At, ſi ne ſic quidem uera penetrari poſſit peſtis cauſa, perinde eſt in praxi, modo curetur, more iſtius morbi, cui ſimilis adparet. Ita enim CELSVS, *Praefat. lib. 1, Quod ſi iam incidat mali genus aliquod ignotum, non ideo tamen fore Medico de rebus cogitandum obſcuris: ſed eum protinus uiſurum, cui morbo id proximum ſit, tentaturumque remedia ſimilia illis, quae uicino malo ſaepe ſuccurrerint, et per eius ſimilitudinem opem reperturum.* Proinde diuerſae febrium peſtilentium cauſae, diuerſas poſcunt curandi rationes. Prorſus, ut huc bene quadrent illa SYDENHAMI uerba, *Obſ. Med. Sect. 1. cap. 2. Hoc ſaltem pro comperto habeo, ex multiplici accuratiſſimarum obſeruationum fi-*

 de,

de, praeter dictas morborum ſpecies, praeſertim febres continuas, ita toto, quod aiunt, coelo differre, ut, qua methodo, currente anno, aegros liberaueris, eadem ipſa, anno iam uertente, forſitan e medio tolles. Et ſic, licet optime a ſe factum ac penſitatum medicus aliquando putet, aeger tamen inopinato moritur. Paruis haec non ſolum, ſed magnis quoque medicis, contingit infelicitas. Ille ergo medicus, iuxta effatum MANTVANI VATIS, *lib.* 2. *Georg.*

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, et inexorabile fatum,
Subiecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis auari.

Theſ. 10. Ergo, in tali peſte oborta, tollenda eſt, quantum poſſibile, putredinis cauſa, eiusque effectus, id eſt, ſalium alkalinorum acredo mitiganda acidis contrariis, praecipue metallicis, aerque, quantum fieri poteſt, circumcirca corrigendus, quae, tum fiunt anthelmintica, quando putredinem uel arcent, uel inchoatam in herba ſuffocant, et ſiſtunt. Commendantur in hunc uſum ignes luculentiſſimi, ex lignis reſinoſis, abiete, iunipero, pino, cupreſſo, aliisque, EMPEDOCLI et HIPPOCRATI olim, in *Epidemiis*, laudati, cum peſtis ab Illiriis Athenas peteret, referente PLINIO, *lib.* 36. *cap.* 27. Idem ignis adminiculum inſtituit in

in peſte Athenienſi, Acron Agrigentinus, medicus, in magnam ſui laudem, ut narrat PLVTARCHVS, *de Iſid. et Oſirid. n. 95.* Vbi enim contagii peſtilentis origo, in calido, refrigerantibus, ubi ab humido, ſuccenſis ſiluis, aerem purgare debemus, contrariorum retuſa ſuis contrariis uiolentia. Hoc quoque in Poloniae quibusdam locis factitatum eſt in nupera peſte, cum fructu tanto, quantus ab igne expectari poteſt. Hinc canit NASO, *lib. 4. Faſtor.*

Omnia purgat edax ignis, uitiumque metalli,
Excoquit: idcirco cum duce purgat oues.

Theſ. 11. Ignis autem luculentus aerem humidum et grauem diſpellit ac diſcindit, putrida uero miaſmata, per aerem uolitantia, itidem fugat, uel comburit. *f*) Sal porro marinus, carbones foſſiles, minera ſulphurea, et nitrum accenſum, aut puluis pyrius, tormentis maioribus exploſus, ualde proſunt: haec enim accenſa, putredinem arcent, et humores liberant

f) Optimum ſane iudico eſſe, ſi, in tali peſtis cauſa, ſemper ignis pone aegrotos ardeat; nam, dum acria peſtilentiae effluuia cum fumis perpetuo exhalant, aerque hoc modo emendatur corruptus, non facilius ſaltem et felicius procedit medela, ſed medicus quoque, aliique homines,

rant a coagulatione; ſal quidem commune, quatenus acorem ſpargit, ſicuti et nitrum, ſulphur, et ex his confectus puluis pyrius. Non uero, prout MAYOW ſtatuit, *de Sal. Nitr. Tr. 1. c. 3. p. m. 27.* quod nitri partes ſubtiliores, ſint eaedem particulae ignis, atque ita motu uelociſſimo inuicem raptae, aerem a uenenata labe repurgent. *g*)

Theſ.

qui aegrotorum gerunt curam, tutius, a contagio liberi, accedere poſſunt. Hic etiam locum habet herbae Nicotianae fumus, de cuius ſalutari effectu, in peſte Nouiomagenſi, legi meretur DIEMERBROECKIVS, *lib. 2. de peſte, p. 203.*

g) His illuſtrandis ſeruiunt, quae HELMONTIVS, *in Tumulo peſtis*, BOVCHERI et RADZIVILII ſuffultus teſtimoniis, de peſte Aegyptiaca, refert, eandem nempe, quotannis, uapore quodam nitroſo, miteſcere, Nili aeſtuantis, qui totus nitro ſcatet, atque abundat, effectu. Hinc ait porro HELMONTIVS, *c. l.* ex epidemiis Hippocratis colligere eſt, ſulphur, ſalem, et picem, in ſummo tunc uſu fuiſſe, ad domos infectas luſtrandas, purgandas; quia Gas ſulphureum, omnem tollit et cohibet putrefactionem. His merito addendum VARRONIS experimentum, cuius optimo inſtituto, claſſis Romana, Corcyrae tota fere aegrotans, obſtructis, quae auſtrum admittebant, feneſtris ianuisque, nouisque, quibus a-

Theſ. 12. Quare etiam Itali, tempore febrium peſtilentium, res omnes commerciorum, in oppida inuehendas, acido ſulphuris fumo primum perflari curant. Sic Vlyſſes, poſt caedem procorum abſolutam, domum, ſulphure accenſo, purgauit, ut malo mederetur inde orituro, ſicut HOMERVS habet, *Odyſſ. l. 20.* Sic nautae, iunipero, pice, ſulphure, pyrio puluere, uel et aceto, tabulata inferiora luſtrant. Itali porro, de peſte ſuſpectis, quadraginta dierum commorationem, a communi hominum conſortio ſeiunctam, imperant, quam moram uulgo *Quarantena* uocant. Et Veneti, aduenientes peregrinos omnes, ad noſocomium, Lazarettam dictum, remittunt, ut ibi luſtrentur, mercesque omnes ſuffumigiis expiant. Vnde noſtri annales referunt, peſtilentiis in patria graſſantibus, commune populi aſylum ad magnum fuiſſe Cuprimontem. Quod et hodienum fit. Pecora etiam, tempore aeſtiuo peſtilentiali, illuc deducuntur, ut ſulphuris fumo perflentur. Et, in nupera peſte Stockholmenſi, An. 1710. commune aſylum erat in Fahluna, ſeu Cuprimonte, et Salberga, argentifodina.

Theſ. 13. Equidem peſtis ſaepe nullo eget remedio, ſed, hieme et frigore aduentante, quie-

 ſcit,

quilo recipiebatur, conſtructis, ſanitati reſtituta, ac conſeruata fuit. uid. BEHRENSIVS, *Select. Diaet. ed. cit. Sect. 1. cap. 3. §. 2. p. 12.*

ſcit, ſi a putredine fit. *Nam aeſtiuos morbos, hiems ſuccedens ſoluit, et hiemales, aeſtas ſuccedens transmutat*, dicente HIPPOCRATE, *Epidem. lib.3. Sect.3. aeg.16.* Hinc quoque celeb. Polonorum Hiſtoriographus, CROMERVS, *lib.30. p.m. 440.* Polonorum tunc temporis peſtem, hieme ſedatam et extinctam fuiſſe, ſcribit. Quod et ſingulis annis in nupero Polonico bello accidit. Item in peſte Rigenſi, Dunemundenſi, Rewalienſi, Wiburgenſi, Stockholmenſi, et cui tum ipſe medebar, peſte nauali. Praeſertim, cum hiemali tempore abſint requiſita purefactionis. Materiale porro frigoris, ſales nempe ammoniacales, et nitroſi, non ſolum ſalibus putredinoſis contrario niſu obſiſtunt, eosque labefactant, ſed etiam inſtar palorum, per uarios corporis poros inſinuati, liberant, et conſeruant a putredine. Bene ergo SYDENHAM, *Sect. 2. cap. 2. de Peſte: Creſcente anno, adoleſcit, eodem uergente, collabeſcit, donec tandem aerem, in diatheſin, huic morbo aduerſantem, glacialis bruma transmutet.*

Theſ. 14. Nullum uero, in peſtilentia exquiſita, celebrius remedium et auxilium eſt, quam, ſecundum HIPPOCRATIS monitum, *de Nat. Hom. n.19.* et CELSI, aliorumque, fugere, et permutare ſolum. Hinc quoque HIPPOCRATES, *Epid. lib.6. Sect.5.* terram mutare, in longis morbis, bonum depraedicat. Si iſta fuga fiat quam citiſſime in terras longinquas, ibique

diturna

diuturna fiat commoratio, et tardiſſimus inde reditus. Sicut et profuit in morbis frigidis, ex loco frigidiore in calidiorem diſcedere, ut ſaepius eſt obſeruatum, eluſo alio omni pene remedio. Prout quoque uariolae, et morbilli epidemici, hiemali tempore, uel penitus deſinunt, uel rarius adgrediuntur, et languidius. Illa tamen obſeruatio meretur attentionem, quod, ſi ab ipſa terra iſti ueniant halitus noxii, ubi iam iam ipſa graſſatur peſtis, in loca editiora confugiendum, montana, et altiora, quae iugibus uentorum flatibus perluſtrantur. Eteſiae uero, ſeu boreales uenti, utiliſſimi omnium, ſicut Aegypto, quouis anno. (*b*) Num uero ſecum ferant ex uicino mediterraneo mari acidam exhalationem, probat KIRCHERVS, *Scrutin. Peſt. Sect. 1. cap. 11. §. 6.* Parili modo faciendum eſt, cum peſtis ab humido et graui aere fit. Sed, ſi aer alibi infectus, et ex longinquo delatus, inſpiratione inficit, in loca conuallia et depreſſa confugiendum, quin et in terrae cauernas, ut Athenis factum eſt, memorante THVCIDIDE, *lib. 2. de Bell. Pelopones.*

Theſ.

b) Reſpice hic ea, quae antecedentibus, *ſub nota g. p. 808.* ex Helmontio, Hippocrate et Varrone, mox adduximus; pluribus *adhuc* de his inſtrueris, euoluens PROSPERVM ALPINVM, *tr. de Med. Aegyptiorum, lib. 1. cap. 8.*

Theſ. 15. In omni peſtilentia putredinali, ſolenne hoc eſt fugae artificium, ſicut et factum eſt in nupera Polonorum. Hinc IVSTINVS, *lib. 16. cap. 3.* ſcribit, Boeotiis peſtilentia laborantibus, oraculum Delphis reſpondiſſe, ut coloniam in Ponti regione, ſacram Herculi, conderent. Et praeſtat omnibus amuletis, Thraſonis illud Plautini: *ſtare poſt principia*, & quod nonnulli electuarium, uel amuletum de tribus aduerbiis, uocant. Vnde uerſiculus:

Haec tria tabificam pellunt aduerbia peſtem,
Mox, longe, tarde, cede, recede, redi.

Ac, ſicut hiems ualida extinguit putrefactionem, ſic peſtis, in aeſtu quoque uehementiſſimo, non adeo ſaeuit; *i*) dum humidum exſiccatur in totum, ſine qua nulla fieri poteſt putrefactio. Sic ingens calor, ouum coagulat, minor uero, diu continuatus, in liquorem putridum conuertit. Ideoque obſeruatum eſt, peſtem, magis autumnalem eſſe, quam aeſtiualem, quod meretur attentionem. Sic peſtis Stockholmenſis An. 1710. ſub autumnum magis ſaeuiebat.

Theſ. 16. Cumque morbus hic epidemicus, contagio humano praeſertim ſerpat, hinc Magni

i) Hoc, in peſte annua Cayreenſi, obſeruauit PROSPER ALPINVS, *tr. de Med. Aegypt. l. 1. c. 15.*

gni Duces Hetruriae, multoties ſuas terras conſeruarunt a clade publica, per excubias in finibus et uiarum compitis poſitas, quae omne hominum et rerum commercium, capitis poena, iſto tempore, prohibent atque interdicunt. Idem nuperis annis factitatum legimus in finibus Brandenburgenſium, omni commercio rerum, hominumque conſortio exterorum, per excubias impedito. Contagii uero, per homines maxime propagabilis, cauſa, haec mihi uidetur, quod, ſicuti ſingula propemodum animalia diuerſis gaudeant alimentis, uidentur illa putredinem exinde contrahere, quae ſui generis animalibus magis noceant, quam generis diuerſi, pari partium configuratione et elaſticitate non gaudentium. *k)* Et notum eſt, ſaepe graſſatam fuiſſe in noſtro Septentrione nunc peſtem bouinam, nunc porcinam. Vt taceam, quod a pomo putrido, pomum citius, quam pirum, putredinem concipiat. Sic pediculi in ſolo homine reperiuntur tales, quales ibi conſpicimus, nec in alio animali degere uolunt. Sed contagio haecce intelligenda uenit, de peſte ex cadaueribus humanis putrefactis orta; nam, quae fit ab aliis rebus, omnia promiſcue animalia corripiet, eundem aerem inhalantia.

Theſ.

k) Praeter aliorum animi affectuum, effectus, terroris, hic notare decet, quo maxime contagium propagatur. Vnde RIVINVS, *lib. de peſte pag. 30.* ingenue fatetur, ac ſancte teſtatur, ſe in pe-

Theſ. 17. Mitius praeterea agere peſtilentia ſolet, quando tempore morbido, ex urbibus abiguntur omnes opifices ſordidi, quales, qui coria depſunt, cerdones, coriarii, pelliones, atque id genus alii; item opiliones, bubulci, ſubulci; item canes, ſues, hirci, feles, uel necandi, uel abigendi, necati uero, altius ſepeliendi. Venti quoque quam maxime adſpiciendi, ita, ut feneſtrae ab illa plaga, unde peſtis uenit, arcte claudantur, ab alia aperiantur. *l*) Omnia porro balnea et laconica ſunt claudenda, namque eorum uſus maxime noxius. Omnes denique pauperes, qui male uiuunt, et male habitant, extra urbes agantur; namque in his,

ſte nouiſſima Lipſienſi, nullum hucusque uidiſſe aegrum peſte laborantem, qui non a terrore eam contraxerit. Ex hac cauſa fieri iudicat BAGLIVIVS, *lib.* 1. *Prax.* 131. quod in principio febrium malignarum, atque ipſius peſtis, tam multi pereant. Haec igitur reſpiciens DIEMERBROECKIVS, *l.2.de Peſte,p.188.* nullum ſalubrius praecauendi conſilium et auxilium eſſe, perhibet, quam animo eſſe forti, et in utramque fortunam parato, atque eum in finem ſubinde generoſi hauſtum uini aſſumere, ita tamen ne excretiones naturales turbentur.

l) Hoc abunde antecedentibus notis, ſub lit. *g.* et *h. p. 808. et 811.* explicatum ac demonſtratum fuit. His addenda HIPPOCRATIS obſeruatio, obſeruatione ſedula notantis: morbos putridos, Cranonae et Abderis regnaſſe, quod auſtro ſolo liberum

his, peſtis aſſiduus reſidet fomes, propter ſitum et quisquilias. Hinc Athenienſes Periclem comminati ſunt, cauſamque horrendae illius peſtis fecerunt, quod multitudinem agreſtem in urbem coegiſſet, teſte PLVTARCHO, *in Vita Periclis.* Veſtes inſuper pelliceae, et ex bombyce contextae, uitandae ſunt, quia receptum facile contagium abſcondunt, alio tempore, tanquam Lernaeam Hydram, innumerabili malo, repullulaturum. Et in Sacris, *Leuitic. cap. 13.* de fomite leproſorum talia habentur. Terrae quoque crepidines, antra, ſpecus, hiatus, et barathra, uirus exſpirantia, ſi poſſibile, obruenda, et opplenda ſunt. Cadauera inhumata, tumulanda altius, ne expiret uapor, uel cremanda, quod omnium optimum.

Theſ.

---

admittentes acceſſum paterent. Notatu quoque digniſſima ſunt, quae habet PLVTARCHVS, *de Curioſit.* Patriam nempe ſuam, Chaeroneam, Fauorino oppoſitam uento, ſolisque radiis, ſub ueſperam Parnaſo incumbentis, expoſitam, uerſus ortum a Chaerone, per EMPEDOCLIS, Phyſici et Mathematici egregii, prudentiam, ſine qua omnis medicina eſt manca et mutila, peſte, qua frequenter affligebatur, liberatam fuiſſe, obturato montis quodam hiatu, unde odore grauis, et pernicioſus inſpirantibus, in planitiem exhalabat auſter.

Theſ. 18. Solum itaque, non tantum ob aeris naturam, ſed quoque ob exhalationes, ſaepe aegro uertendum eſt, ut curetur. Et, uel quiuis in ſe obſeruare poteſt, ex mutatione regionis, habitationis, et loci, ſe male in principio affici, donec iſti climati, et ſoli ipſius indoli, adſueuerit. Hinc refert GALENVS, *l. 5. Therap. Meth. cap. 12.* eos, qui Romae deſtillationibus aſſiduis obnoxii, ulcere pulmonum laborarent, ad Tabias receſſiſſe, aeris ſiccioris locum. Sic in Belgio, qui paludibus uicini, ſcorbuto adficiuntur, aliter fere curari nequeunt, niſi in loca arenoſa Geldriae, uel circa Rhenoburgum Hollandiae, ſe contulerint. Ideoque medicus, in hoc negotio, locorum optime peritus eſſe debet, et Geographiae non ſolum, ſed et Topographiae. Vnus autem STRABO ſufficeret illis, qui loco auſtraliora inhabitant, quum adcurate ſatis naturam uentorum, ſolique, et ſpecus, ac paludes, annotauerit, in ſuae Geographiae carioſiſſimis libris. Tum VITRVVIVS. Sed, in noſtro orbe, talia adhuc deſiderantur, et uilipenduntur. Sic peſtis Aegyptiaca et Cayrenſis, increſcente Nilo, flumine, menſe Iunio, deſaeuit, ex effluuiis nempe nitroſis, quae Nilo adeſſe, etiam ueteres obſeruarunt, ut praeter alios, annotauit nobiliſſim. BOYLE, *de Nat. determinat. Effluu. cap. 4.*

Theſ.

Theſ. 19. Atque haec dicta, fuere externa auxilia, non adeo medicamentoſa, quamuis et haec, et omnia alia, morbis contraria, ſint medicamenta, licet non ſemper ex pharmacopolio petantur. Peſtilentiae autem curatio eo difficilior, quia ipſa anni tempeſtas morbo fauet: plerumque enim hominis natura, Vniuerſi poteſtatem non ſuperat, exclamante ſic HIPPOCRATE, *de Dieb. Iudicat. num.* 1. Illa quidem medicamenta praeſeruatoria dici poſſunt, praeter iam enumerata, quae augent uim cordis, et tranſpirationem Sanctorianam. Vnde, aucta hac, atmoſphaera, nos ambiens, fit maior, aerque longius a nobis propellitur, minusque in nos grauitat; ſed, talia remedia, quae tranſpiratum, quod non niſi optimae ſanitatis eſt conſequens, augebunt, et conſeruabunt, debeant primo ſanitatem amiſſam reſtituere, et reſtitutam conſeruare. Talia uero, non unius ſunt nominis, ſed ex toto medicinae penu depromenda ſunt, nec ad inanes quosdam pulueres, antimonium diaphoreticum, aut mercurium Paracelſi diaphoreticum, remittenda.

Theſ. 20. Quodcunque uero remedium, ueneno per ſudores et ambitum corporis diſſipabili, inſeruiens, Arabibus olim Pazar, uel Bezoar, dicebatur, quaſi contra uenenum, a *Pa*, contra, et *Zahar*, ueneno. Vnde poſtea omne antipeſtiferum medicamentum, ſeu antidotum, Bezoarticum uocatum. Et lapis ille in Indicis capreo-

 lis,

lis, aliorum more calculorum, ex terreſtri et pauca animali materia concretus, poſtquam cum acido congrediens, ſudorifera ſua ui, in quibusdam morbis, ſeſe manifeſtaſſet, Bezoarticus dictus, et promiſcue poſtea in omnibus morbis, quamuis irrito cum ſucceſſu, ſudore curandis, uſurpatus fuit. Sic Eduardus, Angliae Rex, in Expeditione Hieroſolymitana, quando in urbe Acca uulneratus fuiſſet gladio toxicato per Passiaſinum Soldani, lapide Bezoartico curatus eſt, referente PETRO APONANO, Conciliatore, *de Venen. cap. 83.* Quod quidem facile credo, cum uenenum forte fuerit acidum. In peſte uero, per illa loca, ubi regnat, quotannis deprehenditur uerum eſſe, antiquum illud PAETI, ad Regem Perſarum, Artaxerxem, dicterium: Τὰ φυσικὰ βοηθήματα ȣ̓ λύει τὴν ἐπιδημίαν λοιμικȣ̃ πάθȣς· Adeo triſte hoc peſtilens malum omni aeuo fuit.

Theſ. 21. Nec ea nunc eſt temporis felicitas, qua fruebantur ueteres Romani, dum peſtilentia, clauo a Dictatore fixo, ſedabatur, ut ſcribit LIVIVS, *lib. 7. Rer. Roman.* Neque per facta Lectiſternia, Apollini, Latonae, Dianae, Heroali, Mercurio, atque Neptuno, ut idem habet, *lib. 5.* abigitur. Neque per libros Sybyllinos apertos, aut per Aeſculapium ex Epidauro accerſitum, ut *lib. 10.* narratur, extinguitur. Qui Aeſculapius, tum uocatus fuit, quando, ut canit OVIDIVS, *lib. 15. Metamorphoſ.*

Dira

Dira lues quondam Latias uitiauerat auras,
Pallidaque exſangui ſqualebant corpora morbo.
Funeribus feſſi, poſtquam mortalia cernunt,
Tentamenta nihil, nihil artes poſſe medentum,
Auxilium coeleſte petunt. (*m*)

Neque ulla loca peſte libera ſunt putrida, ſi fodinas excipias. Locris quidem et Crotone peſtilentiam nunquam fuiſſe, annotat PLINIVS, *lib. 2. c. 96.* Hinc apud STRABONEM, *Geograph. l. 6.* extat prouerbium uetus: Κρότωνος ὑγιέστερον. Prece pia, et fiducia in Deum Trinunum, totum opus efficitur, qui iubeat Angelum ſuum, ſicut in peſtilentia Hieroſolymitana Dauidis, gladium uaginae intrudere. Cum uero per remedia, idem Numen, ſua nunc fieri miracula uelit, in illa inquiramus.

m) Panaceae, et, quae de earum praeparationibus, et uirtutibus, dicuntur, ſuauia ſunt ſomnia partim, partim aniles fabulae, quibus quoque CALLIMACHI, Poetae Graeci, commentum, *Hymn. in Apollin.* annumerandum, fingendo canentis, quod ex Apollinis crinibus panacea quaedam ſtillet, cuius guttae, ubicunque illae in terram deciderint, omnia reddant incolumia, omnisque calamitatis et morbi expertia. Si hic, Chriſtianorum ſequens caſtra, per Apollinem, Deum uerum, trinunum, per panaceam

Theſ. 22. Prodeſſe ergo in peſte, auctores uolunt, ut et in febribus quibusuis acutis, poſt uenae ſectionem, omnia, quae ſale uolatili abundant, e. g. tincturam illam lapidis bezoartici, cui falſo ſalem tribuerunt uolatilem, guttatim cum aliis medicinis permiſtam, alteramque illam eiusdem nominis, ob ſpiritum uitrioli, in hos uſus, multo nobiliorem, tum raſuram unicornu atque eboris, ſanguinem hircinum, ſpiritum et liquorem cornu cerui, et ſal uolatile uiperarum, eo praecipue ex argumento, quod putredinem omnem in ſal acidum tendere crederent. Et quaſi ſuorum obliti dogmatum, rurſus ad contraria remedia dilapſi ſunt, ſtercus ſcilicet columbinum, ouinumque, et camphoram, in hoc caſu excellentiſſimam. ZACVTVS inſuper, cocci cuiusdam Moluccenſis puluerem in peſte mire laudat, *de Hiſt. Princip. Med. lib. 4. Hiſt. 51.* Et quae praeterea in hunc finem a Medicis commendantur. Animalium autem dictorum excrementa, ob hanc rationem proſunt, quia ex ſcybalis eorum, quae fabis, piſisque, et gramine ſolo paſcuntur, nitrum elixiuiari ſolet. Haec uero iam dicta, pro particularum ſuarum figura, corporis uaſa ſtimulando, augere motum oſcillatorium fibrarum, ſicque ſudores procurare, et conſequenter miaſmata

uero, diuinam benedictionem, omnibus acquirendis bonis parem, ac ſufficientem, intelligas, nullus dubito his meum addere calculum.

mata morbifica, per orificia et ſpiracula externa, in auras expellere creduntur.

Theſ. 23. Venditant pariter nonnulli ſuos pulueres, ſuos ſpiritus, aut alia arcana, ignis tortura proleсta. Sed tranſeunt multa ex his in uenena potius, quam remedia. *Nec dubium eſt*, dicente PLINIO, *lib. 29. cap 1. omnes iſtos, famam nouitate aliqua aucupantes, animas ſtatim noſtras negotiari.* Et paulo poſt: *palamque eſt, ut quisque inter illos loquendo polleat, imperatorem illico uitae noſtrae necisque fieri.* Et rurſus: *itaque hercule, in hac artium ſola euenit, ut cuicunque, medicum ſe profeſſo, ſtatim credatur, cum ſit periculum in nullo mendacio maius.* Namque, ut dicit HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA, *de Vanit. Scient. cap. 83. Magna quoque praeſtantia medicus eſt, quem uſurpata pomposa ueſtis, et intermicantes crebris hyacinthis digiti commendant, et cui remota patria, uel longa peregrinatio, aut diuerſa religio, ad fallendum efficaciſſima frontis impudentia, magnorumque remediorum conſtans inconcuſſis mendaciis iactantia, auctoritatem, famam, fidemque conciliarunt.* Quibus, inquam, pulueribus, et arcanis ſuis, addere ſolent aurum, ut ſint cardiaca. Num uero in morbis acutis, aurum aliquid ualeat, ſane dubito, cum potius Trincauelliano dicterio, aurum tum optime

cor et ſpiritus exhilaret, cum quis eo in crumena abundauerit. In chronicis certe morbis, aurum, mercurius, et omnia ſolida ac ponderoſa, proſunt.

Theſ. 24. Nec ulla ars, ulla unquam eſt ſcientia, quae tot falſis laborat artificibus, ac medicina, chirurgis uidelicet imperitis, (nam peritos magni facio,) pharmacopoeis, obſtetricibus, aniculis, ſenibus, et neſcio non quibus medicinam internorum morborum facientibus. De cuius rei ueritate cum dubitaret Alphonſus Eſtenſis, Ferrariae Dux, ut refert IOVBERTVS, *de Vulgaribus Error. cap. 9. part. 1.* ſcurra aulicus famoſus, Gonellus nomine, contrarium adſtruxit, doloremque dentium, ſumto grandiori et frigus arcente pileo, in platea mentitus, quosuis obuios eſſe medicos, et nunc hoc, nunc illud ſibi remedium commendantes, inuenit, numerumque ingentem notatorum in ſchedula nominum ad Principem detulit, ipſo etiam Principe per hanc aſtutiam in medendi ſocietatem tracto, et Antonii Muſae Braſauolae remedium aliquod, ad ſimulatos dentium Gonelli dolores, protrahente. Et nouiſſima fuere Adriani Imperatoris uerba: *turba medicorum perii.* Bene ergo HIPPOCRATES: *οἱ ἰατροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί.* Sed illi ipſi, iuxta Poetam de uatibus, *Sermon. lib. 1. Satyr. 4.*

Ingenium cui ſit, cui mens diuinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis huius honorem.

Theſ.

Theſ. 25. De amuletis, Noſtris *Gifftſchilder*, ex achate, bezoartico, uel ſmaragdo lapide, coralliis, lacryma cerui, mercurio crudo, nuce incluſo, uel cum arſenico, addita arena, uel ſcorpione, eidem combinato, aliisque ex collo pendentibus, aut *Xenexeto* PARACELSI, et HELMONTII, *Tumul. Peſt. pag. m.* 884. ex buſone parato, item de amuletis ſacris, uariis literis, characteribus, crucibusque, ſuperſtitioſe inſcriptis, de quibus KIRCHERVS meminit, *Scrut. Peſt. Sect. 3. cap. 5.* illud, ut ſtatim concludam, tenendum eſt, non tantam, quam communiter circumferunt, ſed nullam fere uim ineſſe, niſi quae ab imaginatione forte prouenit. n) *Quippe, turpe eſt in omni arte, et non minime in medicina, multam turbam, et multam oſtentationem, et multum rumorem concitare, et deinde nullam utilitatem adferre*, aureum eſt HIPPOCRATIS *effatum, de Articul. n.* 40.

n) Magni quoque, in citato caſu, antiqui faciebant ſapphyrum, ſaturato coeruleum colore, et hyacinthum fuluum. Laudatur praeterea, hunc in finem, ſuccinum, et quidem, uti mihi uidetur, accommodatiſſime, cum temperatum acidum, perpetua ex ſuccino exſpiratione ſecedens, hic omni, quam ex rationis dictamine formauimus, indicationi ſatisfaciat. Dehinc quoque, uenenata et deſperata mali moris uulnera, nullo felicius et citius curantur remedio, quam ſuccino,

Theſ. 26. Magnetem uero arſenicalem, tam multum celebratum, atque Alexandro Sexto, Pontifice clarum, SEPTALIVS, *Animadu. lib. 5. ſſ. 58.* ZACVTVS, *Prax. Med. Admir. lib. 3. obſ. 45.* et DIEMERBROECKIVS, *l. 2. cap. 11. et l. 4. Hiſt. 44. et 99.* in Nouiomagenſi peſte, cui ipſi medebantur, periculoſum fuiſſe, et lethalem, obſeruarunt. Ex arſenico enim albo, ſulphure et antimonio componitur, ut uideatur uerius, acria ſpicula in corpus inhalare et immittere, quam uenenum eo recipere. Arſenicum porro, de collo geſtatum, Adrianum, Pontificem, peſte immunem conſeruauit. Idem ex hydrargyro fieri, produnt. Niſi quis forte argumentari uoluerit, acidum, arſenico, ſulphuri, atque antimonio, inhaerentem ſpiritum, putredinoſis peſtilentiae ſalibus contraria lucta opitulari et contrariari. Sed leuis iſta eſt metal-

lorum

per alcohol uini ſoluto. Confirmantur haec HELMONTII obſeruatione, in *Tumulo Peſtis*, referentis: quod Chirurgus, Hiſpanus, cognomento Guardiola, in obſidione Oſtendana, ſolo ſuccino rubro uſus fuerit, de pectore, per totum triennium, geſtato, tam felici ſucceſſu, ut ceteris e medio ſublatis, idem ſolus ſuperſtes in uiuis manſerit. Plurima uero periapta ſeu amuleta, ſunt anilia, ridicula, abſona et ſuperſtitioſa, quibus optimo iure conuenit PERICLIS ſententia, qui, teſtè PLVTARCHO, *in Periclis uita*, ex graui

lorum exhalatio, quamuis non negem, plurima metalla euibrare ſemper effluuia noxia, ut peculiari olim tractatu academico oſtendit uir ad medicinam et metallurgiam factus, nobiliſſimus D. ERICVS OCHELSTIERNA, medicinae Doctor, et Regii Collegii Metallici Stockholmenſis, dum uiueret, Aſſeſſor.

Theſ. 27. Non uero hoc fieri, credibile, per quandam ueneni peſtilentis putredinoſi cum arſenico pororum conuenientiam et configurationem, aut, incerto magis titulo, magnetiſmum, niſi peſtilentiam arſenicalem quis contendat, tum enim facile largiendum. Hinc quoque peſtis putredinoſa rariſſime uel nunquam eas corripit regiones, ubi uel cuprifodinae ſunt, uel ubi effoditur mercurius. Hinc Iſtria, mercurii feraciſſima regio, aliis terris uicinis peſte anhelantibus, tuta eſt atque immunis per halitus mercuriales acidos, ex fodinis erumpentes, ae-

reſtitutus morbo, amicis interrogantibus, quam grauiter laboraſſet, ad illos conuerſus, amuleta, quae ab agyrtis collo appenſa fuerant, monſtrauit, dixitque: quod inde manifeſta truculenti morbi indicia, huiusque ſaeuitiam, mentisque eo tempore alienationem perſpicere poſſent, cum mentis compos et ſanus, tales quisquilias nugasque aniles nunquam admiſiſſet. Optimum certe amuletum, certamque methodum praeſeruandi, ſpem et fiduciam, Deo confiſam, ſuffitus congruos et frequentes, accommodata maſticatoria,

remque putredinoſum corrigentes. Et refert ELIAS CAPREOLVS, *in Annalibus Brixienſibus*, celebratiſſimam illam peſtem, quae GALENI tempore, ſub M. Antonio, Imperatore, erat, Brixiam non attigiſſe, tota circum Italia miſere mulctata: quod mihi uidetur factum, propter exhalationem fabrilium fumorum ex metallis. Potius ergo in eam rem conuenient, amuleti uice, acetum naribus ſpongia adplicatum, domus aceto perſpergenda, cibusque acidis condiendus: uel et acida uegetabilium ex citro, iunipero, uel ſambuco, ore maſticata, aut naribus adplicata, quae ſic acrimoniam alkalinam aeris reſpirandi obtundere poterint; ſicut memorat HERODIANVS, *in Commodo*, guſtaſſe eos peſtilenti tempore, pilas ex odoratis, quas naribus admouerent.

Theſ.

crebramque ſaliuae reiectionem, et modicum uini meracioris hauſtum, eſſe, iudico. Ad hilaritatem quoque, et curarum obliuionem, terrori et moerori oppoſitam, conciliandam, praeſcribenda interdum, aliisque remediis ſocianda refracta doſis opii, croci, laudani liquidi Sydenhami, remedia, ad triſtitiam pellendam, abigendam, nulli ſecunda. Maximam porro utilitatem, ad ſanitatem, tum defendendam, tum reſtituendam, uina ſulphurata et picata hic afferunt, ſi nempe peſtis graſſetur putredinoſa. Nec ullum uinum in tali peſte aegris dandum eſſe, cenſeo, cuius pocula non prius ſulphuris fumo fuerint imbuta.

Theſ. 28. Sed, de febrium acutarum curandi methodo uulgari, meam hic celare opinionem non poſſum: nam, de amuletis iam dixi breuiter. Quod attinet uenaeſectionem, illam puto in omni febre putrida eſſe neceſſariam, ſed in primo morbi inſultu adhibendam. Hinc HIPPOCRATES monuit, *de Vict. Rat. in Acut. n. 35.* in acutis morbis uenam ſecare. Sic enim, non tantum pars quaedam acredinis per uenae uulnus abit, ſed uaſa ipſa arterioſa minorem ſanguinis copiam facilius ſuis oſcillis et reciprocis contractionibus tolerant, uiamque in itinere haerentibus expediunt, et coagulatum, in bonum ſanguinem, huc illucque uentilando, reſtituunt, uel expeditius liquida ad laterales ramos adplicando, acredinem ſic per cutim amandant. Poſt uenam ſectam, porro locus ſaepe fit medicamentis, in uenas ingreſſuris. *Et, quia ſublata multitudine per ſectionem uenae, quod reliquum eſt, facilius a natura euincitur,* dicente I. C. CLAVDINO, *de Ingreſſ. ad Infirmos, lib. 2. cap. 3.* medicamentoſa quoque uis, magis utilis eſt, ac potens.

Theſ. 29. Accedit, quod, ſi pulmones, uel a tali acredine aeris alkalina, uel ab arſenicali flatu, uel mechanico, aut uerminoſo acri, laedantur, minorem impulſum diminuti liquidi facilius ferant, quam maiorem impetum liquidi totius: cum omnia uulnera, conſolidanda, requirant quietem. Hinc quoque cl. SYDENHAM refert.

Obſ.

Obſ. Med. circ. Acut. Sect. 2. cap. 2. largam uenae ſectionem, per chirurgum, in praeſidiariis caſtri Dunſtar, tempore maxime peſtilenti, inſtitutam, omnes ſeruaſſe; quod et obſeruaui in febre Hungarica illa, quae noſtros corripuit milites et nautas, Anno 1710. ad littus Careliae. Venae enim ſectionem tempeſtiue paſſi, omnes euaſerunt; reliqui contra. Sed, uenam ſecare, poſtquam apparuere glandularum tumores, ſeu bubones, natura ibi uirus deponente, maxime periculoſum eſſe puto, ſicut et idem in peripneumoniis, et pleureſi, per ſputa bona, cocta, alba, inodora, iudicatis, pariter eſt pernicioſum. Vis enim illa uitae, quae materiam in illa loca critice deponeret, tollitur, et aeger perit, magna cum uenae ſectionis contumelia.

Theſ. 30. Et, ſicuti contingit interdum, naturam in bubones amandare uirus, prae tamen nimia copia ſiſtitur impetus, nec bubo ad plenum attoli poteſt, niſi minuto ſanguine, prout in peſte et uenerea lue aliquando factum fuiſſe, uarii auctores docent, et ipſa ratio atque experientia ſuadent. Foueri interim bubones poſſunt emplaſtro de mucilaginibus, de meliloto, uel ſolis ficubus calefactis, ſicuti Rex Iehudae, Ezechias, Diuini Vatis, Eſaiae, monito, *2. Reg. c. 20.* ulceri peſtilenti ficus adhibuit, uel et cepas ſub cineribus toſtas, addito fermento acri, et hirundinum nido. Atque, ubi ſic maturuerint, aperiendi ſcalpello, et, ut uulnus, curandi. Vel ranae imponuntur uiuae, aut mures diſſecti, aliaque

emollientia, reſiſtentiam ſublatura, et fotu ſuo pus bonum allecti humoris procuratura.

Theſ. 31. Praeterea uenae ſectio, copiam ſanguinis minuendo, attritum ad uaſa, hoc eſt, calorem, minuit, et conſequenter reſiſtentiam in uenis ad capillaria arterioſa; unde impacta, antrorſum et retrorſum in anguſtioribus iam arterioſorum canalium diametris, et quaſi uenoſis, uentilata, reſoluuntur, inque uenas abripiuntur, fitque circulus liber, ac ſic non tanta liquidiſſimi portio per emiſſaria egreditur. Hinc eo ſenſu, ut clariſſ. BELLINVS, *de Miſſ. Sang. Propoſ. 5.* docet, uenae ſectio refrigerat, et humectat arentes alias fauces, et uaſorum canales, ſitimque, liquida meabilia reddendo, tollit. Quicunque uero ea, quae inflammata ſunt, ſtatim in principio morborum, medicamento ſoluere adgrediuntur, hi de intento quidem ac inflammato nihil auferunt: non enim remittit affectio, quae adhuc cruda eſt, aureum eſt HIPPOCRATIS dictum, *de Vict. Rat. in Morb. Acut. n. 36.*

Theſ. 32. Et, quando uenae ſectio omiſſa fuit, uaſa ſaepe rupta conſpiciuntur in cadaueribus, poſt mortem apertis, ſanguine in cauitatem aliquam corporis congregato. *o*) Interdum uero natura,

o) Recordor iuuenis, uiginti circiter annorum, maxime plethorici, qui, uariolis affectus, neglecta uenae ſectione, hic ſumme neceſſaria, mox in pleuritidem incidens, ſuffocatione miſere pe-

natura, hoc eſt, cordis motus, et ſanguinis ac uaſorum mutua ad ſe inuicem habitudo, per alias uias, ubi minor eſt reſiſtentia, ſibi exitum parat, per nares, aures, oculi angulum, aluum aliquando, mirabili certe metaſtaſi, per uirgae canalem, quod EDMVNDVS *de* MEARA, *Hiſt. med. rar. pag. m.* 127. ſe obſeruaſſe ſcribit. Hinc HIPPOCRATES, *Epidem. l.1. Sect.* 2. ſic de hæmorrhagia epidemia loquitur: *Eruptio ſanguinis per nares, naturae criſi, omnes febricitantes ſeruauit, reliqui moriebantur.* Quod et Ao. 1710. in plurimis obſeruaui, idque in principio morbi, ſed, ubi haemorrhagia incepit, morbo iam adulto, et coacto per pulmones ſanguine, lethalis erat.

Theſ. 33. Eadem uero uenae ſectio, ſicuti excellentiſſimum aliquando eſt remedium, ita aliquando uenenum eſt potentiſſimum. Namque ex peſtilenti ueneno tam uelox, tamque totale aliquando fit coagulum, ut pauco fluxili demto liquido per uenae ſectionem, uita protinus tol-

riit. Alius pariter memini, eodem laborantis morbo, in quo, ſecta uena, ſed parciore ſanguinis parte, minus ſufficiente, euacuata, cum uenae ſectionem, denuo repetendam, ut medicus iunior, continuantem ex plethora aeſtum, anxietatem, uaſorum plenitudinem reſpiciens, ſuadebat, ex conſilio medici ſenioris repudiatam, neglectam, mox mors ſequebatur, cui uberior ſanguis effluxus per nares, ipſamque

tollatur, reliquo inerti atque immeabili. Omnibus porro non conueniens eſt, cum alii eam plus iuſto reformident, non aliter, ac Romanis olim militibus, referente GELLIO, *Noct. Attic. lib. 10. c. 8.* ignauis, ignominiae cauſa, tunderetur. Perpulcre itaque CELSVS, *lib. 2. c. 20. Sanguinem, inciſa uena, mitti, nouum non eſt: ſed nullum pene morbum eſſe, in quo non mittatur, nouum eſt. Ergo uehemens febris, ubi rubet corpus, plenaeque uenae tument, ſanguinis detractionem requirit: item uiſcerum morbi, neruorumque reſolutio, et rigor, et diſtentio: quidquid ſupprimit ſubito uocem: quisquis intolerabilis dolor eſt: et quacunque de cauſa ruptum aliquid intus atque colliſum eſt: item malus corporis habitus, omnesque acuti morbi, qui modo, ut ſupra dixi, non infirmitate, ſed onere nocent.* Haec CELSVS.

Theſ.

que mentulam, ſuccedebat. Non eſt igitur, ut timeas, ſecta in plethoricis ſubiectis uena, reuelli ac reuocari a ſuperficie corporis ad cor materiam peccantem, uti quidam temere credunt; abhorret idem a legibus circuli ſanguinis; imo, tantum abeſt, ut, detracto ſanguine abundante, uariolae, morbilli, aliaque exanthemata, ad interiora recedant, ut potius, minuta ſanguinis preſſione, et liberiori reddito ſanginis circulo, liberior, facilior et promtior fiat impuritatum ſeparatio.

Theſ. 34. Sed, ſi in aliquo pectoris morbo uena ſecatur, facto iam pure multo in pulmone, tollitur uis illa uitae, quae hoc pus per ſputa expelleret. In pleuritide tamen ſanguis tam diu educendus eſt, donec pellicula alba, ſeroſa, in ſuperficie emiſſi ſanguinis adpareat. Quae nihil aliud eſt, quam ſerum ſanguinis, per calorem corporis, ex corde crebrius contracto, attrituque ſolidorum ac fluidorum, excitatum, et diſſipatione fluidiſſimarum partium, per eandem cauſam, a foedere reliquae maſſae ſeparatum, et coagulatum. Atque haec de uenae ſectione.

Theſ. 35. Pulcre THESSALVS, *in Orat. ad Athenienſes*, non omnia loca, eadem ferre auxilia, cenſet, eo, quod non omnis ambiens nos aer ſimilis ſit. Hinc, non omnia remedia, omnibus aeque locis, conueniunt. Calidioribus autem locis, eo minus ſudorifera et hydrotica conferunt remedia, quo continuis exuſta ſolibus, non poſſint non ſemper arere, et humidum ſitire. Ergo ſudorifera, ad hunc curandorum febrilium ſcopum ignium, cum grano ſalis accipienda ſunt, licet nihil magis, in omni morbo curando, crepent anus, et uulgus medicum, ignem igne expulſurum. Quies uero corporis et animi, meo quidem ſuaſu, in ardentibus, quam maxime imperanda, et procuranda. Quo enim plus exercetur corpus, eo plus incaleſcit, eo magis putreſcit, alkaleſcit, et uiam ſibi ſternit ad ineuitabilem mortem. Quamuis enim nobis

bis ignota ſit humorum uera configuratio et textura, per experientiam tamen nouimus, febrilis ſanguinis, ualide moti, progreſſum, exitum et declinationem in ſal uolatile putridum, natura ſic dirigente, id eſt, ſolidis et fluidis elaſticis.

Theſ. 36. Nimirum ſatis iam euictum eſt, febres epidemicas, quam maxime contagioſas, exceptis, quae ab arſenicalibus fumis, aere graui humidoque, dependent, originem ducere ab interna uel externa concepta putrilagine, ſeu reſolutione et attritione ſalium oleorumque nimia, quae alkali fundit acerrimum, uiſcera flagellans, atque inflammans, et liquidum ſeroſum coagulans. Nam, quae minus contagioſae ſunt, et ab acribus, ſpinisque uiſibilibus, in partes neruoſas externe infixis, uel motu, affectu, acidorum, alkalium, ſalſorumue ingeſtione, cibi, potuumue, fermentatorumque, copia, fiunt febriculae, et ſingulares tantum homines occupant, pari modo ludunt, et ſimiliter fabulam ſuam percurrunt.

Theſ. 37. Hinc, quo magis ſudorifera, ſtimulantia, et calida propinantur, eo magis magisque incraſſatur, indureſcit, et confirmatur ab impulſu uaſorum, haerens in capillaribus obſtructio, et ſanguis, ueneno iam coactus, eiusque ſerum, uiamque ad mortem ſternunt praeſentiſſimam. Ideoque HIPPOCRATES, *de uict. rat. in acut. n. 12.* Calefactoria, ut hordeum, eruum, et acetum, in marſupium coniecta, uel

ſal et milium torrefactum, loco pleuritico impoſita, ſi dolor non ſoluatur, non multo tempore adhibere oportere, inculcat, Nam, quotidiana et culinaria quoque conſtat experientia, illud, quod calor lenis, ad exemplum incubantis gallinae, reſoluit, et eliquat, ab intenſiore calore, craſſeſcere, coagulari, atque indurari. Sed maxime in hunc cenſum memorabilis eſt locus HIPPOCRATIS mei, *de Morb. l. 4. n. 32. Caleſcente ſanguine, exhalat maxime per hunc humor aquoſus, qui febri eſt infeſtiſſimus. Relinquitur autem pinguis ac leuis, qui eſt linquitur bilioſus, et febri maxime nutrimentum eſt. Exhalat autem hoc modo, uelut ſi quis aquam et oleum in uas aeneum infundat, et, lignis multis ſubiectis, ad multum tempus exurat. Aqua enim multo paucior erit, ex uaſe enim exhalabit, oleum autem paullulum imminuetur. Nam, aqua prae raritate attenuari ab igne poteſt, et leuis reddita, exhalare.* Et, quae ſequuntur. Quid pulcrius dici uel legi poteſt? Aegri itaque, iuxta eundem, *Epidem. l. 4. n. 30.* in ardentibus multum bibant.

Theſ. 38. Adeoque ex abuſu ſudoriferorum in febribus ardentibus, tam lugubria ſaepe ſpectacula, mortesque frequentes uidemus: quum, ſuo iam tum tempore id ipſum querente celebratiſſimo Doctore Coo, *in libr. de rat. uict. in morb. acut.* οἱ μὴ ἰητροὶ δοκέουσιν εἶναι διὰ ταύ-

τας

τας τὰς νόσȣς. Bene HIPPOCRATES, *de Leg. pag. m. 9. n. 1.* qui ſic: *medicina, omnium artium praeclariſſima eſt, uerum, propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, et ob uulgi ruditatem, quod tales pro medicis iudicat, et habet, iam eo res deuenit, ut omnium artium longe uiliſſima cenſeatur.* Praeſertim autem, cum in tali morbo, in alcali, acerrimum putrefactum ſaponaceum, dominatur, non dubitant tamen quidam practici et medicaſtrae, Aeſculapii filii filiaeque ſpuriae, ſalia et ſpiritus eiusdem naturae, et pulueres ſudoriferos praeſcribere aegro, et ad nauſeam usque obtrudere, aduerſus Hippocraticum praeceptum, *lib. 6. Epidem. part. 5. Aph. 7.* medicationem dici, contrarium eſſe morbo, et reluctari, ſaniſſime ſuadens. Quod quoque ingeminat, *de Loc. in hom. n. 51.* et *de morb. Sacr. n. 28.* ubi ſic inquit: *oportet tum in hoc morbo, tum in reliquis omnibus, non augere morbos, ſed feſtinare, ut ipſos exteramus, id, quod aduerſiſſimum eſt morbo, exhibendo, non quod amicum et familiare. A familiari enim et conſueto, febrit ac augeſcit, ab aduerſo uero et hoſtili, perit et diſſipatur.*

Theſ. 39. Maius namque incrementum febris exinde accipit, humidaque omnia tenuiora in auras diſſipantur, remanente maſſa coagulata et torpida, breui alkaleſcente, et partium gangraenas inducente. Sicut et uidemus, praematurum in febribus ardentibus et dyſenteriis ge-

latinarum carniſue eſum, recidiuam generare, carnibus non in alimentares minutias, ſed in putrilaginem acerrimam alkalinam abeuntibus, prout HIPPOCRATES paſſim in uictu acutorum adnotauit. Sudor namque, iuxta eundem HIPPOCRATEM, *Praedict. lib. 1. n. 57.* multus et copioſus in acutis febribus malus eſt.

Theſ. 40. Omnia igitur acria, acutis non conueniunt morbis. Sic Scomphus, pleuritide correptus, ſumto pharmaco purgante, delirauit, teſte HIPPOCRATE, *Epid. l. 5. n. 1.* Sed omnes uictus humidi febricitantibus conferunt, iuxta *Aphor. 16. Sect. 1.* et *de Vict. Rat. in acut. n. 5.* ſic habetur: *ptiſana omnibus frumentaceis eduliis praelata eſſe uidetur in morbis acutis.* Ideoque, cum Octauius Auguſtus febre laboraret periculoſiſſima, ceteris medicis calida ſuadentibus, unus et ſolus obſtitit ANTONIVS MVSA, frigida danda contraria inculcans, Caeſaremque reſtituit, et ſibi aeternam memoriam et laudem comparauit, atque annulo aureo donatus, equeſtri ordini inſcriptus eſt, raro medicis hodiernis honore. Et remedium, quod in caloribus adſumſit Imperator, meo iudicio lactuca erat, in id tempus, ſuperſtitione quadam, damnata, obſeruante ſic PLINIO, *H. N. l. 19. c. 8.*

Theſ. 41. Et, ſi quid aliquando boni ex tam peruerſa medendi methodo in aegros transfluxit, naturae potius illud, quae iuxta Coum Senem, *Epid. l. 6. part. 5. aph. 1.* morborum medicus eſt, quam arti,

impu-

imputandum erit. Non enim hic ualet illud HIPPOCRATIS, *de Art. n. 7.* alioquin uerifſimum: *quae profuerunt, ob rectum uſum profuerunt, quae uero nocuerunt, ob id, quod non recte uſurpata ſint, nocuerunt.* Namque, ut cl. SYDENHAM, *Meth. Cur. Febr. Sect. 1. ſaepenumero inefficax medicamentum fortuna nobilitat.* Quin etiam pro ſua, qua fuit, in obſeruandis naturae, ſolertia, uerifſime adfirmat, *d. tr. Sect. 4. et Obſ. Med. circ. Acut. Sect. 2. cap. 2. S. 8. cap. 3.* nimium calorem in uariolis, ex aere loci, ſtragulis congeſtis, calidisue ſeu acribus et cardiacis medicamentis, inductum, malorum iliada ſaepe attuliſſe, phrenitidem, et abſceſſulos, ſeu uariolas numeroſiores, maiores, et acriores. *p)* Atque haec cura

 nimis

p) Decet non minus, tempore ſecretionis uariolarum, ab aere liberiore et frigido, quam a regimine calidiore, ac praecipiti remediorum expellentium et bezoardicorum uſu, quibus, aucta nimium ſanguinis commotione, materiae peccantis excretio impeditur partim, partim uariolae, reſoluta uniuerſa maſſa ſanguinea, in cutem, ante diem quartum, qui eruptioni fere proprius ac naturalis eſt, confertim propelluntur, ac per totam corporis ſuperficiem ita diffunduntur, ut iam malignarum more confluant uariolae, quae, euitatis calidis acribusque, ſic dictis cardiacis, diſtinctae, et malignitatis ex-

nimis anxia et rudis erat, obruendi ſcilicet aegros ueſte, ſudoresque omni modo ciendi, qua abrogata, Aſclepiades, Romae, tantam ſibi auctoritatem famamque peperit, teſte PLINIO, *lib. 26. cap. 3.*

Theſ. 42. Ampliſſimus SYDENHAM, Angliae Hippocrates, *Sect. 5. cap. 5.* peregregie ſic fatur: *appellanda hic mihi experientia, qua magiſtra edoctus ſum, et purpureas febrium maculas, et uariolarum puſtulas nigras, eo promtius ſumſiſſe incrementum, quo magis calefieret aeger, eadem uero, pro ratione*

pertes prodiiſſent, abſtrahere ac cauere. Omnia tum alcalia, fixa etiam, exulare debent, ac conuenientiſſima ſunt remedia, ſubacida, diluentibus ſociata, ac aer maxime temperatus, nec frigore, nec aeſtu peccans. Merito hinc cum clariſſimo IVOBERTO, *ſecond. Part. des Err. popul. chap. 6.* damno intempeſtiuam ſolicitudinem, quam adhibent nonnulli, mulierculae imprimis, ſuperſtitioſa et moleſte ſedula turba, aegrotos, uariolis decumbentes, ſtragulis obruendo, et fere ſuffocando, conclaue nimis calefaciendo, propinatis medicamentis acribus fatigando, potum diluentem denegando. Nec error, hac abſona medendi methodo admiſſus, uulgum latet, qui, pereuntibus ex hac cauſa aegrotis, dicunt: *Sie haben die Pocken durch allzuſtarcke Hitze verbrannt.*

ratione moderatioris regiminis, quod iis omnino debetur, decreſcere ſolere ac minui; liquidiſſimis uidelicet per ſudoris ſpiracula expulſis, reliqua uero coagulata ſeri offa, facilius haerente, caloreque loci et uaſorum uicinorum impulſantium attritu, in acredinem ualde inſignem alkalinam commutata, gangraenam partium, et ipſam mortem frequentiſſime excitantem. Atque ex purgantibus, et diaphoreticis uolatilibus, in principio crudi adhuc morbi, fiunt deliria, uigiliae, ſitis, anxietas, et alia mala, ut BAGLIVIUS annotauit, *Prax. Med. l. 1. c. 13. n. 1.* et *de Fibr. motr. lib. 1. cap. 6. Coroll. 4.* Et, dum medici quidam acribus alkalinis, et calore intenſiori, ipſum ſanguinem, leuiter morbidum, ſic incenderint, ut ipſe ſua alkaleſcentia, uiſcera ipſa, fatali gangraena, corripiat, neſcio, quam malignitatem, ab ipſis forte excogitatam, accuſant, omnino neſcientes, unde talis malignitas dependeat, ſicut ſaepe magna cum medicinae infamia, factitatum legi, etiam a medicis purpuratis, et ſupra communem ſortem magno fortunae fauore ſublatis. Ergo quies in ardentibus, ut ſupra monui, imperanda. Namque HERODICUS febricitantes interficiebat circuitibus, luctis, multisque fomentis, ut HIPPOCRATES habet, *Epidem. lib. 6. Sect. 3.*

Theſ. 43. Sanos reddere omnes aegrotos, impoſſibile eſt: hoc enim praeſtantius eſſet, quam praenoſcere in poſterum euentura, HIPPOCRATIS

CRATIS eſt effatum, *Praenot. n. 1.* Potius tamen, in tali caſu, et meo quidem iudicio, tutius longe, celebrata iam ſtatim ab initio uenae ſectione, dantur ptiſanae Hippocraticae, panatellae, ex pane biſcocto, et uitello oui, in aqua cum ſacharo confectae, et hordeata aromatica, ex ſucco citri, uel ribeſiorum, aut alio horaeo ſucco facta ſubacida, pomaque leuiter aſſata, item acida et nitroſa, parça manu ſaepe et itendidem repetenda. Hinc monet HIPPOCRATES, *Epid. l. 6. S. 2. aph. 2. et 51.* contraria, paullatim facta acceſſione, adhibenda eſſe, et interquieſcendum. Ptiſana quidem Hippocratica, ſorbitionis genus erat ex hordeo, pila tuſo, unde Graecis nomen ἀπὸ τȣ̃ πτίσσειν, ſortita eſt. Delicatiorem nunc parant, accipiendo hordei mundati tres uncias, glycyrrhizae unam, iugubarum paſſularumque, ſingulorum ſemiunciam. Decocto duarum librarum, in manica Hippocratis ſaccata, ut Pliniana phraſi utar, addunt ſachari quatuor uncias, cinnamomique ſcriptulos duos. Et CLAVDINVS, *de Ingreſſ. ad Infirm. lib. 2. ſ. 2. cap. 1.* febribus putridis concedit acidum citri, limonii, aurantii, acetum, acetoſamque.

Theſ. 44. Ipſi equidem, inſtinctu quodam medicatricis Naturae, in quouis acuto et calido morbo, acida appetimus, unde ſaepe noſtrates curamus ſolo lacte ebutyrato, uel ſucco myrtillorum rubrorum, Noſtris *Lingon-Safft.* Ideoque monet bene HIPPOCRATES, *de Art. n. 6.* Medicum

dicum ea omnia diſcere debere, quae proſint, uel obſint aegro in morbis. Et *de Affect. n. 40.* nec non *Aph. 38. ſ. 2.* iubet, Medicum, quoscunque cibos, aut obſonia, aut potus, quos aegroti concupiuerunt, ipſis exhibere, ſi non corpori damnum inde acceſſurum eſt. Quia, ut idem, *de Aliment. n. 8.* & *Epidem. l. 6. ſ. 5.* naturae omnium, nullo doctore uſae ſunt. Si qui ſputatoria cura detinentur aegroti, nullas carnes aeſtimant, ſed ſola clamant acida, lactea et farinacea, putredini ſcilicet unice reſiſtentia, licet antea ſemper fuerint carniuoraces, ut multoties in Praxi mihi uidere contigit. Facit hoc forte diſpoſitio arcana et occulta Creatoris, quae ad animalis uitam, certis uinculis continendam, tantum animae iniecit corporis amorem, ut amet ultro, cui iuncta eſt, corpus, nec niſi moerens et inuita diſcedat. Fruſtra enim in medicina practica aliquis inſtat, naturam aegrorum aliquid experientiae et ſaluti contrarium poſtulare, iuxta illud IVVENALIS, *Sat. 14.*

Nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicit.

Theſ. 45. Acida ergo, in talibus febribus, uera ſunt alexipharmaca, et anchora fidiſſima, quae ſubinde aſſumta, coagulationes ſeri, quaſi tot nodulos Gordios, diſſecant, atque ancipiti acie incidunt, cumque contrario ſale luctata, febrim minuunt et calorem, putredinique partium reſiſtunt, et alkalinis combinata, in ſa-

lem tandem Ammoniacum, ſalubrem, faceſſunt. Hunc autem acidi cum alkalino conflictum, noſtri, prouerbio quodam competenti, exprimunt, dum *Suurti ſaltoega*, acidum, oculo putrido, lippientique adpoſitum, pro re minus grata adferant. Sed quo acida fuerint ponderoſa magis et rigida, eo praeſtantiora. Hinc metallica aceta, ſeu ſpiritus uitrioli, nitri, ſalis, ſulphuris, aluminis, aliique, acidis reliquis palmam praeripiunt. (*q*) *Theſ.*

q) Magna ſane acidorum, in febribus putridis, alcalinae fructibus dyſcraſiae, eſt uirtus, atque utilitas, et, ab eorum prudenti et congruo uſu, nobis meliorem et certiorem effectum, quam a purgantibus et emeticis, iisque mox iuncta ueſicatoriorum et clyſmatum applicatione, quibus, una cum alcalinis, multi medici, nimia inſani ſapientia, promiſcue in citatorum medela morborum, ordine iisdem familiari, utuntur, promittere poſſumus. Quemadmodum uero talis methodus empirica, maxime damnanda, ita iniquisſimum eſſe iudico, medicos ſedulos, circumſpectos, omnia, ad aegroti reſtitutionem, prudenter atque ex fundamentis artis agentes, ſi medicina malo uicta fuit, perſtringere, ac conuitiis laceſſere, uti apud nos moris eſt, ita, ut contumelioſae uoces, ac grauiſſimae uerborum contumeliae, maximam ſoſtri, quod medicus Vitembergae accipit, partem conſtituant. Sed huiusmodi ingrati homines, magnum habent, in M. Alexandro anteceſſorem, qui, teſte CVRTIO, *l.10. c.4.* inſontem

Theſ. 46. In calidis porro morbis, multa ſunt bibenda, et ſaepe, ut ſanguis ſic et fluxilis reddatur, et dulceſcat potu. Hinc Pordalo Plautino, cui cor urebatur, non malum conſilium Toxilus dedit, *Perſ. Act.5. Sc. 2.*

Da illi cantharum, extingue ignem, ſi cor u-
ritur, caput ne ardeſcat.

Praecipue tamen ego aquam, uitrioli oleo uel ſpiritu irroratam, concedo, primum iſtum, uel unicum uere potum, bibantque et calidam et frigidam, ſed uno hauſtu parum. Sit autem ipſa aqua, ſecundum Hippocratem et Galenum, guſtus et odoris expers, pellucida, ſincera, leuiſſima, cito incaleſcens, et cito rurſus frigeſcens. Pro-

medicum, tanquam in curando negligentiorem, Hepheſtione febris atrocia demortuo, in furca ſuſpendere iuſſit, alieniſſimus plane a uirtutibus, quae Regiam decebant Maieſtatem. Sed ita eſt, ſi conualeſcunt aegroti, medico neglecto, naturae laudatur praeſtantia, formula hac ſolemni: *Haette der Patiente nur nicht eine ſo gute Natur gehat, ſo waere er gewiß gereiſet.* Contra uero, ſi perit aegrotus, neglecta naturae bonitate, medicus accuſatur, dicendo: *Wann nur waere Ader gelaſſen worden. Oder: die Ader hat ihn ums Leben gebracht. Oder: wenn er nur waere clyſtiret worden. Oder: wann ſie ihr nur haetten eine Spaniſche Fliege geſetzet.* Vt innumeras alias huiusmodi formulas, in tali caſu frequentes, ſilentio tranſeam.

Proderit et febribus ardentiſſimis peſtilentialibus, ex putrilagine coortis, potus aquae calidae copioſus, in quo ſal polychreſtum Pariſienſe, ſeu nitrum cum ſulphure, per ignem inito coniugio, combinatum, ſolutum eſt. (*r*) Hic enim lapis eſt, PLINIO *lib. 31. c. 10.* memoratus, qui ex ſale nitro fit, ſulphuri concocto. Et forte tale aliquod meditabatur medicamentum BARTHOLDVS SVARTZ, Monachus, ad annum Chriſti 1380. quamuis per caſum quendam, ex medicamento inueniebatur humani generis maximum nocumentum, pyrius utpote puluis. Quo puluere Veneti primum contra Ianuenſes, ad Foſſam Clodiam, uſi ſunt, uti uolunt auctores.

Theſ. 47. Sicut et proderit, calidos aceti fermentati uapores, naribus per ſpongiam admouere, ad peripneumoniam, et coagulatum in pulmone ſanguinem diſſoluendum, itemque domum totam aceto conſpergere. Quod ſpongiae artificium ueteribus in multo uſu erat, ſicut et

r) Huius loci eſt experimentum SANCTORII, qui excogitauit curioſum, pro humectanda lingua, inſtrumentum, ex uitro factum, amygdali habens figuram, et foraminulis exiguis inſtructum, quod ſero lactis, ſucco citri, aut alio ſimili repletum liquore, ore uolutatum, liquidum emittit, ſedandae ſiti accommodatum ac ſufficiens, uti refert, et teſtatur PETRVS *a* CASTRO, *de Febr. Punct. Sect. 9. §. 19.*

et ARCHIGENES, memorante AETIO, *Tetrabibl. l. 3. c. 165.* ſpongiam frigida impletam aqua, in febribus aeſtuoſis, et faciei et pectori adhibuit. Econtrario uero, in peripneumonia peſtilentiali, et febri ab acido metallico arſenicali uapore producta, halitu aquae calentis, cum guttis aliquot ſpiritus alicuius urinoſi et putridi inſperſis, et pariter talibus intro adſumtis, opitulandum erit. (*s*) Qualem peſtem memorat PLINIVS, *l. 2. c. 88.* poſt incendium cuiusdam inſulae in Thuſeo ſinu: magna enim circa illam multitudine piſcium fluitante, confeſtim expirarunt, quibus ex his cibus fuerat. Non enim hic regnaſſe adhuc putredinem hariolor, ſed acidum metallicum.

Theſ. 48. Quod autem acida coagulatos humores diuidant, clare patet ex illo certo experimento, quo homines obeſi et pingues, potione aceti, gracileſcunt. Et refert FAMIANVS STRADA, *de Bell. Belg. lib. 8. p. m. 461.* Chiapinium Vitellium, Italum, Hiſpanicis in Belgio

s) In tali ſtatu, et cauſa, imprimis, ſi reliquis ſymptomatibus ingens capitis dolor ſit ſociatus, maxime laudatur cataplaſma, fronti applicandum, cuius deſcriptionem et compoſitionem ſuppeditat PETRVS a CASTRO, *de febr. Punctic. Sect. 9. §. 29.* Paratur uero ex uitellis ouorum conquaſſatis, et cum ſale intime mixtis, deinceps inter duo linteamina fronti applicandis.

gio caſtris Praefectum Generalem, uirum tantae obeſitatis, ut, faſcia e collo demiſſa, ſuſtinendus uenter eſſet, immodice proiectus, ex aceti potu tantum profeciſſe, ut detumeſcente abdomine, defluenteque uentris pelle, qua ipſe ſeſe, thoracis ad inſtar, obuoluebat, octoginta ſeptem librarum decreuiſſe pondo, compertus ſit. Idem conſilium, Anno 1708. uiro literato Calmarienſi, I. W. dedi. Nec fallit, ut ſaepe uidi, et exemplis probari poſſet pluribus: praeſertim uero in febribus. Sed mihi non in hac diuerſimoda febrium curandi ratione, illud imputandum eſt HIPPOCRATIS, *de Rat. Vict. in Morb. Acut. n.* 22. *Si alius Medicus, aut etiam idiota, ingreſſus cognouerit ea, quae contigerunt, et edenda ac bibenda dederit ea, quae alter prohibuit, palam auxilium tuliſſe putabitur. Talia uero faciunt, ut artifices maxime ab hominibus uituperentur.* Namque mea allata, Naturae ipſi puto eſſe conſentanea, nec aliter accipienda.

Theſ. 49. Verum et hoc iuxta fatendum eſt, peſtiferum uirus, ſeu particulas τὰς νοσηρὰς, tam ueloci curſu, aurae ad inſtar, uiſcera per omnia, corrodendo, deproperare aliquando, et graſſari, inteſtinoque ſingula membrorum bello impugnare, ut, mortuo intra paucas horas aegro, calido per nares uapore, pulmonibus nempe gangraenatis, prout habet HIPPOCRATES, *Epidem. l.* 6. *S.* 4. medicamenta omnia ſaepe numero

mero excludantur. Et, cum ſic repente moriuntur homines, absque ullis aliis ſymptomatis, credo, acre metallicum, aeri immixtum eſſe. Hinc ueteres Medici peſtilentiarum, ſine morbo occidentium, meminerunt. Neque hoc adeo mirum uideatur. Eſt enim peſtifera uirulentia, acredo quaedam ſumme alkalina, aut ſumme acida, quae pulmonem corrupit citiſſime, et non tantum ſeroſam et albugineam ſanguinis partem coagulat, prout ab acidis ſolis fieri, nonnulli putauerunt: ſed quoque pulmonares partes ſolidas gangraena corripit, citiſſimam in mortem terminanda, atque hoc quidem, priusquam ipſe ſanguis adficiatur.

Theſ. 50. Parili modo in aere nimis tenui, pulmo rumpitur, ſtagnat ſanguis, et coit, fitque mors repentina. Nulla enim tum eſt reſiſtentia externa, ſed partium ſolidarum totus in pulmone elater uno momento expanditur, in quo ſtatu relinquitur, nullo reprimente. Idem fit, ſed contrario modo, in aere nimis graui ac humido, ubi pulmonis elater uincitur, et comprimitur adeo, ut totus ſiſtatur motus et ſolidi et fluidi, praeterquam, quod ipſum ſerum, a ueneno coagulatum, uel hoc modo compactum, facile alicubi haereat, ibique alkaleſcat, et putreat, uarioque partium alluentium et impellentium actione, inſignem acredinem contrahat, partes ſolidas leuiſſimo negotio, primum inflammatione, deinde gangraena infecturam.

Theſ.

Theſ. 51. Quocirca, cum obſeruemus, gangraenas in parte aliqua corporis externa, tam uario medicinarum adparatu, ſcarificationum, inciſionum, fotuum, frictionum, cataplasmatumque, perduci in boni naturam uulneris, ſaepe etiam hos omnes conatus eludendo, non aliquid ſanitatis promittere, pars niſi adfecta ferro fuerit abſciſſa, ne ſincerae partes trahantur; quid cogitandum eſt de gangraenis internis, ad quas, nulla induſtria, nulla ingenii ſagacitas pertingere ualebit? Namque ad monitum Poetae, *lib. 1. Metamorph.* ſub perſona Saturni humanum genus perdituri, in omni parte gangraenata,

Cuncta prius tentanda; ſed immedicabile uulnus,
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Et quidem in tam deſperato caſu exclamare poſſumus cum I. A. THVANO, Hiſtorico et Poeta magno:

Aſclepiadum ceſſit in uanum labor:
Fruſtra rogatus et bonus Renealmius
Peculiaris abdita artis pandere,
Stertit profundum nocte, dum crucior miſer,
Quid iam amplius moramur in terreſtribus,
Grauiora morbo et experimur remedia?

Ten-

Tentanda coelo per pias preces uia:
Nec uita tanti eſt, tamdiu, ut uiuas, mori.

Atque ubi, *facies Hippocratica, Praenot. n. 2.* & *in Coacis, p. m. 658.* apud CELSVM quoque, *l. 2. c. 6.* deſcripta, oculi nempe caui, naſus acutus, tempora collapſa, aures frigidae et contractae, cutis dura, color pallidus, uel niger, liueſcens palpebra, aut labium, aut naſus, obſeruatur, omnis medicina manca eſt et ſuperuacanea.

Theſ. 52. In acutis autem morbis raro, etiam in principio, medicamentis uti oportet, ut HIPPOCRATES ſuadet, *l. 1. Aph. 24.* Et diligentiſſime annotandum eſt, quo Natura critice uergat, nec ea unquam in ſuo opere et curſu impedienda, aut peruertenda. Sic dyſenteriam, qui intempeſtiuis adſtringentibus et terreis ſedat, peſſime agit. Quia, ut pulchre HIPPOCRATES, *de Vict. Rat. in acut. n. 54. dyſenteria ſedata, abſceſſum, aut tumorem aliquem, faciet, ſi non ad febres, aut ſudores, et urinas craſſas, et albas, ac ualde perſpicuas, aut ad tertianas, aut ad uaricem, aut ad teſtem, aut ad crura, aut ad coxam, dolor decubuerit.* Ideoque, ut bene DEMOCRITVS, *in Ep. ad Hippocratem, oportet Medicum, non ſolum uſu affectiones iudicare, ſed etiam re ipſa; et rythmos ac conſonantias ut plurimum indagare, et utrum incipit morbus, aut medium teneat,*

neat, aut deſinat, perſcrutari, et differentia, ac anni tempore et aetate obſeruata, adfectionem curare, itemque totius corporis naturam conſiderare. Ex his enim omnibus facile morbum inuenies.

Theſ. 53. Sed omnes et quoscunque morbos ſudoriferis curare uelle, et panaceam in puluere aliquo quaerere hydrotico, uel alio ſimili remedio, ridiculum eſt, et humano generi ualde perniciosum. Sic Ao. 1708. ex Gothlandia Stockholmiam acceſſit Iudaeus, quem antea Aboae in Finlandia, demum Hamburgi, tandemque Amſtelodami uideram, circumforaneus et agyrta; qui quoque ante id temporis Stockholmiae aliquando potum herbae Theae et Coffee uenditans, domum tandem in lupanar conuerterat, eamque ob cauſam urbe fuerat pulſus; nunc repente medicus, et in ſchedula confesſus, ſe omni tempore medicinae dediſſe operam. Hic, inquam, Iudaeus, celebritatem apud multos iniuit puluere quodam ſympathetico, cuius compoſitionem et ipſe teneo, quem urinae aegrotorum mane immiſit, impoſitoque cineribus calidis, ſudorem aegris elicuit. Vnaquaeque doſis carius emebatur, duobus nempe Carolinis, noſtrae monetae, cum ne ora quidem argentea dignus eſſet, ut bene noui.

Theſ. 54. Omnes omnino morbos hoc puluere curari poſſe, proclamabat, modum uero, ignorantiſſimus dixit, *Por Sympathia*, et nominatim

tim febres ardentes, hydropem, uertiginem, lienis dolores, melancholiam, inſomnia, capitis dolores, cordis palpitationem, pleuritidem, diarrhoeam, dyſenteriam, calculum lumbarem, nephritidem, ueſicae dolores, haemorragias, et foemineos quoscunque morbos. Papae! Arcanum ingens, et Mineruae ad inſtar eburneae, in regali arce reponendum! Et, licet facile conceſſerim, fieri poſſe, ut ſudorifero aliquo quidam ex hiſce curari poſſint morbis, ſicut et aliqui puluere Iudaei ſanitati ſunt reſtituti; ſed, quod omnibus morbis adhiberet, fuit impudentia hominis, et decipiendae plebis credulitas, quae tum primum falſitatem rei intellexit, cum mortes inde fierent frequentes et repentinae. Et mundus uult decipi. Per aliquot autem ſeptimanas, omnes fere bene ualebant, ſed rurſus in grauiorem, eundemque morbum, incidebant. Apella, tamen Ao. ſequenti, 1709. grandi corraſa pecunia, auffugit clam, arcano ſui pulueris, myropolae ad forum urbis maximum, non exili pretio, diuendito, plurimisque hominibus nefaria praxi occiſis. Namque, ut bene FLACCVS, *Carmin. l.3. od.16.*

Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa, potentius
Ictu fulmineo.

Theſ. 55. Nec praeſtantiores apud plebem habentur medici, quam Iudaei, circumforanei, agyrtae, anus, et, qui una littera plus ſunt, quam

medici, ut cum PLAVTO loquar, *Rudent. Act. 5. Sc. 2.* Quomodo uero agat puluis ſympatheticus, ut, per eius cum urina miſcelam, ſudor eliciatur, fateor, me non adhuc perſpexiſſe, nec conuenit, in tam nobili argumento, immaturas proſtituere cogitationes. Saltem dico, hunc puluerem, ſudori ſic eliciendo, non adeo eſſe neceſſarium, cum urina ipſa, igne torta, idem praeſtet. Et noſtrum apud uulgus notiſſima eſt fabula, lac uaccinum, igni per imprudentiam immiſſum, facere, ut ubera uaccae tumeant, et inflammentur. Nec fallit hoc, ſed quid non mali, pecuniarum cupido adfert, ut parum abſit, quin ſimiae et mendici fiant medici, *t)* quemad-

t) Talis omnino erat, a IOANNE DOVSA, ſequentibus rhythmis deſcriptus: hunc, quem uidiſtis ſtare circulatorem in occupati faucibus fori primis, frequenti plebis ambitu coronatum, miraminique geſtuoſius certis manuum pedumque motibus laborantem; qui uitreis hinc inde ſeptus ampullis mentitur artes, quas profeſſus eſt Chiron, rebusque uires ſingulis ſuas fingens adulterinis nugiuendulus ex herbis, uerbis fugaces ciuium trahit nummos; qui Cosmianis delibutus unguentis, nil praeter Arabes crepat, et aureos montes, diuaeque ſacrum Coſtidi iugum, Sinam. Medicum ſodales eſſe creditis? non eſt. Non medicus, inquam, hic eſt; quid ergo? mendicus. Ne uero credas, noſtris ſaltem temporibus caput extuliſſe agyrtas, tibi *παράλληλα*

admodum nummos Poetam facere, cecinit PERSIVS, *Prolog. Satyr.*

Quod ſi doloſi ſpes refulſerit nummi,
Coruos Poetas, et Poetridas picas,
Cantare credas Pegaſeum melos.

Et OWENVS, Poeta ſane ad ſui temporis genium non iniucundus, *l. 1. Epigr.* in conſimili caſu, ſic luſit:

Qui modo ueniſti noſtram mendicus in urbem,
Paulum mutato nomine ſis medicus.
Pharmaca das aegroto: aurum tibi porrigit aeger,
Tu morbum illius curas, ille tuum.

Theſ. 56. Equidem negari non poteſt, in leuiuſcula humorum coagulatione, et febre minore, inde reſultante, ſudorifera ſic dicta, et hydro-

morum, priſcis iam familiarium, PHAEDRI *lib. 1. fab. 5.* ingenioſa deſcriptione, ſiſto: malus cum ſutor, inopia deperditus, medicinam ignoto facere coepiſſet loco, et uenditaret falſo antidotum nomine, uerboſis acquiſiuit ſibi famam ſtrophis. Hic, cum iaceret, morbo confectus graui, Rex urbis eius, experiundi gratia, ſcyphum popoſcit, fuſa dein ſimulans aqua, antidoto miſcere ſe illius toxicum, hoc bibere iuſſit ipſum, poſito praemio. Timore mortis ille tum confeſſus eſt, non artis ulla medicum ſe prudentia, uerum ſtupore uulgi, factum nobilem. Rex ad-

tica multoties adhiberi poſſe, et debere, quatenus ſtimulando uaſa ad contractiones crebriores, faciunt, ut materies coagulata reſoluatur, et rurſus comminuatur in iuſtam liquidi meabilis conſiſtentiam. *u*) Item, quando ſolidorum elaſticitas, in homine debili et ſemper pallido ac flaccido, adeo languet, ut coagulatam ſeroſitatem conquaſſare et ſubigere non poſſit, ſolida in oſcillationibus debite peragendis adiuuanda ſint, ſicut id ipſum in febribus intermittentibus

uocata concione, haec addidit: quantae putatis eſſe uos dementiae, qui capita ueſtra non dubitatis credere, cui calceandos nemo commiſit pedes. Verum, o miſerae leges, quae talia crimina fertis! o coeci Reges, qui rem non cernitis iſtam! Vos, quibus imperium eſt, qui mundi frena, tenetis, ne tantum tolerate nefas, hanc tollite peſtem; conſulite humano generi. Quot nocte dieque horum carnificum culpa mittuntur ad orcum? Vel perfecte artem diſcant, uel non medeantur; nam, ſi aliae peccant artes, tolerabile certe eſt; haec uero, niſi ſit perfecta, eſt plena pericli, et ſaeuit tanquam occulta atque domeſtica peſtis.

u) Etiam frigida, externe applicata, roborando fibras, et claudendo poros, ſudorem prolicere, uaria docent experimenta. Sic refert Willisivs, *Pharmac. rat. cap.* 5. §. 1. Hybernis olim in more poſitum fuiſſe, aegrotos, febribus decumbentes, pannis laneis, frigida madidis aqua,

bus aliquando eſt neceſſarium. Sed, in corpore athletico, ubi uis uitae magna, aut in quo uaſa iam ex cauſtico alkalino ſale ualidiſſime oſcillant, et liquidiſſima expellunt, reliquis denſe coeuntibus, a ſudorifero, praeſertim alkalino, abſtinendum eſt; namque putredinem putredine ſic curare uolueris, et ignis inde, tanquam a pabulo, magis alitur. Nec eſt, ut adeo prodeſſe hic debant calefacientia et ſudorifera, cum liquida iam a ueneno coacta, et denſata, impetuoſe ſatis ruant in ſolidorum latera, caloremque excitent. Liquidis enim denſatis, et tamen mobilibus, manente licet uaſe eodem, et uelocitate per uaſa eadem, neceſſitate mathematica augebitur calor.

Theſ. 57. Potius itaque conueniunt hic omnia, quae uim ſtimuli acris, morbi cauſam, ſiſtendo, corpus, feruore aeſtuans, atque anhelans, frigefacient. *Frigidum* enim, *et auxiliatur, et occidit quaecunque ex calido ſunt*, teſte HIPPOCRATE, *Epidem. lib. 6. Sect. 5.* Semininum utpote, amygdalarum, melonum, peponum, cucumerum, papaueris albi, citrique, expreſſorum et emulſorum in humore congruo, creber et iucundus in refrigerando uſus ſit. Fraga pariter, ceraſa acida, pruna, ficus recentes, mora, perſica, praecocia pira, atque id genus alia, bona ſunt. Edere enim aliquid molle et lacteum, aegris

hunc in finem inuoluere, ut ſudore liberalius profluente, morbus tolleretur.

aegris febrientibus perutile, praeſertim ſuccos morbo contrarios. Inedia nempe et ieiunium, humorum acrimoniam ualde augent, ex cauſis ſupra dictis, quod bene tenendum. Nam, quae ab Aſclepiade et Themiſone ſeuera iubebatur abſtinentia, non conuenit, niſi aliquando in tertianis et febribus ſtomachalibus, noſtris *Aelta* dictis, uiſcido per famem comminuendo.

Theſ. 58. Ad denſitatem uero liquidorum, proſunt aquea, nitroſa, quae diluunt, et incidunt, aquea acidiuſcula, quae reſoluunt coagulum, et ſtimulum inuertunt; aquea ſaponacea iam dicta fructuum horaeorum, quae itendidem acre alkalinum obtundunt, eluuntque; ſicut et aquea farinacea blanda, ſerum lactis, aliaque, quae acredinem diluendo, eluendo, aut obtundendo, uaſaque laxando, frigus et ſolatium conciliant. Coincidunt talia cum frigefactoriis potionibus HIPPOCRATIS, *lib. 3. de morb. n. 29. 30. et 31.* aqua nempe mulſa, hordei decocto, aqua coeleſti, ptiſſana, orobi decocto, quod noſtro Coffee reſpondet, malis odoratis dulcibus, et cydoneis. Acida uero fructuum horaeorum non inſpiſſant liquida in tali caſu, et fermentationem, quae nulla intra noſtra uaſa unquam obtinet, ſedant, ut clariſſ. LEMERY, *Traite des Aliments, part. 1. ch. 18. pag. 252.* cenſet, ſed coagula, ut ſaepe dictum, incidunt, ac reſoluunt. Et ſunt praeterea omnia acida ſudorifera excellentiſſima, ſi determinentur, ut antiquorum oxymella ſatis docent. Videſis HIP-

HIPPOCRATEM, *de Vict. rat. in Acut. n. 30. et 39.* Hoc tamen obſeruandum eſt, ut calida exhibeantur, nam ſic plus reſoluunt.

Theſ. 59. Aquea tamen mellita palmam reliquis omnibus praeripiunt, quia non ſolum ardorem febrilem, omnium conſenſu, compeſcunt, ſed etiam mel, pro ſaponacea ſua natura, incidit, et eluit coagula, immeabilesque humores. Porro, cum corpus, febribus uſtum, corruptioni et putredini maxime ſubiiciatur, hinc mellita huic putredini maximopere obſunt, cum, teſte PLINIO, *lib. 22. cap. 24. mellis quidem ipſius natura talis ſit, ut putreſcere corpora non ſinat.* Auctor quoque eſt XENOPHON, *Comment. 5.* Ageſipolim, Lacedaemoniorum Regem, uita functum, melle conditum fuiſſe, Spartamque relatum, et funere Regio elatum. Sic Ageſilaus, eiusdem Rex ciuitatis, uita defunctus, ad littora Africae, quod mel non habebatur, cera circumfuſus, Spartam relatus eſt, auctore NEPOTE, *in Vita Ageſilai, cap. 8.* x)

x) Idem teſtatur PLVTARCHVS, *Oper ed. cit. Tom. II. in Vita Ageſilai, p. 618.* ſcribens: Ἔθους δὲ ὄντος Λακωνικοῦ, τῶν μὲν ἄλλων ἐπὶ ξένης ἀποθανόντων, αὐτοῦ τὰ σώματα κηδεύειν καὶ ἀπολείπειν, τὰ δὲ τῶν Βασιλέων οἴκαδε κομίζειν, οἱ παρόντες Σπαρτιᾶται κηρὸν ἐπιτήξαντες τῷ νεκρῷ, μέλιτος οὐ παρόντος, ἀπῆγον εἰς Λακεδαίμονα. Similia his ſunt, quae habet

PAPINIVS quoque, Poeta, *Siluar. l.3.* innuere uidetur, Alexandri Magni corpus melle conſeruatum eſſe. Verſus ita habent:

Duc et ad Aemathios manes, ubi belliger urbis
Conditor, Hyblaeo perfuſus nectare durat.

Hoc inſuper mel, PLINIVS, *l. c.* balſamum eſſe internum, quaſi exemplo demonſtrat Pollionis Romuli, *quem, centeſimum annum excedentem, Diuus Auguſtus hoſpes interrogauit, quanam ratione uigorem illum animi corporisque cuſtodiſſet? at ille reſpondit, intus mulſo, foris oleo.*

Theſ. 60. Et, ſicut multorum hominum in uno loco conglomeratio aerem attenuat, foetorem excitat, et exhalationes putridas, febrim inducentes, et epidemiam, ita in tali caſu nihil magis aerem pertenuem conuenienter addenſat, et putredinem ac foetorem arcet, quam acetum uini. Hinc Belgae, in Orientem euntes, naues ſuas aceto perluunt. Et ego Ao. 1709. et 1710. idem in claſſe Regia, contra Ruſſos emiſſa, fieri curaui, non ſine multo commodo et emolumento. Ipſi uero ſemper potui meo aliquot uitriolici ſpiritus guttas inſtillaui, ut tarditatem

HERODOTVS, *in Clio, p. 121.* referens: Babyloniis ſepulchra in melle eſſe.

tatem tolleret et immeabilitatem humorum, ex quiete oriundam.

Theſ. 61. Acida autem, in peſte putrida, et febribus acutis, uera eſſe et amuleta, et medicamenta, dixi. Non, quod credam, ſanguinis partem, (nam pars quaedam ſumme eſt coagulata) in tali caſu ſummopere diuiſam et reſolutam, his opus habere, ut per eadem incraſſetur. Spiritus quidem metallici, ſanum ſanguinem cogunt, coactum uero ab alkalinis reſoluunt. Et, ſi ab exhibitione talium acidorum, ſanguinem in hoc caſu omnino coire, ſibi quis perſuadeat, plurima tamen alia tum temporis dantur acida, quae non coagulare conſtat, qualia ſunt, ſucci fructuum horaeorum, et acera fermentata, ex uegetabilibus producta. Et KIRCHERVS, *Scrut. Peſt. Sect. 3. cap. 8.* nullum tam celebrat peſtilentiae antidotum, quam acetum, dicitque, in Romana peſte ualde proficuum fuiſſe. *y)* Nam, quod

y) Solum omnino acetum, per ſe datum, peſti putredinoſae curandae accommodatum eſt ſubſidium; ſed, cum ſimplicia, non plebi ſaltem, ſed plurimis quoque hominibus ſint odioſa, hinc, additis roſarum, uiolarum floribus, alioque conciliato odore, et colore, melius exhibebitur. Imo, quo et hominum, uarietate et mutatione delectantium, genio ſatisfaciamus, aceto, rob iuniperinum, ſambucinum, ribiumue, uel ſuccus baccarum mori, ceraſorum, aut exigua theriacae aut diaſcordii doſis, admiſceri poteſt.

quod SYDENHAMVS, in uarioloſa putredine, nihil magis proficuum longo demum uſu deprehenderit, quam ſpiritum uitrioli, non inde eſt, quod reſolutum tunc ſanguinem inſpiſſet, ſed, quod coagulatum ab alkali reſoluat, rigidis ſuis et ponderoſis particulis, putredinique reſiſtat. Acida quidem omnia, putredinem arcent, ſed illa magis, quae ponderoſa, rigida et metallica, diuque durabilia et perſtantia.

Theſ. 62. Hiſce ergo ſimplicibus, et ex ipſo naturae depromtis laboratorio, multo tutius ſaepe, minoribus impenſis, et maiori cum efficacia, in humanis aegritudinibus curandis, utimur, quam mille aliis, pompoſo nomine ſui pretium emendicantibus. Prorſus, ut hic apponam celebrem PLINII locum, *lib. 24. cap. 1.* qui ſic habet: *haec ſola naturae placuerat eſſe remedia, parata uulgo, inuentu facilia, ac ſine impendio, ex quibus uiuimus. Poſtea fraudes hominum et ingeniorum capturae officinas inuenere iſtas, in quibus ſua cuique homini uenalis promittitur uita. Statim compoſitiones et miſturae inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio aeſtimantur, ulcerique paruo medicina e rubro mari imputatur, cum remedia uera quotidie pauperrimus quisque coenet. Nam, ſi ex horto petantur, aut herba uel frutex quaeratur, nulla artium uilior fiat.*

Theſ.

Theſ. 63. Vere PLINIVS ſui et noſtri quoque ſeculi increpat damnandam ſollertiam. Ita namque eſt, ut, ſi quis medicus, domeſtica, et in pratis hortisque naſcentia remedia, morbis adaptet, uilipendatur, traducaturque a pharmacopolis, medici doctrinam et praxeos felicitatem ex longis Receptarum formulis ſumtuoſisque, aeſtimantibus. *Varietas enim medicamentorum*, dicente VERVLAMIO, *Hiſt. Vit. et Mort. Art. 12. n. 14. Operat. 5. §. 45. ignorantiae filia eſt; neque multa fercula, quod aiunt, tam multos morbos fecere, quam multa medicamenta paucas curas.* Sed, dantur quoque nonnulli homines, qui plus emolumenti ineſſe putant pretioſo et multis thaleris conſtanti medicamento, quam uili et ex ipſa natura elaborato. Nempe in tali caſu cum ſeculo uiuendum eſt, ex Poetae monito, *Carmin. l. 4. Sc. 12.* conſiliis ſtultitia breuis.

Theſ. 64. Vt uero poſt generalia haecce, particulares morbos quam pauciſſimis attingam, *Dyſenteria* primum occurrit. Quae febris curatur, ſi in ipſo ſtatim initio uena fuerit aperta, dato mox medicamine paregorico, ex laudano praecipue liquido Sydenhami, cum uitrioli ſpiritu. Dari quidem deinde et ea poſſunt, quae ſunt acida, et tamen leniter purgant, ut decoctum ex tamarindis et prunis Damaſcenis, admixta pauca quantitate rhei barbari. Obſerua tamen fideliter, ut poſt cuiusuis cathartici ope-

operationem, detur paregoricum. z) Potus quotidianus, ſit lac cereuiſiatum, uel panatellae, adiecta maci, uel et aqua, nitro ſulphurato ebria. Adſtringentia enim dicta, plus nocent, quam proſunt.

Theſ. 65. In *febre Hungarica*, eodem modo procedendum, ac in aliis putridis febribus, ſecta primo uena, et diaeta ex acidis uel aceſcentibus inſtituta, praeſertim aceto uini, uel Punicis malis, Mediciſue. Hungari tamen, referente cl. THOMA IORDANO, *Phaenom. Peſt. Tr. 3. c. 6.* omnibus febrientibus ius acidum parant, ſua lingua *Keſzeolcze* dictum, ex fermento acerrimo, cui paul-

z) Nulla purgantia, ob acrimoniam, quam augent, iam praeſentem, nulla opiata, atque adſtringentia, ob retentam, quae alias grauiores excitat calamitates, materiam peccantem, hic conueniunt. Seroſa, oleoſa, et gelatinoſa, hic optima ſunt auxilia. Notatu digniſſima ſunt, quae HERMANNVS *von der* HEYDEN, Medicus Gaudauenſium celeberrimus, et acerrimus uerae medicinae ueteris propugnator et reſtaurator, *Diſcurſ. 1. p. 4. et 14.* de ſeri lactis, in fluxu alui, torminibus grauioribus ſtipato, uiribus, affert; praecipue idem teſtatur, ac docet, quod ſerum lactis, ſi frigidum et in magna copia aſſumatur, uel et forma clyſterum iniiciatur, additis cochlearibus aliquot aceti, praeſentiſſimam ac certiſſimam in dyſenteria afferat opem.

paullulum triticeae farinae, multum autem furfuris admixtum fuerit; quae mixtura triduum loco calido adſeruatur, poſtea adfunditur aqua ſatis copioſa, quae acorem inſignem contrahit. Videtur hoc idem fere eſſe, et conuenire cum Cyceone ex polenta facto, ab HIPPOCRATE tam ſaepe aegris praeſcripto, ut uariis in locis uidere eſt, cui interdum mel, interdum caſeus, uinum, oleumque admiſcebatur. *a*)

Theſ. 66. *Variolae* et *Morbilli* praecaueri posſunt leni purgante mercuriali, uel antimonio diaphoretico, non eloto, ſale polychreſto, floribus ſulphuris, aut cinnabari antimonii. Ceterum ſolius naturae imperio relinquendi, ita tamen, ut, ſi natura nimis euehatur, parum hebetanda; ſi uero langueat, excitanda. Ergo, in priori caſu uenae ſectio locum habet, acidaque et mellita, in poſteriori quoque acetum uini,

a) Similem fere potum, Aegyptii conficiunt ex fermenti triticei ſemiuncia, atque aquae roſaceae libra, quem addito ſacharo candido, aut lacte amygdalarum dulcium, uel ſeminum frigidorum, leni procurata ebullitione, magis anodynum, ac palato gratiorem, reddunt, et ſub titulo *Tuluina*, teſte PROSPERO ALPINO, *l. c.* exhibent. Nec adeo diſcrepans ab his fuiſſe iuſculum arbitror, quod, uti *lib. 2. Samuelis cap. 13.* legitur, Thamar, Abſolonis ſoror, ex paſta triticea Ammoni coquebat, ueram morbi originem, ab inpenſiori dependentis amore, ignorans.

ni, languidam maxime naturam excitat, et ſemina aquilegiae, napi, naſturtii, aliaque commendari ſolent. Potus ſit copioſiſſimus, uitrioli ſpiritu irrorandus. Obſeruatum tamen eſt, febres maculoſas, nobilium diuitumque liberos magis conſpurcare, quam uulgares, quia illis carnium praecipue uictus, et aromatum uinique uſus, his farinaceorum et uilium. *b*) Atque huius morbi hiſtoriam, omnium optime et adcuratiſſime cl. SYDENHAM deſcripſit, curandique methodum uiuaciſſimis coloribus expreſſit, *Obſ. Med. circ. morb. acut Sect. 3. et Sect. 4. cap. 5.*

Theſ. 67. Ne tamen hae puſtulae acriores, laedant oculos, linimentum fieri poteſt ex frigidis,

b) Eandem cauſam horum morborum probe agnouit SENECA, qui *epiſt. 95. oper. ed. cit. p. 600.* laudatis primum ueterum exercitiis, ſimplicique alimento, haec ſubiungit: Simplex erat ex ſimplici cauſa ualetudo: multos morbos multa fercula fecerunt. Vide, quantum rerum per unam gulam tranſiturarum permiſceat luxuria, terrarum marisque uaſtatrix! Neceſſe eſt itaque inter ſe tam diuerſa diſſideant, et hauſta male digerantur, aliis alio nitentibus. Nec mirum, quod inconſtans uariusque ex diſcordi cibo morbus eſt: et illa ex contrariis naturae partibus in eundem compulſa redundant. Inde tam nullo aegrotamus genere, quam uiuimus.

gidis, ex ſaturni ſale, in aqua roſarum ſoluto, aceto lithargyrii, aliisque. Poteſt quoque reuulſio materiae morbilloſae fieri ad pedes, ſi inſeſſus fiat in lac, aquam calidam, uel, ſi lintea intincta aquae tepidae diligenter pedibus adplicentur. Non, quod uermiculi, qui ſaepe deprehenduntur in ſanguine ulceribusque morbilloſorum, trahantur in pedes adpetitu lactis, ut putat celeb. ANDRY, *de la Generat. des Vers dans le Corps de l' Hom. chap. 12. S. 1. ſ. 23.* ſed, quod cor, contractione ſua, ſanguinem omnem circumagens, in loca minus reſiſtentia, et iam flaccida, ex lacte aut quouis calido liquido expanſa ac diducta magis, maiorem quoque ſanguinis morbidi partem detrudat, partes inſigniter laceraturam. c)

Iii *Theſ.*

c) Par enim ratio hic eſt, ac in delirio, ex inflammatione orto; ipſi enim tollendo nihil conuenientius, et praeſtantius, quam, poſt ſectam in brachio uel pede uenam, et ſufficientem euacuatum ſanguinem, fotus balneaque tepida et emollientia, uentri, pedibus et palmis applicare atque adhibere. Laxatis enim, ut ait BAGLIVIUS, *Animaduerſ. in Theoret. Veter. §. 3.* productisque fibris in partibus madefactis, ex neceſſitate mechanica conſenſus, et legum impulſus, laxari oportet, atque leniri, producique fibras interiores contractas, criſpatas, et quaſi inflammatas, ita ut liber pateat tranſitus fluidis,

Theſ. 68. Imprimis tamen cauendum eſt, poſtquam iam eruperunt puſtulae, ne ſtragulis circa corpus congeſtis, nimius fiat calor, uel calidior focus. Calor ſolummodo naturalis tenendus, quamuis res ardua ſit, uerum caloris gradum tunc definire, petendumque hoc eſt ex ſagaci ingenio medici. In uictu quoque calida uitanda, ut uinum, carnes, aromata. Contra hordeata, panatellae, auenacea, uel Anglorum et Belgarum more, poma in lacte e butyrato cocta, conueniunt. Sicut parili modo, poſtquam uariolae et morbilli eruperunt in ſuperficiem corporis, naturaque ſic uoluit eas percoquere puſtulas ad criſin, omni cura cauendum eſt a frigore. Namque rurſus introuerſae iugulant certiſſime hominem: ſicut hoc contigit Sereniſſimae Suecorum Principi, et Holſatorum Duci, Hedewigi Sophiae, Ao. 1708. d. 11. Decembris, hora noctis duodecima.

Theſ. 69. Pleuritis, in ipſo initio, ſola uenae ſectione larga curatur, cui poſtponi poteſt iulapium ex refrigerantibus et nitroſis. *d)* Sed, ſi ſputa

proindeque minuatur delirium. Haec reſpiciens, non male AVRELIANVM, *lib. 1. de morb. acut. cap. 9.* feciſſe, iudico, qui, in phrenitide, lanam oleo calido imbutam, inter umbilicum et pectinem appoſuiſſe legitur.

d) Curioſum, et notatu digniſſimum eſt, quod LERIVS, *Nauigat. Braſil. cap. 11.* de ueſperti-

ſputa cocta iam exſpuuntur, omittenda eſt uenae ſectio; nam uis ſic tollitur uitae, pus illud expulſura, et relictum ex pure bono fit acre alkalinum. Id tamen ſedulo monendum eſt, ne aeger continuo ad lectum damnetur, alias enim omnia fruſtra fiunt, et lecti calore extorretur. Alui fluor billioſus in initio, naturae criſi optime morbum ſoluit, contra recentiores, qui diarrhoeam omnem in pectoris morbis damnant. Sed debet eſſe ante ſputa. Quod obſeruaui Ao 1708. menſe Ianuario, in affine, G. O. et Ao. 1709. menſe Martio, in Aduocato Regii Parlamenti, B. K. Si uero poſt ſputum occupet, ubique lethalis.

Theſ. 70. Angina, morbus periculoſiſſimus, citiſſima et larga ſatis uenae ſectione tollenda eſt, dein adhibenda gargariſmata ex melle roſacco, aqua ſpermatis ranarum, aliisque deſtillatis, admixto ſpiritu ſulphuris ad multam aciditatem. Calor enim lecti, febrim auget,

 et

lionibus refert: in Braſilia nempe ueſpertiliones, ſaepe Chirurgi fungi uice, in aperienda uena, uti monachi cuiusdam puer, pleuritide laborans, expertus eſt; idem enim, per ſomnum a ueſpertilione morſus, uberiori ſanguinis per uulnus effluxu, a pleuritide liberatus bene ſe habuit; meliores certe in eo ueſpertiliones, quam Striges Ouidianae, *lib. 6.* Faſtor. deſcriptae.

et reliqua ſymptomata. Et ſaepe hoc morbo, uernali tempeſtate, uexatus fui. Non enim nunc ualent ſacra, Deae Angeroniae a Romanis perſoluta, quibus dolores, anxietates, et anginae tollerentur, ut ex Iulio Modeſto, refert MACROBIVS, *Saturnal. l.1. c.10.* Vnum dabo exemplum, a me fideliter annotatum, ut reliqua innumera taceam anginae inflammatoriae.

Theſ. 71. Belga, NN. ex oppido Weſtfriſiae, *Hinlopen*, poſtquam praeterito autumno, nauem ſuam, ſemine lini et cannabe onuſtam, Riga Amſtelodamum dirigere uoluiſſet, ſed ui uentorum prope Coronas Carolinas naufragium feciſſet, uir robuſtus, ruffus, exercitatus, et inebriaminibus et uiſcidis cibis adſuetus, incidit Ao. 1709. menſe Martio, in anginam funeſtiſſimam atque acerbiſſimam Carlscronae, ubi tum temporis et ego eram, cum Claſſe in Ruſſos expeditionem facturus. Petiit ergo a chirurgo ciuitatis, Dn. Peitz, ut ſibi uenam ſecaret, cum in Gallia, ſuperiore anno, eodem laborans morbo, per hanc ſanatus fuiſſet, ſed noluit chirurgus, uaria cauſatus, praeſertim uero frigus aeris. Hinc per ſeptimanas aliquot hoc malo conflictatus, et incipiente iam calida tempeſtate, uarie uexatus, me uocat d. 15. Aprilis. Statim uenam aperiri curaui in dextro brachio, nam ſiniſtri brachii uenas reperire non potui. Deinde dedi ei bibendam aquam ex ceraſis nigris et meliſſa, cum ſpiritu uitrioli ad multum acorem.

Nocte

Nocte ſequente, eadem fere mala, linguae nempe exſertio, dolor iuguli, ſiccum os, deglutitio difficilis, dolor capitis, reſpiratio impedita, et fere ſuffocatio, cubatio in uno latere, oculi torui, facies rubra, et uultuoſa, conſtipatio alui, febricula, ſitis, pulſus paruus, ſed celer. Ergo d. 16. iteraui mixturam, cataplaſmata adhibui collo ex farina ſiliginea cocta cum aceto, et dedi decoctum ſennae cum ſacharo prunisque Damaſcenis. Ex priore melius reſpirare coepit, durities colli remittere, rubrae duae maculae in dextra iuguli parte apparere, per tuſſiculam alba quaedam pituita exſcreari. Sequenti nocte bene dormiuit, meliusque paulo habebat. Iuſſi bibere decoctum Theae et ſennae. Die 17. grauiter laborabat, nec ſpiritus meare potuit per anguſtatam inflammatorio tumore laryngem, terque quaterque mortuus intra noſtras manus uidebatur, exſerta lingua, coerulea facie, protuberantibus et rubris oculis, conuulſo toto corpore. Praeſcripſi rurſus aquam papaueris rhoeados, florum paralyſios, ceraſorum nigrorum, meliſſae, cinamomique cum oxymelle ſquillitico, ſpermate ceti, in uitello oui ſoluto, ſpiritu uitrioli, rob ſambuci, berberumque, et ſyrupo papaueris rhoeados, rubique idaei. Externe curaui pulticulam calidam apponi ex lentibus auenaceis. Leuis in ſiniſtra parte tumor. Decocto ſennae nulla uis. D. 18. ſacris reſurrectionis Chriſti intentus, non niſi poſt ueſpertinas preces ad il-

 lum

lum accedens, grauiter laborantem inueni, poſt inſomnem fere noctem. Aluus dura. Emplaſtrum de meliloto, ſulphuris balſamo therebinthinato malaxatum, collo adpoſui, et nuchae ueſicatorium. Pulſus lenis et creber, corpus languens. Mulſam iuſſi bibere. Die 19. melius habentem inueniebam, poſt leuem ſomnum, a tertia ad ſextam horam. Vlcus aliquod ruptum, pus uiride, coeruleum, acre, labiorum pelliculam deglubens. Praeſcripſi rurſus gargariſma, multo ſpiritu ſulphuris irroratum. D. 20. oculi non tam tumidi, nec labia, nec lingua. Veſiculae in nucha factae aquam multam euomebant. Et, me pulſum arteriae, in carpo celeriter et languide pulſantis, tentante, tuſſicula ingruebat, per quam duos magnos pituitae ſanguine tinctae et purulentae thrombos exſpuebat, locum gangraenatum, certo indicantes. Mox ſpuebat glutinoſa, farinoſa, et uiciſſim lenta ac uiſcida, maculis rubris, ſanguineis interſtincta. Poſt meridiem paroxyſmum ſuffocationis habuit, manus compreſſit, conuulſus, oculis toruis, lingua exſerta. D. 21. dormiebat parum, ſed mox ex pure quaſi ſuffocabatur, ſanguineam pituitam abunde exſcreans, cetera debilis, iracundus, nec ullius beneuolentia aut officio contentus, clamans, ſe diutius uiuere non poſſe. Quod et contigit, nam, poſt meridiem mortuum inueni, poſt conuulſiones acerbiſſimas, linguam exſertam, oculos maxime toruos. Et, ſicut uera hic inflammatio laryngis, ſic

totum morbi decurſum de nulla re magis querebatur, quam de reſpiratione impedita, *het korte Athem.* Nec puto, aliquo puris bolo obthurante periiſſe, ſed ipſiſſima gangraena, quae etiam non longe aberat, cum ad eum uocarer.

Theſ. 72. *Rheumatiſmus*, ſatis quoque frequens morbus, uena ſecta, tollitur, et iulapiis refrigerantibus acidis, incraſſantibus, diaeta pura puta lactea, uitatis ſedulo carnibus. Paregorica et anodyna uix ego darem, cum illorum uſu fiegatur morbus, redeatque deterior, uiribus reſumtis, nec facile poſtea uenae ſectioni auſcultat. Ao. 1708. ſub finem Decembris, habui curandum cereuiſiarium Suburbii Auſtralis Stockholmenſis, C. S. qui pluries ante hoc morbo correptus fuerat. Rigor et horror euanuerant, ſed febris aderat cum ſiti magna. D. 29. Decembr. poſt meridiem, atrociſſimo dolore lumborum affectus eſt, qui tamen mox ceſſauit. Et, quia uena ſecta in principio non erat, febrisque et dolor uagus iam fere deferbuerat, teſte macula rubra ſiniſtri pedis ſupra digitos, et paruo eius loci tumore, dedi ſaltem infrigidantes aquas ex portulaca, nymphaea, admixtis ſyrupo citrio et uiolarum, laudano liquido, et uitriolico ſpiritu. Querebatur hoc unum ſemper, ſe dormire non poſſe, et hanc ob cauſam opium iulepo admiſcui. Id uero ſingulare huic contigit, quod quamprimum uellet dormire, ſtatim uexabatur tuſſicula ſtertoroſa, arida, quae ſomnum im-

pediebat. Suſpicabar, aliquid ex palato pituitae in pulmones deſtillare, dum dormiret, quod tamen uigilans ſcreando praecauere potuit. Hoc tamen negauit, ſicut uolebat omnino ſuum morbum, quam optime uideri intelligere. Sed uſu dicti medicamenti exſcreauit ex aſpera arteria globulos aliquot pituitae lucidae, et ſic bene dormiuit. Lumbago rheumatica aliquoties rediit, ſub horam quintam pomeridianam, ſed mitior. Vrina, ex ruffa, in rubellam, albidulam, albam, cum ſedimento copioſo, primum rubro, dein in perfectum album pedetentim degenerante. Statura ipſi erat larga, toroſus, albis capillis, rubra facie, ſexagenarius, ſucci plenus, in iram pronus, potus cereuiſiae duplicis magis, quam uini amans, carnibus maxime uictitans. Afficiebantur per hanc tempeſtatem uno eodemque morbo ſeptem zytopoei, ergo ex potu calefaciente cereuiſiae fortioris, quam noſtri *Dubbelt Oeke* uocant, morbum iſtum deduco, ſicut et ex quocunque potu acri et calido. Idem in nephritide obſeruandum.

Theſ. 73. Sola itaque, ut iam prolixe dictum eſt, in morbis putridis, poſt uenae ſectionem, acidiuſcula propinata, paginam omnem abſoluent, totumque, quod reſtat, percurationis opus, naturae relinquendum. Hinc ASCLEPIADES olim dixit, memorante CELSO, *l.* 3. *cap.* 4. febrem ipſam praecipue ſe ad remedium uti. Natura enim, ſibi permiſſa, *noſtra ope*, *noſtris*

noſtris artificiis, atque auxiliis non indiget, ſuis uiribus optime inſtructa, ſuis opibus locuples, ſuo denique ingenio ſatis edocta, ut praeclare fatur HIPPOCRATES Anglicus, *Obſ. Med. circ. acut. S. 3. c. 2.* Soluuntur autem morbi critice per os, anum, ueſicam, cutemque, ut HIPPOCRATES adſerit, *de Vict. Rat. in acut. 56.* Debet namque, ut HENRICVS *ab* HEER, *Obſ. Med. 5.* optime inculcat, et monet, *Medicus, naturae miniſter, motum naturae, Dominae ſuae, obſeruare, nihil, ea operante, temere mutare, niſi, ut uel effraenem fraenet, uel, ut pigriorem excitet.* Digna uiro uerba, et quantum ego intelligo, ab unoquouis Medico in ſuccum et ſanguinem, ut dici ſolet, diligenter et omni cura conuertenda. Per naturam uero, non animam mundi, intelligo, ſed motum cordis, uaſorumque et fluidorum motum oſcillatorium; ſi enim hanc naturae uim, fieri dixiſſem, per influxum materiae ſubtilis, uel mentali quodam impetu, errarem forte tota uia, cum ſolidorum et fluidorum reciproco niſui unice debeatur. Quo ſpectat uictus, tempeſtas, aetas, ut criſis hoc noſtro tempore ad certum aliquem diem reſtringi nequeat.

Theſ. 74. Sed, in acutis morbis, tantum inter ſe differunt artifices, ut, quae alter exhibuit, optima eſſe putans, ea alter, mala eſſe, exiſtimet, ut ſuo iam tempore queſtus eſt HIPPOCRATES,

TES, *de Vict. Rat. in Acut. n. 4.* Et, uel in omnis fere morbi tum theoria, tum praxi, in tantum a ſe uariant medici, ut anſa hinc data ſit, ipſam medicinam cauillandi. *e*) Hinc quoque

e) Abſona ſane eſt concluſio, quam aduerſarii, a medicorum diſſenſu formantes, ipſam artem dubiam atque incertam reddere uolunt, cum idem, non artis ipſius principiis, ſed diuerſitati ingeniorum, uti in Theologia, Iuriſprudentia et Philoſophia obſeruamus, tribuendum ſit. Minus igitur ſubſcribere poſſum Empiricorum apud CELSVM, *ed. cit. l. 1. praef. p. 8.* diſputationi, et aſſerto, qui euidentes quidem cauſas, ut neceſſarias, amplectuntur, obſcurarum uero cauſarum, et naturalium actionum quaeſtionem, ideo ſuperuacuam eſſe contendunt, quoniam incomprehenſibilis natura ſit. Non poſſe uero comprehendi, patere ex eorum, qui de his diſputarunt, diſcordia, cum de iſta re, neque inter ſapientiae Profeſſores, neque inter ipſos medicos conueniat. Cur enim potius aliquis Hippocrati credat, quam Herophilo? cur huic potius, quam Aſclepiadi? Si rationes ſequi uelit, omnium poſſe uideri non improbabiles, ſi curationes, ab omnibus his aegros perductos eſſe ad ſanitatem. Itaque neque diſputationi, neque auctoritati cuiusquam fidem derogari oportuiſſe. Fateor equidem lubens, quod plurimum poſſit ualeatque experientia in praxi medica, ſed eadem, rationali nitatur theoria, neceſſe eſt. Rationalis uero theo-

que H. CORNEL. AGRIPPA, uir ſane doctus, ſed ingenii quadam petulantia contra ipſos artifices, *de Vanitat. Scient. c. 83.* inquit. *Sic inuicem a ſe diſſentiunt, ut nullus reperiatur medicus, qui citra exceptionem, additionem, permutationem, praeſcriptum ab alio pharmacum comprobet, quinimo, qui laceret, mordeat, ne uidelicet ipſe non melior medicus uideatur, ſi alterius uel optimo conſilio nihil detraxerit, uel his, quae etiam ſaepe nimis multa ſunt, non aliquid addiderit; unde tandem in prouerbium abiit medicorum inuidia et diſcordia.* Fit autem hoc uel ab inuidia, opificibus eiusdem ſortis familiariſſima, uel ſolius lucelli gratia, namque ut Ergaſalus Plautinus loquitur, *Capriu. Act. 1. Sc. 1.* medici, inſtar cochlearum,

Suo ſibi ſucco uiuunt, ſi ros non cadit.

Theſ. 75. Verum enim uero, finiam tandem cum magno illo Italiae medico, BAGLIVIO, qui *Prax. Med. l. 1. cap. 9. de Variol. et Morbill.* in hunc modum erudite: *magna ſcientiae pars eſt,*

ria, non in uano diſſentiendi diſputandique pruritu, aut huius illiusque auctoris dogmatibus, ſed in demonſtrationibus anatomicis, phyſicis, chymicis, mathematicis, conſiſtit; unde, haud conſiderandum, quis hoc illudue dicat et ſtatuat, ſed, quomodo idem probet ac demonſtret.

eſt in morbis, potiſſimum uero in acutis curandis, mentem a praeiudiciis ſcientiarum, theoriarum, errorum uulgi, praeceptorum, propriarum animi inclinationum, etc. liberam ſeruare, nec per intempeſtiua medicamenta, dirigentis naturae motus peruertere. f) Fieri tamen hoc debet, quia, licet eius motus non intelligamus, non tamen fortuita, ſed conſtanti, geometrica et perpetua lege progreditur, cum natura, ſit complexus quidam cauſarum natura-

f) Hic omnino meum facio Hippocratis monitum, *μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπεροϱᾶν*, nihil nempe temere et praepoſtere ſuſcipiendum eſſe, nihilque oſcitanter negligendum; cum morbi acuti, celeres habeant motus, illudque, quod hic ad ſalutem aegrotorum inſtituendum, mox in principio, uiribus adhuc integris, fieri debeat. Quod tum de uenae ſectione, tum de aliis euacuantibus, obſeruandum. Hinc Hippocrates, *Sect. 1. Aph. 24.* hanc de purgantibus, in cura acutorum, cautelam ſuppeditat: *ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλίγακις, καὶ ἐν ἀρχῇσι, τῇσι φαϱμακείῃσι χϱέεσθαι, καὶ τοῦτο πϱοεξευκρινέσαντες ποιέειν.* Clarius adhuc idem mentem ſuam declarat, *Sect. 4. Aphor. 10.* hiſce uſus: *Φαρμακεύειν ἐν τοῖσι λίην ὀξέσιν, ἢν ὀϱγᾷ, αὐθήμερον· χϱονίζειν γὰϱ ἐν τοῖσι τοιούτοισι, κακόν.* Plura adhuc, ad circumſpectam acutorum medelam pertinentia, habet Cous noſter, *Sect. 1. Aphor. 6. 7. 8. 9. et 10.*

turalium in ſolidis et fluidis humani corporis, ex motu, figura, magnitudine, ſitu, quiete et elaſticitate partium, dependens. Et ſicut pictores, memorante PLINIO, *l. 34. c. 8.* ex Polycleti puero lineamenta petebant, ita medici, in morbis curandis, naturam geometrizantem unice agnoſcant, neceſſe eſt.

Capvt Decimvm Nonvm.

Curationem Venenorum τῶν Ιοβόλων, *ſeu Animalium, pertractat.*

Theſ. 1. Ex illis, quae iam ſatis ſuperque diſputata ſunt de uenenorum acrium et febrilium curatione, liquere puto, qua nam methodo progrediendum ſit, in his quoque uenenis abolendis, ſaltem ſi dicta non tantum interne, ſed etiam externe locis demorſis adplicentur. Nec in hoc caſu ullam uideo differentiam in ueneno, utpote eiusdem naturae atque indolis. Ideoque facile, tanquam ex mappa generali, eorum peti poſſet curandi modus: ſed interdum chorographicae et locales regionum deſcriptiones lucem maiorem foenerantur atque utilitatem.

Theſ. 2. Imprimis autem de Animalium uenenis obſeruandum eſt, omnis ſerpentis, et cuiuscunque animalis ieiuni, uenenum, nocentius eſſe, et ieiuno magis nocere, ex obſeruatione Hippocratis Latini, *lib. 5. cap. 27. n. 10.* Sic homines

mines ieiuni, iracundiores ſunt multò, faciliusque iraſcuntur, quam paſti. Humores enim, ex attritu ſanguinis ad uaſa, acres fiunt et alcaleſcunt, chylo uero recenti commixti, blandeſcunt rurſus et miteſcunt. Nouus etiam chylus, ſangnini affuſus, immiſſam forte uenenoſam acredinem obuoluit et hebetat. Quae ſane obſeruatio meretur attentionem.

Theſ. 3. Hinc etiam homines, in iram procliues, acidis cibis, et potu miteſcunt acido. Et noui plures tales, eo tempore, quo ſemel tantum de die comedebant, multo fuiſſe iracundiores, quam dum poſtea coenam prandio addidiſſent. Vnde uera eſſe PLINII deprehendimus uerba, *lib. 14. c. 20.* quod *aceti nequitiae ineſt uirtus magnos ad uſus, et ſine queis uita mitior degi non poſſit.* Notabile autem eſt, quod uitam mitiorem aceto fieri diceret, hinc quoque *lib. 22. c. 24.* ex PLATONE narrat, *in laſſitudine,* homines *proniores eſſe ad iracundiam, et in ſiti,* humoribus in utroque caſu coactis, et facile acredini obnoxiis. Hinc ingenia ſubtilia, ſunt iracundiora; et celeriter tales moriuntur, quia culter acutus, in uagina preſſus, facile eam exedit. Ergo in quascunque occaſiones ieiunium bonum non eſt, iuxta illud Soſiae, Amphitruonis ſerui, *Amphitr. Act. 4. Sc. 2.*

- - - Fames et mora

Bilem in naſum conciunt.

Hinc

Hinc obſeruare quidam ſolent Politici, poſt prandium felicius et ſecurius ambiri gratiam magnorum uirorum, quam ieiunio matutino. Adeoque omnibus hominibus, in carnem pronis, foetor oris magnus matutino tempore, ſumto cibo, emendandus: quod Graeci νηςείας ὄζειν uocabant, ut ARISTOTELES *in Probl.* habet. Et rurſus PLAVTVS, *in Mercat.*

Ieiunitatis plenus animam foetidat.

Theſ. 4. Sed auro contra aeſtimandus eſt locus HIPPOCRATIS, *de Artic. n.* 89. ſic habens: *In uniuerſa arte hoc plurimi facere prae omnibus oportet, ut id, quod aegrotat, ſanum facias. Si uero multis modis fieri poſſit ſanatio, ut eum, qui minime moleſtus eſt, eligas. Nam, et uirum bonum, et artis peritum, hoc declarat, qui populo imponere non ſtudeat.* Hinc alia remedia diuitibus, alia pauperibus praeſcribenda, ſecundum eundem, *ibid. num.* 83. *Scire quidem oportet de ſingulis optima, in omni arte, uti uero his, quae ſingulis uicibus idonea uiſa fuerint.* Virulentia itaque uiperina ſic curari oportet, ut membrum demorſum, uel ſtatim amputetur, uel ſupra puncturam, fiat arcta ligatio, aut mox ſcarificetur locus, aut applicetur uentoſa ad extrahendum ſanguinem. Alii uenenum exſugi curant, loco prius bene ſcarificato; ſed, qui ſucturus eſt, os ſanum nullisque ulceribus conſperſum habeat,

ne

neceſſum eſt, ne, dum alteri uitam reuocat, ſibi ipſi mortem adducat. In qua uenena exſugendi arte, Marſi olim et Pſylli excelluerunt, Romanisque, a uenenatis ſerpentibus demorſis, opem tulerunt, praeſertim cum Cato ille Vticenſis expeditionem bellicam in Africam feciſſet, ut PLINIVS, *l.* 7. *cap.* 2. et PLVTARCHVS, *in Vit. Caton. minor.* memoriae produnt. (*g*) Sic ex Cratete Pergameno, refert PLINIVS, *d. l.* fuiſſe tales quoque, Helleſponti quosdam incolas, Orphiogenes dictos, qui ſerpentum ictus contactu leuare ſolebant: et manu impoſita, uenena extrahere corpori. Num uero ipſis, et Marſis, Pſyllisue, haec uirtus, praeter ceteros homines, ingenita fuerit, ut PLINIVS, omnibus hominibus uim ineſſe contra uenena ſerpentum, ſaliuam tamen praecipue hominis ieiuni, aſſerit Atque idem *lib.* 28. *cap.* 3. narrat, ex hac familia legatum, Exagonem nomine, a Conſulibus Romae in dolium ſerpentum coniectum experimenti

g) Idem nos docet SVETONIVS, *in Vita Octauii, cap.* 7. *ed. Boecleri in 4to pag.* 48. referens: Octauium, Cleopatrae, quam ſeruatam triumpho maximopere cupiebat, etiam Pſyllos admouiſſe, qui uenenum ac uirus exſugerent, quod periiſſe morſu aſpidis credebatur. Ex fruſtraneo uero, quem hic Pſylli adhibiti habuerunt, ſucceſſu, atque effectu, abunde patet, plura, quae de iisdem traduntur, mera eſſe commenta et fabulas.

menti cauſa, circummulcentibus linguis miraculum praebuiſſe.

Theſ. 5. Illud equidem non credo, quod CARDANVS, *de Venen. lib.* 3. *c.* 7. ſcribit, ceruum, non ſolum omnium uenenorum eſſe alexipharmacum, ſed etiam eos, qui eius carne ueſcantur, tanquam Pſyllos et Marſos euadere, nec ulterius ſubiici ullo periculo putrefacientium uenenorum. Potius mihi arridet ſententia CORNELII CELSI, *lib.* 5. *cap.* 27. *num.* 3. Marſos et Pſyllos, etiam hodie nos, eiusmodi, contra ſerpentes, ſola praeſtare audacia, uſu ipſo confirmata. Nec alio remedio os colluebant, quam aceto, obſeruante PLINIO, *lib.* 23. *cap.* 1. Et Sacerdos quidam, contra Aeneam miſſus, VIRGILIO, *lib.* 7. *Aeneid.* deſcribitur:

- - *fortiſſimus Vmbro*
Vipereo generi, et grauiter ſpirantibus hydris,
Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat,
Mulcebatque iras, et morſus arte leuabat.

Theſ. 6. Quidam, in curando hoc malo, cucurbitulas loco adplicant, quidam deplumatum columbae podicem, murem diſſectum, aut ipſam uiperam crudam, ſed contritam, apponunt. Nonnulli, bufones ſiccatos imponunt, qui, extracto ueneno, multum intumeſcere perhibentur, ut de quodam ruſtico refert VELSCHIVS,

Hecatoſt. 2. Obſ. 53. ſed ſtatim haec fieri debent. Laudantur quoque hoc in caſu, theriaca, fraxini folia contuſa, uel ſtercus caprinum, aceto maceratum, uulnuſculo mox adplicanda. Fraxini quidem folia, dicente PLINIO, *lib. 16. c. 13. contra ſerpentes, ſucco expreſſo ad potum, et impoſita ulceribus, opifera, ac nihil aeque, reperiuntur. Tantaque eſt uis, ut ne matutinas quidem, occidentesue umbras, quam ſunt longiſſimae, ſerpens, arboris eius attingat, adeo ipſum procul fugiat. Experti prodimus. Si fronde ea gyro claudatur ignis et ſerpens, in ignem potius, quam in fraxinum fugere ſerpentem*, uidebis.

Theſ. 7. Aceta porro metallica, ut ſpiritus ſulphuris et uitrioli, guttatim in plagam inſtillata, egregie conferunt, eumque in finem a PETRO IOANNE FABRO, *Chirurg. Spagyr. Sect. 2. cap. 8. pag. m. 81.* ſpiritus ſalis, aliaque medicamina acida chymica, laudantur, quae, cum putredinem neſciant, putredini maxime reſiſtunt, et hinc omnibus rebus, quae putredinem inducunt, obſiſtunt, ut bene ratiocinatur idem FABER. Et continet ſane liber Fabri optima remedia chymica, quamuis in rationibus morborum reddendis, magis chymice quam medice tractet. Praecipue uero in omnibus putridis morbis, omnia acida inculcat, bonae praxeos conſenſu. Haec uero nominata, uiperino ueneno, uel aperte contrariantur, ut

acida,

acida, uel ſolummodo locum laxant, ut, reſiſtentia ibi minuta, ex ui cordis pellentis, uenenata qualitas ad illum locum trahatur, ſicque eliminetur loco ſuppurato.

Theſ. 8. Leuioribus hiſce nihil ualentibus, ad ignem confugere quibusdam uiſum eſt, candefactum ferrum, ſeu cauterium actuale, propinquius uulneri admouendo, donec flaua macula marti adhaereat, quod tamen perpetuum non eſt. Et certe ſimili exemplo, uenenatae uiperae morſum, ut fama accepi, in ſe ipſo curauit fiſtula Nicotianae, quam forte, in Indiis, aliquando exſpatiatus, ore adhuc calentem et fumantem tenebat, dum ictu ſerpentis in tibia peteretur, cl. HERMANNVS, Academiae poſtea Lugduno-Batauae Profeſſor et Botanicus famigeratiſſimus. Cauteria autem actualia exinde agere uidentur, quod contineant in ſe ignem, ſtimulum potentiſſimum, qui *excitat in fibris adfecti loci, et ſucceſſiue in toto ſyſtemate fibrarum humani corporis, oſcillationem quandam, ſiue motum uiuidum, continuatum et uehementem, qua ratione humores, qui ſunt ad contactum ſolidorum ita oſcillantium, ſoluuntur, dimouentur, attenuanturque*, ut cum BAGLIVIO loquar, *de Tarant. c. 8.* Conf. BELLINVS, *de Miſſ. Sangu. Propoſ. 9. de Stimul. pag. m. 165. et ſeq.* Fit autem ſuppuratio loci, atque una cum pure emungitur uenenum.

Theſ. 9. Neque hoc tantum exinde commodi emanat, ſed et dolor iſte ſummus ad partem, ex inaequali tractione in ſemilaceris neruis, et diſtenſione inaequali ab acri infixo, et ui uitae, oriundus, ſi nullo alio remedio tolli queat, nec homo diſponi poſſit ad membrum amputandum, quod neque natura membri ſaepe fert, nihil eſt, quod certius iſtum dolorem, inſtar incantamenti et carminantis remedii, tollit, quam inuſtio. Hinc olim HIPPOCRATES optime pronunciauit, omnibus remediis incaſſum adhibitis, ignem ſanare, *Aphoriſm. l. 7. n. 85.* Omnis autem morbus a uenis, leuior eſt, quam a neruis, ut idem pronunciat, *de Loc. in hom. n. 9.* Et perinde eſt, quodcunque fuerit ferrum, quo uritur locus dolens. Pontificii quidem, et uulgus noſtrum, cui adhuc inhaerent ueteres ſuperſtitiones, ſacrarum aedium ferramenta prae ceteris probant. Vnde BODINVS, *Theatr. Nat. l. 3. p. m. 383.* in hunc modum diſſerit: *Eſt apud Allobroges fanum, D. Huberto ſacrum, cuius clauis ferrea cautere ardenti, morſibus canum rabidorum admota, curat: caſtrati tamen melius, quam ceteri curantur.* Forſan hoc templum eſt, quod alias D. Dononi dicitur, uel ſacellum Diui Betteni. Datur quoque ſigillum ſtylo ferreo, Weſthuſae, prope Elwangen, refente, *tr. de Venenis*, GOCKELIO, *p. m. 95.* quod eques quidam, Rupertus nomine, e terra ſancta tranſtuliſſe dicitur. Hoc inurunt uulnera,

cum

cum certa uerborum formula. Ergo medici, *leuiter aegrotantes leuiter curant; grauioribus autem morbis periculoſas curationes et ancipites adhibere coguntur*, uerba ſunt CICERONIS, *lib. 1. de Offic.*

Theſ. 10. Ad ſerpentes autem uiuos, in uentriculum ingreſſos, ſi modo unquam ingredi poſſint, quod plane dubito, ea quidem conducerent, quae per uomitum animal poſſent eiicere, ut omnia emetica fortiora. Laudant tamen, qui harum rerum gnaros ſe eſſe putant, urinam equinam, recens epotam in copia, lac etiam recens, copioſe hauſtum. Ego quidem ingreſſi ſerpentis, aut ſic eiecti exemplum nunquam uidi, plurimas tamen apud plebeculam uilem fabulas huius farinae ſaepiuſcule audiui.

Theſ. 11. Si uero uiperinum uirus, iam ex morſo loco, in ipſa uitalia penetrauit, ſudoriferis, camphoratis et theriacalibus opus curationis peragendum putant. Et, qui animalium uenena fecere acida, ſali uolatili uiperarum multum tribuerunt, ſed, mea quidem opinione, minus recte, cum uenenum, nunquam a ſimili, ſed a contrario ueneno, perdometur. *b*) Mos quoque

b) Plura quidem allegantur experimenta, quibus aduerſarii ſuam ſententiam probare ac demonſtrare ſtudent, ſed, omnibus examinatis circumſtantiis, eosdem, in aſſignanda uera boni effectus cauſa, falli, aliosque fallere, comperimus; nam,

que ueteribus uſitatus erat, ſerpentino hoc ueneno ebrium hominem, mulo exenterato, ſed calenti adhuc prominente tamen capite, inſerere, ubi ad reconualeſcentiam, continuo ſudore madens, ſepultus iaceret. Quod quidem artificium inſigniter laxat partes externas, et reſiſtentiam ibi minuit, ita ut uenenum illuc trahatur, hoc eſt, a ui uitae illuc pellatur, ut in locum minus reſiſtentem. Atque hoc remedii genere, Valentinum Borgiam, Alexandri VI. Pontificis filium, euaſiſſe, locis ſupra allegatis, CARDANVS, et in egregio libro, *de ingreſſ. ad infirm.*

ſi pars commorſa, uel puncta, aut lacerata, probe mundificatur, ſcarificatur, omnique maſſa uirulenta expurgata, ſanatur, nihil mali hinc in corpore metuendum. Vnde, ſi deinceps tale remedium alcalinum, quale, ſal uolatile uiperarum, cantharides, etc. exhibetur, aegrotusque ab omni, quod alias talia uenena, ſanguine recepta, ſequitur, incommodo immunis manet, idem propinato medicamento, ſed minus recte et uere, tribuitur. Haec optimo iure accommodari poſſunt experimento, quod Dominus *de* MONCONYS, *Voyag. Tom. 1. pag. 406.* affert, ſibi nempe ſocerum Domini Cuperi retuliſſe, quod infans eius, a rabido morſus cane, exhibitis cantharidibus, feliciter curatus fuerit. Quibus addit, quod omnes Graeci, Turcico ſubiecti imperio, in ſimili caſu, eodem utantur remedio.

infirm. l. 2. c. 20. I. CAES. CLAVDINVS, ſcribunt.

Theſ. 12. Quantum ad me attinet, in omnibus morbis putridis, hoc eſt, ex animalium morſu, uel alia acredinis alkalinae putrefactiuae ſpecie ortum trahentibus, eorumque ſymptomatibus uariis, ſiti praecipue, calore, aliisque, ſedandis et mitigandis, poſt uenam, in ipſo principio apertam, acetum ſimplex, uel etiam deſtillatum, aut cum melle, in oxymel ſimplex, uel cum ſquillae bulbo, in oxymel ſquilliticum redactum, copioſo hauſtu derepente ingeſtum, ſudoriferum et alexipharmacum egregium eſſe, confido, optimum in morbis, ut dictum, a putrilagine quacunque oriundis. Namque ſic acetum, cum particulis acribus alkalini ueneni mixtum, multa pugna inita, obtundit uirus alkalinum, coagulata reſoluit, et meabilia reddit, ut uel in alueis arteriosis et uenoſis contineri queant, ac deportari, uel inde per cutim expelli. Quod quidem et alia aceta metallica faciunt, ut ſpiritus uitrioli, ſulphuris, uel nitri; periculoſa tamen quia ſunt, in minimis guttulis alicui potulento liquori admiſcenda. Nec aliud quid, ſpiritu uitrioli, plus calorem et putredinem reſtinguit. Confer DIOSCORIDEM, *de Mat. Med. l. 5. c. 17. 18. et 19. et lib. Alexipharm.* paſſim, ubi uirtutes aceti plurimum celebrantur. Sic fulmine ictis uenenum conſumitur, teſte SENECA, *Nat. qu. l. 2. c. 31.*

Theſ. 13. Acetum porro, ſingulare eſſe remedium contra ictus ſerpentum, praecipue aſpidum, CORNELIVS CELSVS, Hippocrates ille Latinus, docet, *lib.* 5. *c.* 27. *n.* 4. *Quod demonſtraſſe dicitur caſus cuiusdam pueri, qui, cum ab hac ictus eſſet, et partim ob ipſum uulnus, partim ob immodicos aeſtus, ſiti premeretur, ac locis ſiccis alium humorem non reperiret, acetum, quod forte ſecum habebat, ebibit, et liberatus eſt.* Hunc caſum PLINIVS deſcribit, *l.* 23. *c.* 1. Nec tantum aceti uis proficua ſemper fuit in internis inflammationibus, ſed etiam uſu externo comprobata in diſcutiendis tumoribus inflammatoriis, et ſaepe oedematoſis. Acetum autem ſic celebrat PLINIVS ibidem: *Vini etiam uitium tranſit in remedia. Aceti ſumma uis eſt in refrigerando, non tamen minor in diſcutiendo.* Et poſt pauca: *lepris, furfuribus, ulceribus manantibus, canis morſibus, ſcorpionum ictibus, ſcolopendrarum, muris aranei, contraque omnium aculeatorum uenena, et pruritus.* Et rurſus: *non eſt praetereundum in eo exemplum ingens, ſiquidem M. Agrippa, ſupremis ſuis annis conflictatus graui morbo pedum, cum dolorem eum perpeti nequiret, unius Medicorum portentoſa ſcientia, ignorante diuo Auguſto, tanti putauit uſu pedum ſenſuque omni carere, dum modo et dolore illo*

careret, demerſis in acetum calidum cruribus, in acerrimo impetu morbi.

Theſ. 14. Mali porro citrii ſuccus celebritatem iniuit, ut quorundam exemplo probat ATHENAEVS, *Deipnoſoph. l. 3. c. 8.* in Aegypto facinoroſorum, qui aſpidibus necarentur, ſed praegustato citrio ſucco, immunes permanſerunt. *i*) At Arabes, ad ſerpentes, in odoriferis ſiluis frequentiſſimos, fugandos, ſtyracis lignum urunt, teſte PLINIO, *lib. 12. cap. 17.* forte propter acidum, quod omnibus lignis eſt, praecipue uero reſinoſis, cum omnes reſinae et bitumina ſcateant acido ſpiritu. Eandem uim eſſe accenſo gummi galbano, PLINIVS idem, *c. 25.* aſſeuerat. Quod autem alkalina haec uenena animalium,

i) Succum citri acidum, alcalinis animantium uenenis reſiſtere, nullum eſt dubium; an uero citrium, uniuerſale omnis ueneni antidotum ſit, uti ATHENAEVS, *cit. loc.* perhibet, ualde dubito? Ὅτι δὲ, ſcribit idem, καὶ προσλαμβανόμενον τὸ κιτρίον πάσης τροφῆς ξηρᾶς τε καὶ ὑγρᾶς ἀντιφάρμακόν ἐστι παντὸς δηλητηρίου, εὖ οἶδα, μαθὼν παρὰ πολίτου ἐμοῦ, πιστευθέντος τὴν τῆς Αἰγύπτου ἀρχήν. At enim uero, licet ATHENAEVS, hic ad experientiam prouocet, diuerſaque ſequentibus exempla atque experimenta alleget, eadem tamen nihil aliud, quam citri uirtutem, animantium uenenis reſiſtentem, euincunt.

malium, coagulent humores, etiam ſuo tempore agnouit CELSVS, *lib. 5. cap. 27. n. 3.* Dicit enim, illa omnia prodeſſe, quae humorem intus coire non patiuntur: *nam maxima pars uenenorum frigore interimit.* Vnde etiam, *n. 4.* acetum, in ueneno aſpidum corrigendo, ſpiſſeſcentem intus humorem hominis diſcutere, prodit, et ſic dare ſanitatem. Medicamenta autem, uenenis animalium contraria, ſolenni uocabulo, *Theriacalia* et *Alexiteria* ueteribus uocabantur.

Theſ. 15. Venenum uero ſerpentis, *Cobra de Capello*, Luſitanis dicti, quo nullum truculentius inter uiperas exiſtit, ſtercore humano curant Indi, forte propter acidum, quod in ſtercoribus adeſſe, nemo negauerit: quamobrem et peregre ituri, ſaccos, eiusmodi fecibus aridis repletos, ſecum ferunt. Sic contra tela, aconito intoxicata, Panthera ſibi eodem remedio medetur, ut PLINIVS, *lib. 8. cap. 27. et l. 27. cap. 2.* habet. Conf. ZACVTVS, *Prax. Med. Admir. lib. 3. obſ. 89.* Noſtrates quoque, in eryſipelatoſis inflammationibus id ipſum cum fructu adhibent, et uerecundius dicturi *Sitt egit*, proprium adpellant. Multi pariter commoda deſcripſere excrementorum, praecipue FONSECA, MERCVRIALIS, et nuperis annis CHR. FR. PAVLLINI, uir inexhauſtae lectionis. Et Iudaeus, ſub Flauio Veſpaſiano, Caeſare, iisdem ualde uſus eſt. Videſis

SVE-

SVETONIVM. BONTIVS uero, *l. 1. Med. Ind. de Nard.* contra Cobra de Capello nihil melius aceto comprobauit. *k*) Eſt autem ſerpens iſte, eodem auctore, non multo craſſior digito minimo auriculari humano, coloris in tergo nigri, in uentre foede flaui. Qui, dum irritatur, eriguntur in ceruice duae bullae flaui coloris, quales ranae ſilueſtres, ſeu bufones per tempora oſtentant. Atque hae forſan bullae dedere ſpeciem coronae, quae illi attribuitur. Veneni tamen uis maior corpore; inde laeſa enim corpora immane quantum intumeſcunt.

Theſ. 16. Sed calculus, in huius ſerpentis capite repertus, ſi uerum quidem eſt, quod de illo refert NEVHOF, *Legat. Sinic. p. 3. p. m. 154.* morſui uenenatae beſtiae impoſitus, uirus repente abſorbet, et lacti iniectus, in id iterum uirus euomit, coeruleumque reddit. Vid *Act. Anglic. Ann. 65. Menſ. Nou. n. 7.* Et, quanquam BARTHOLINVS, ut eſt apud BONETVM, *Anat. Pract. l. 6. S. 8. obſ. 1.* hunc lapidem, non per

k) In Ephemeridibus Pariſienſibus, Anno 1666. Ephem. 9. dictamnus Virginianus, ſeu pulegium ſilueſtre et montanum, ad ſerpentes ſonoros necandos, foliis eius, extremitati baculi annexis, et naſo ſerpentis ſonori additis, maxime laudatur, de quo plura legere potes in PAVLLINI *Schediaſm. de Lumbrico terreſtri, p. 25.*

per aliam, quam ſpongioſam ſuam naturam, corpori adhaerere, adſerat, BAGLIVIVS tamen, *de Tarant. c. 11. hiſt. 5.* ex hiſtorica relatione Ieſuitae, PVTIGNANI, qui experimentum lapidis ſerpentini in Calabro ruſtico, a ſcorpione commorſo, feliciter fecerat, non adeo uana haec eſſe, adfirmat. Fateor, me talem lapidem nunquam uidiſſe; ſed, ſi de re ignota iudicium feram, cum ex animali deſumtus ſit, non alius eſſe naturae crediderim, quam uel lapidem Bezoarticum, *de Goa*, Hiſtricis, ſeu *Piedra de Puerco*, Luſitanis, aut alia eiusmodi in animalibus concreta terrea tubercula, quae quidem, reſpectu ad uenenum aliquod acidum, non incommode poſſent adhiberi, ſed, in alkalina acredine, minime conuenient.

Theſ. 17. Contra *Cantharides* epotas, uel emplaſtri ope in corpus penetrantes, atque ueſicae nudum lacerantes collum, ſicque uriginem, Gallis *chaudepiſſe*, excitantes, ortumque hinc priapiſmum, nihil efficacius eſt, quam ſalia acida contraria epota, atque externe adplicata, praeſertim uero externe acetum uini calidum, et in priapiſmo fex uini generoſioris; interne uero oxymel ſimplex, ut multoties expertus ſum. Contra *Caſtoreum* pariter, acetum uini, antidotus eſt praeſtantiſſima. Sed, in eius defectu, lac abunde hauſtum, conducit. In ſcorpionum ictu ſimiliter progrediendum eſt, ac in ſerpentum morſibus. Scorpius namque contritus et impoſitus uulneri,

ri, laxat partem, et reſiſtentiam ibi minuit. Scarificationes, cucurbitae, acidorum inſtillationes, membrorum repentinae amputationes, uel deligationes, acidorum hauſtus, uenae ſectiones, atque alia remedia proſunt. In morſu hominis, parili modo faciendum, reor. *l*)

Theſ. 18. CELSVS olim, *lib. 5. c. 27. n. 2.* et HELMONTIVS, *Hydrophobiam* curarunt, iniectione hydrophobi in aquam maris. Et putat FABER, *Chir. Spagyr. S. 2. c. 8.* rationem eius rei hanc eſſe, quod aqua marina abundet ſpiritu ſalis, qui, ut loquitur, incoagulatus et infixus, ſuas permeat aquas, et influat. Forſan eadem hic ratio eſt, ac cum febre tertiana laboranti noſtrates ex improuiſo frigidam iniiciunt, terroreque incuſſo, febrim abigunt, contractis ſcilicet fortiter ſolidis, et uiſcidis ac immeabilibus per hanc contractionem comminutis et diſcerptis. Idem de frigido uento, per folles adflato, ut ſupra retuli, dicendum. Sed ex hoc terroris et frigoris excitato ſenſu uehementi, non tantum ſolida in oſcillationibus ſuis incitantur, ſicut et ab acribus et ſpecificis, pulſui adplicatis, fieri ſolet,

l) Nitroſa, hic quoque ualde prodeſſe, praeſertim, ſi febris accedat uulneraria, docet experientia. Dehinc NICANDER, *in Alexipharmaco*, ad remouenda incommoda, taurini deglutitionem cruoris ſequentia, largiorem nitri, uino ſoluti, doſin, commendat.

ſolet, uerum et ſit mutatio fluidorum in ſitu, textura, figura, motuque, unde morbus ſoluitur absque manifeſta euacuatione. Sed mira narrabo: graſſante in urbe et per uiciniam graui peſtilentia, Ao. 1710. duae ancillae in domum, quam uis morbi omnibus priuauerat hominibus, ſeceſſerant, in paroecia Roslogiae quadam, cumque ambae contagium hauſiſſent, et lecto iam affixae tenerentur, altera, quae morbi impetum minus ſenſit, ad puteum ſe confert, ibique denudatum corpus multa frigidae copia perluit, domunculam repetit, et lecto ſe componit. Mox, exorto ingenti ſudore, bubo inguinalis reſoluitur, ſed, quem in natibus ferebat, rumpitur. Atque ſic iudicata eſt. Alteram deinde, renitentem quamuis, eodem medicamine ſanat. Quo ſanandi genere per uicinos cognito agros, multi ſe ipſos et ſuos curabant.

Theſ. 19. Rabiei tamen, ex morſu canis factae, nihil utilius eſſe, crediderim, quam acetum uini forte, uel quoduis metallicum, ut experientia mihi comprobauit. *m*) Hinc rabies ſuis foeminae

m) Idem obſeruauit, obſeruatumque annotauit HERMANNVS *van der* HEYDEN, *Diſcurſ. 3. p. 93.* Praeſertim acida, cum pimpinella ſumta, praeſentiſſimi in hydrophobia effectus, remedia eſſe, modo citatus auctor, *Diſcurſ. 4. p. 96 97. et 98.* tradit. Optimum quoque BARICELLI, *Hortula*

genial. pag. 134. conſilium, iudico, qui, in hoc affectu, nihil ſalubrius eſſe, quam aquae potum, perhibet. An uero, uti idem, *l. c. pag. 151.* et ROSENBERGIVS, *Rhodolog. lib. 2. cap. 33. pag. 335.* habet, radix ſilueſtris roſae, ad canis rabidi morſum, unicum ſit remedium, ualde dubito. Quod denique attinet PALMARII electuarium, cuius *lib. 1. de morb. contag. cap. 1.* facit mentionem, ac, quod ex herbis aromaticis, alcalino abundantibus ſale, ſacharo uel melli ſociatis, paratur, idem, licet a BLASIO, *Med. Vniuerſ. therap. ſpec. l. 3. S. 3. cap. 5. et* PECCETTIO, *Chirurg. l. 2. c. 43.* maxime laudatum, non commendauerim, cum melius hic eſſe cenſeam, uel mel ſolum, omiſſis alcalinis, uel mel acidis iunctum, exhibere. Eodem applauſu ſuſcipienda MAROLDI ſententia, qui, *Prax. Med. p. 40.* ad hydrophobiam, certo praecauendam, pimpinellam, per aliquot dies mane uſurpatam, ſufficere, perhibet. Damnanda prorſus, tanquam a ſanae uſu rationis alieniſſima, quae HAFENREFFERVS, *Noſodoch. de Cutis affect. lib. 8. cap. 7.* et HORSTIVS, *obſ. lib. 2. part. 2. obſ. 23.* habent, partim iecur canis rabidi, uulneri applicandum, partim canis rabidi iecur coctum, et in fruſtula diſſectum, ad uncias duas exhibendum, praeſcribentes. Nec tutior, nec melior cenſenda methodus medendi, medicamentaque, in hoc caſu, a FABRO *Panchymic. lib. 5. Sect. 1. cap. 9.* laudata, et ſe

PLINIVS, *lib. 10. cap. 63.* Nam, quae de cancrorum puluere, aliisque remediis circumferuntur, ludicra ſunt: ſicut et anilia uerba, pani azymo inſcripta, interiecta cruce, et homini, a cane demorſo, data: *Affra † Gaffra † Gaffritau.* uel *Affara † Schoffara † Affaraant Pax † Max † Max.* Item illa: *Sator: Arepo: Tenet: Opera: Rotas.* De quorum magicis uiribus legi poteſt H. C. AGRIPPA, *de occult. Philoſ. l. 1. c. 69.*

Theſ. 20. In *Tarantulae* ueneno, recens immiſſo, curatio conuenit uenenis ſerpentum, omniumque

quentibus deſcripta: arcanum, ad curandum canis rabidi morſum, conſiſtit in ſale fixo probe depurato canis ipſius rabidi. Sunt, qui in eorum epate arcanum iſtius ueneni poſuerunt, ſed fortius et tutius in eorum ſale fixo, chymice praeparato, collocatur. His repudiatis, potius ſubſcribo ſcito AGRICOLAE, qui *Commentar. in Poppium, tract. de Arſenico, p. 54.* externe butyrum arſenici, morſui canis rabidi applicandum, et deinde *tract. de Vitriolo p. 313.* ſpiritum uitrioli interne adhibendum, commendat. Quod, praeter alia plura exempla, AETIVS, *tetrabibl. 2. Sect. 2. cap. 24* ſequentibus confirmat: Noui ſenem, qui morſus a cane rabido, ſola radice acidi rami curabat. Primo ulcus, eius decocto fouebat, tum herbam ipſam ipſi propinabat potandam; quod medicamentum, quam efficaciſſimum commendabat.

uimque reptilium. Tarantula enim occiſa, et uulneri mox adplicata, uenenum ad ſe allicit, ſicut ſcorpiones, et omnia animalia cruda, ob eandem rationem, loco ſcilicet laxato, et reſiſtentia ibi minuta. Tum cetera proſunt, iam dicta chirurgica auxilia, atque medicamentoſa. Aranei uero iſtius Apuli peſtem, in ſanguinem inſinuatam, ſudoriferis et uolatilibus ſalibus quidam eiicere conantur, inter quae ſpiritus uini rorismarinatus, cum aqua citri, uel meliſſae, datus, ſudores ex aegro elicit, panno lineo, ſpiritu uini madido, in lectica obuelato. Tum eiusdem alcoholis uini accenſio, aliaue methodo adplicata hydrotica, aqua calida, aut alia, intus et extus uaſorum ſpaſmum laxantia. Acida uero fermentata palmam aliis praeripiunt, quia et ſudorifera optima, et ueneno contraria. Nam, uaſis in ſuperficie laxatis, et reſiſtentia ſic ibi ſublata, a ui cordis et uaſorum, non ſolum hoc ueneni genus, ſed alia quoque, externe corpori per ictum uenenatum, aut aeris commercium, aduenientia, facile abigi poſſunt, ſi modo balneatio in tempore adhibeatur, per interne adſumta remedia, cum aqueis, uenena contraria, uel per externum aquae balneum, ſi modo tempeſtiue omnia fiant. Mollito enim corpore, ſudor quoque magis ſequitur, et aluus et urina ſecedit, iuxta HIPPOCRATEM, *de Affect. n. 9.*

Theſ. 21. Nulla uero praeſtantior inuenta eſt Tarantulino ueneno antidotus, quam ſi ad muſicos concentus aeger admittatur. Mu-

ſicae enim tanta uis, ut quamuis aegri maxime debiles fuerint, ad inſtrumenti muſici ſuſurrum, ſibi conuenientem, ſaltent, ac tripudient, morboque liberentur: non aliter ac melancholicus maniacusque Rex, Saul, *l. 1. Reg. 16.* ex cythara Dauidis melius ſe habebat; obſeruata tamen iſta diuerſa corporum ad harmonias proportione, aliis ad Menuettam, aliis ad Gouottam, aliis ad Polonicum tripudium, aliosue numeros, geſtientibus. Et refert EPIPHANIVS FERDINANDVS, Medicus Apulus, *Obſeru. Med. Hiſt. 81. cap. 2. pag. m. 754.* ſenem tarantatum, nonaginta quatuor annorum, qui tam deperditarum erat uirium, ut baculo inniteretur, ambulaturus, audita muſica, inſtar capreoli, ſaltaſſe. Incipiunt ſenſim mouere pedes, manusque erigere, ululare, ſuſpirare, obſcoenaque euentilare, dein ſaltare. Saltus autem durat per triduum, uel quatriduum.

Theſ. 22. Erat certe muſica antiquis magno in uſu, et pretio, ad uarias aegritudines excutiendas. Et magnus ille Argiuorum heros, Achilles, dolorem ſuum, ob ereptam ſibi ab Agamemnone Briſcida, elegantiſſimam puellam, cythara mitigauit, ut canit Poeta, *Iliad. lib. 9.* Sic GELLIVS, *Noct. Attic. lib. 4. cap. 13.* ex Theophraſto demonſtrat et Democrito, iſchiadicos dolores, ſerpentum hominumque morſus, per tibiarum incantiones, etiam iſto tempore curatos fuiſſe. Atque ex eodem GELLIO,

LIO, *l. 16. c. 11.* conſtat facile, modum ueteribus, per muſicam tarantulinum uenenum percurandi, non fuiſſe incognitum, cum dicat, Marſos, a Circes filio ita dictos, ueterem in Italia gentem, ui quadam familiari et genitali, non tantum domitores fuiſſe ſerpentum, ſed et incentionibus, herbarumque ſuccis, feciſſe medelarum miracula. Confer AELIANVM, *uar. hiſt. lib. 14. c. 23.* PLVTARCHVM, *de Muſica.* MACROBIVM, *in Somn. Scip. lib. 2. cap. 3.* ALEXANDRVM *ab* ALEXANDRO, *Gen. Dier. lib. 2. cap. 16.* BOETIVM, *de Muſ. lib. 11. cap. 1.* KIRCHERVM, *de Art. Magn. lib. 3.* *et* FORESTVM, *Obſ. et Cur. Med. lib. 30. obſ. 12.*

Theſ. 23. Imaginari enim nobis poſſumus, eosdem ac tales accedere aegris laetitiae ſpiritus ex muſica, qui in militaribus pugnis militibus, fieri ſolent. Hinc, narrante VALERIO MAXIMO, *lib. 2. cap. 6. Lacedaemonii non ante ad dimicandum deſcendere ſolebant, quam tibiae concentu, et Anapaeſti pedis modulo, cohortationis calorem animo traxiſſent, uegeto et crebro ictus ſono, ſtrenue hoſtem inuadere admoniti.* Ideoque apud VIRGILIVM, *lib. 6. Aeneid.* Miſeno Aeolide:

- - - non praeſtantior alter,
Aere ciere uiros, Martemque accendere cantu.

Sonus enim, in motu aeris tremulo conſiſtens, ſenſim corpus adficit, ſpiritus et ſanguinem, ut ad ſingulas chordarum battulas, membra contremiſcant, moueantur, et trahantur in geſtus ſaltatorios. Ex motu autem iſto, et uehementiori agitatione humorum, a muſculorum ſuccuſſionibus, uaſorum uibrationibus, et continuis oſcillationibus, uenenum per ſudores expellitur; ſed, quod remedium, quouis anno, eodemque anni tempore, quo uulnus inflictum erat, repetendum erit.

Theſ. 24. Erudite MACROBIVS, *Comment. in Somn. Scip. lib. 2. cap. 1.* hunc in modum: *Sed is ſonus, qui ex qualicunque aeris ictu naſcitur, aut dulce quiddam et muſicum in aures defert, aut ineptum et aſperum ſonat. Nam, ſi ictum obſeruatio numerorum certa moderetur, compoſitum ſibique conſentiens modulamen educitur. At, cum increpat tumultuaria, et nullis modis gubernata colliſio, fragor turbidus et inconditus offendit auditum.* Atque hinc eſt, quod iuxta eundem MACROBIVM, poſtea *cap. 3. omnis habitus animae, cantibus gubernetur, ut, et ad bellum progreſſui, et item receptui, canatur cantu, et excitante, et rurſus ſedante uirtutem. Dat ſomnos, adimitque: nec non curas et, immittit, et retrahit: iram ſuggerit, clementiam ſuadet: corporum quoque morbis medetur.* Hinc Athe-

Athenienſes, auctore AELIANO, *Var. Hiſt. l. 3. c. 8.* Phynichum, belli ducem elegerunt, quod in tragoedia bellicos modulos feciſſet.

Theſ. 25. Muſica praeterea multum ualet in morbis animi, et ſucci neruoſi inordinato motu. Sic triſtitia, et cura, et dolor, et ira, et amor, et inuidia, et terror, Muſica ſaepe miteſcunt. Mania quoque aliquoties per Muſicam deſiit. Sed ex medicinis pharmaceuticis, ſola narcotica laudem meruere in ſedando impetu furentium ſpirituum, praeſertim opium, et crocus. Hinc laudano liquido Sydenhami nihil in tali caſu celebrius. Venae tamen ſectio larga ſemper praecedere debet, et magno uulnere, dato ſub ueſperam paregorico. Veſicatoria denique, nuchae, brachiis, femoribus, et pedum plantis, adpoſita; tum purgantia ualida. Interdum uerbera contrariam ideam inducunt.

Theſ. 26. Venenata *Tela* protinus extrahantur, et uulneri mox ea adplicentur remedia, quae dixi adplicanda eſſe in ictibus animalium uenenatorum. Intus uero danda omnia ea, quae genio ipſius delibuti ueneni contrariantur, et, ſi urget febris, uena ſecanda. Et mirum eſt, ueteres omnes, in uenenatis uulneribus omnibus, licet metallicis acetis carerent, ſemper tamen aliis medicamentis admiſcuiſſe mel et acetum, ut ex ſcriptis eorum apertiſſime patet. Pharicum uero ueterum ex ellebori ſucco, corrigebatur per ſuccum citri, non aliter ac ſcelerata

 ſina-

ſinapis aceto hebeſcit. Portulaca porro ſilueſtris, quam nonnulli telephion uocant, pro cibo ſumta, ſagittarum uenena extinguit, auctore PLINIO, *l.* 20. *c.* 20. plagisque impoſita, ſagittas extrahit, ſi fides ſit. Sed, qualis fuerit herba, ab Alexandro per quietem uiſa, qua Ptolomaeum, ſagitta uenenata percuſſum, morti ſubtraxit, a IVSTINO, *l.* 12. et CVRTIO *l.* 9. *c.* 8. memorata, ignoratur.

Theſ. 27. Tum quoque ad uenena mechanica maiora; uaria perhibentur dari amuleta. Sed ridicula iſta ſunt, et fidem apud me non inueniunt, quale illud eſt, de puluere ſympathetico et unguento eiusdem nominis. Sic refert HORNIVS, *hiſt. Nat. l.* 3. *c.* 15. Iudaeos uenditare Pſalmum 146. pro infallibili experimento, ne quis gladio uulneretur. Addit ex Luthero, noſtrae religionis pientiſſimo uindicatore, Iudaeum quendam, Alberto, Saxoniae Duci, talem artem tradere uoluiſſe. Ad quae Princeps: ut de experimento certus ſim, in te primum experiar, ſtrictoque gladio, Iudaeum ita laeſit, ut neque per *Schembamforaſch*, neque per appenſum *Kamea*, id eſt pergamenum, ſacris literis inſcriptum, ſanari poſſet. Nimirum Iudaei ex Cabala ſua, cuius ope Seruatorem noſtrum miracula feciſſe, impientiſſime blaterant, hoc deſumunt, quinquaginta Cabalae portis, uiginti duas alphabeti literas addentes, ſicque numerum elicientes 72. quem

Schem-

Schembamforaſch uocant, Dei nomen expoſitorium, totidemque angelorum, orbis praeſidum: quibus inuocatis, edantur ab hominibus miracula.

Theſ. 28. Vulnera uero ex mechanicis uenenis, ſecure, gladio, pugione, ſerra, aliisque, ſanantur, ſi ipſis recentibus et puris, inſtillatur balſamum, ex aloe, myrrha, ſarcocolla, aliisque talibus factum, cum ſpiritus ſulphurei aliquot guttis, et religentur emplaſtris, in hunc uſum accommodis. Interdum uero tanta eſt inflammatio, ut uenam ſecare neceſſum ſit, aluumque ducere leniter, ſed purgantibus acidis et antiphlogiſticis. Conueniunt tum quoque omnia acida, aceſcentia, et mucilaginoſa, ut panatellae et lacticinia, hordeata, atque alia eiusmodi. Vitanda uero omnia acria, et affectus febriles, atque exercitia uehementiora. Quies inculcanda et corporis et animi; omnia enim uulnera conſolidanda requirunt quietem. Balſamum uero uulnerarium meum, fit ex aloe, myrrha, ſuccino, maſtiche, ſarcocolla, ſanguine draconis, camphora, et floribus hyperici, aliquoties oleo tartari, ut facilius ſoluantur, irroratis, ſpirituque uini ſolutis, et coactis in balſami conſiſtentiam, cui ſic additur ſpiritus ſulphuris q. ſ. et baſamus Peruuianus niger. *n*)

n) Tali balſamo, in uulneribus, maligno ſociatis ulcere, egemus, ubi quoque ſolum ſuccinum

Theſ. 29. Morbi praeterea, qui ex curis dependent animi, non tam medicamentis curantur, quam rationibus et ſermone prudenti, uel et potita re ipſa, quam deperdite amant. Sic memini, me Ao. 1708. in uiro nobili Stockholmenſi, qui paralyſin ſiniſtri lateris ex iracundia contraxerat, in quam et maxime procliuis erat, plus profeciſſe diligenti mea uiſitatione, rationibus, et, ſi dicam, confabulationibus, quo ipſi praeriperetur anſa in domeſticos incandeſcendi, quam optimis adhibitis medicinis, et in hanc rem ſedulo conquiſitis. Simul ac enim ex leui quoque cauſa incanduit, reductus tam multo opere ſenſus motusque, diſparuit, euanuitque, qui uario rurſus adparatu, et moleſtia non minore, reintroducendus erat. Vnde docemur con-

pulueriſatum, alumini mixtum, uel ſuccini aut xylaloes eſſentia, decocto ſcorzonerae diluta, conducit. Quod uero attinet uulnera recentia, meum facio HERMANNI *van der* HEYDEN, conſilium, qui, uti habet *Diſcurſ. 3. pag. 75. et 78.* quaeuis uulnera noua, frigidae immerſione et applicatione aquae, per lintea circumligata, impoſita deinde uulneri membranula, teſtis ouorum inhaerente, feliciſſime curauit; quod quoque rationi et experientiae conuenientiſſimum, cum, uaſis laeſis, frigore conſtrictis, ſanguinis affluxus, atque effluxus, aucta reſiſtentia, impeditaque eo ipſo puris generatione, ſiſtatur, uulnerisque conſolidatio promoueatur, acceleretur.

confabulationes amicas, et ſolatia, quocunque modo aegris conciliata, plus conferre ad ſanitatem aegro comparandam, quam omnem medicamentorum adparatum, formularumque congeriem, quauis die repetitam. *o*) Hinc eleganter ſcriptum eſt a Graeco Poeta, MENANDRO, Comicorum promo Condo:

Sermo eſt triſtitiae remedium ſolus,
Triſtitiam enim beneuolus ſcit medicari ſermo.
Sermo Medicus eſt, quae eſt in animo, paſſionis.
Animi aegrotantis eſt medicina ſermo,
Maximum irae eſt remedium ſermo.

o) Decet omnino ſuſpenſos perturbatosque hominum animos, quos curae et calamitates uariae miſero angunt modo, accommodati affabilitate ſermonis erigere, atque a ſollicitudine, angoribus et moleſtiis abducere. Hinc Electra apud EVRIPIDEM, *u.* 67. amicum, in malis conſtantem, aduerſaeque medicum fortunae, Diis aequalem dicit, ducitque, *ἐγὼ*, canens, *σ' ἴσον Θεοῖσιν ἡγῦμαι Φίλον· ἐν τοῖς ἐμοῖς γὰρ ὐκ ἐνύβρισας κακοῖς, μεγάλη δὲ θνητοῖς μοῖρα, συμΦορᾶς κακῆς ἰατρὸν εὑρεῖν.* Ita prorſus Gentilis, ad Diui Gregorii mentem, qui *Orat. de Pauper. amore*, inquit: *μέγα τῷ ἀτυχῦντι Φάρμακον, ἔλεος ἀπὸ ψυχῆς εἰςΦερό-*

Huc pertinent balneationes frequentes, exerci-
tia

μενος· καὶ τὸ συναλγεῖν γνησίως, πολύ τι κουφίζει τῆς συμφορᾶς. Eleganter quoque Iſo-CRATES, *Orat. de Pace*, de ſermonis facultatibus, in cura morborum mentis, hunc in modum diſſerit: ὑμᾶς δὲ χρὴ πρῶτον μὲν τοῦτο γινώσκειν, ὅτι τῶν περὶ τὸ σῶμα νοσημάτων πολλαὶ θεραπεῖαι καὶ παντοδαπαὶ τοῖς ἰατροῖς εὕρηνται, ταῖς δὲ ψυχαῖς ταῖς νοσούσαις καὶ γεμούσαις πονηρῶν ἐπιθυμιῶν, οὐδέν ἐστιν ἄλλο φάρμακον, πλὴν λόγος, ὁ τολμῶν τοῖς ἁμαρτανομένοις ἐπιπλήττειν. Επειθ᾽ ὅτι καταγέλαστόν ἐστι, τὰς μὲν καύσεις καὶ τομὰς τῶν ἰατρῶν ὑπομένειν, ἵνα πλειόνων ἀλγηδόνων ἀπαλλαγῶμεν, τοὺς δὲ λόγους ἀποδοκιμάζειν, πρὶν εἰδέναι σαφῶς, εἰ τοιαύτην ἔχουσι τὴν δύναμιν, ὥς τ᾽ ὠφελῆσαι τοὺς ἀκούοντας. Quemadmodum uero magna affabilitatis, comitatis, perſuaſionis, iucundaeque conſuetudinis, in malis, a cauſis moralibus dependentibus, mitigandis, curandis, uis eſt, ita, ſi triſtitia, aliaque mentis pathemata, a mala corporis conſtitutione, uiſcerum imprimis obſtructione, uti melancholiae hypochondriacae, et maniae hyſtericae exemplo conſtat, ortum ducant, uitia eſſentialia, quae corporis debentur uitiis, accommodatis aperientibus, atque euacuantibus, tollenda, quibus ſublatis, cum corporis integritate, integra mentis alacritas et tranquillitas reſtituetur.

tia pilae, chartarum, latrunculorum, itinera per terras exoticas, uenationes, aer ruſticanus, equitatio, muſica, ſaltationes, prae reliquis tamen omnibus, mens tranquilla, erecta et hilaris. Igitur prudens Medicus, in morbis refractariis, niſi adſit ſuſpicio uel mali uenerei, uel hyſterici, de occultis animi paſſionibus ſemper ſuſpicabitur. *p*)

p) Hoc ſerio ſemper quibusuis inculcandum aegrotis, antequam ullius morbi ſuſcipiamus curam, ut genuinam mali, quo affliguntur, originem indicent, omnibus ſimul momentis et circumſtantiis exacte manifeſtatis, perfectae morbi primarii cognitioni lumen foeneraturis. Si igitur mentis morbus praecipue in culpa ſit, praeter ea, quae antecedentibus commendata, nec opem, ut ait BAGLIVIVS, *de fibr. morboſ. cap. 5.* aut ſalutaria remedia adferre poterit, niſi aeger ſibimet remedium praeſtiterit, animique morbo, animus ipſe erectus, ac reſiſtens, medelam attulerit. Sunt quidem, ex effato CICERONIS, *ad Atticum lib. 12.* conſolationum multae uiae, ſed illa rectiſſima impetret ratio, quod dies impetratura eſt. Nam, uti idem, *Tuſcul. 3.* ratiocinatur, ſenſim et pedetentim progrediendo, dolor extenuatur, non, quod ipſa res immutari ſoleat, aut poſſit, ſed id, quod ratio debuerat, uſus docet, minora eſſe ea, quae ſunt uiſa maiora. Eandem in morbis ani-

Capvt Vigesimvm.

Narcoticorum, Fungorum, Faſcinorum, et Philtrorum medelam continet.

Theſ. 1. Venena Narcotica quam plurima, ut ſolanum maniacum, aliaque, ſub imagine ſalubrium fructuum, ſaepe laedunt homines, praeſertim rei herbariae minus curioſos et gnaros. Et quod haec, ſimilitudine ſuae figurae, efficiunt, alia rurſus, nempe inebriamina, ſucci ſui uel ſuauitate, uel fragrantia odoris, uel pulchritudine coloris, plurimam hominum partem amore ſatis acri ſibi de-

---

mi medicinam, Seneca, *Conſolat. ad Helu. c. 16.* hiſce commendat: qui aut deluſus uoluptatibus, aut occupationibus abductus eſt, reſurgit, et ipſa quiete impetum ad ſaeuiendum colligit. At, qui rationi ceſſit, in perpetuum componitur. Sed, hic omnino locum habet illud: recte, cum ualemus, bona aegrotis conſilia damus, male ipſimet aegrotantes applicamus. Vnde, cum facile morbis mentis, morbi corporis ſimul produci queant, conſilium Aureliani, *de Acutis morb. lib. 1. cap. 11.* hic magni facio, prudenter monentis, praecipientis, ut cogitationes, menti moleſtas, contrarios inculcando affectus, remoueamus, extirpemus.

deuinciunt. Hinc exempla eorum, qui inebriaminibus uel laborant grauiter, uel miſere perierunt, ſunt frequentiora illis, quae ex narcoticis uirulentiam traxiſſe dicuntur. Morale quidem ad inebriamina remedium eſt, nunquam fallens, ſed rara per hoc ſeculum auis, Sobrietas ſola, cum nunc magis pro uitio reputetur, bibere non poſſe, quam bibiſſe ad ſenſuum perturbationem, atque oculorum rubedinem et protuberantiam horrendam. *q*)

Theſ.

q) Si ullum datur uenenum pernicioſum, uenenorum omnium omnino primum, eſt ebrietas, eo magis iam accuſanda, quo minus detrimenta, corporis mentisque ſanitatem peruertentia, hodie attenduntur. Non ſufficiunt nobis iam naturales, quibus abundamus, liquores, plura adhuc per artem parantur hunc in finem potulenta, imo naturalis bonitas potus, arte corrumpitur. Quid dicam de herba Nicotiana, cuius fumo fauces irritamus, torremus, exſiccamus, potus deſiderium, bibendique auiditatem procuraturi. Plurimis quippe hominibus perſuaſum eſt, non melius conſeruari ſanitatem, quam uberiori potulentorum ingurgitatione, hanc regulam diaeteticam fundamenti loco ponentes: ad minimum, de die, octo libras cereuiſiae eſſe deglutiendas. Alii contra credunt, ſpirituoſis, tanquam optimis ſubſidiis confortantibus, ſanitatem conſeruari, uitam prolongari. Sed, in fine uidetur, cuius toni ſit eah

Theſ. 2. Narcotica ergo et opiata, ſi adhuc in uentriculo et primis uiis aleam ludant, per citiſſimum uomitum, quocunque modo prolectum, eiicienda ſunt, diluendo interim ſaepe uentrem aquoſis, ut ingeſta potulenta ſpirituoſiora, opium, radices, uel baccae huius generis, eliminentur atque eluantur. Acetum praeterea epotum, oxymel, aqua mulſa, lac ebutyratum, aut aqua copioſa calida, ueneni uim comminuens, ac diſpergens, tum mali aurantii, limonii, aliorumque horaeorum ſuccus acidus epotus. Satis autem ex ſupra diſputatis patet, ſalem uolatilem plantarum narcoticarum eſſe alkalinum. Hinc acida ſuperpota, contrarium uirus, proelio intra uiſcera domeſtico, debellant.

Theſ. 3. Si uero, ne ſic quidem aliquid proficere poſſumus, ſed uenenum, in totum iam corpus proſerpendo, ſoporem excitauit, amentiam, imaginationes terribiles, ardores internos, oculorumque ruborem et tumorem, et uidetur iam machina in perfectum tendere ſomnum, ſiue apoplexiam, uigilium tentandum eſt medicinis maxime externis acribus, ſalibus uidelicet

tus. Melius huiusmodi hominibus conſilium dari nequit, quam ut ad effectus, ex hac temeraria helluandi ratione emergentes, ſedulo attendant, eosque, paullatim a mala recedentes conſuetudine, emendent, tum pauca, tum ſimplicia bibendo, uti iam indicaui et probaui, *diſſertatione de poculis ſanitatis, poculis morborum et mortis.*

cet uolatilibus, urinoſis, uel cauſticis, ut euphorbii uel pyrethri puluiſculo, naribus inflato, uel ſinapiſmis, et ueſicatoriis, plantis pedum, aut nuchae impoſitis, item uſtionibus, aut punctionibus, et frictionibus dolorificis, quae ſyſtema neruoſum irritando, liquidum nerueum excitent, et ſtimuli uicem obeuntia, corpus totum, parteſque ſolidas concutiant, unde in crebriores oſcillationes concitata uaſa, fluidas partes agitant, diſſoluunt tenaciora, atque qua data uia in circulum reducunt. Tum ſuppoſitoria acria, et clyſteres tales. Veneno autem haec dicta ſunt analoga, ideoque interne non conueniunt, nec laudanda eſt ueterum opii antidotus, quam in caſtoreo ponebant, niſi quantum ad ſtimulum excitandum.

Theſ. 4. Sed, in omni et morbo, et ueneno, curando, mox in principio quam prudentiſſime agendum eſt. Namque iuxta PERSIVM, Satyricum optimum, *Satyr. 3.*

Helleborum fruſtra, cum iam cutis aegra tumebit,
Poſcentem uideas; uenienti occurrite morbo.

Ergo, non ſaltem per initia horum uenenorum, ſed per omnem curationem, acida hic locum habebunt, acetum nempe uini, uel cereuiſiae, aut ex ſpiritu frumenti, ut noſtrae ſolent muliercu lae, comparatum, ſyrupus ribium, berberum

gra

natorum, uel guttulae aliquot ſpiritus uitriolici, nitroſi, aut ſulphurei; in multa aqua calidiuſcula frequenter epotae. PLINIVS, *l.31. c.11.* de ſale ſic habet: *bibitur et contra opium ex aceto mulſo.* Nec ulla opiatis eſt praeſtantior antidotus, quam quidem acetum quodcunque, metallicum, factitium, aut naturale, non leui argumento, opiatorum uirus omnium, in ſale uolatili acri alkalino conſiſtere. Sic homines, quibus in extirpatione alicuius membri data fuere ex opio, mandragora, hyoſcyamo, et uerbaſco, uel cynogloſſa, catapotia, nullo alio expergiſcunt artificio, quam ſi nares aceto fortiſſimo fricueris. Sed omnia, quae uel incidunt coagulata, ab inebriaminibus facta, uel diluunt, narcoſin tollunt. Hinc potus calidus Theae et Coffee celebratur poſt crapulam, non adeo propter uim horum, ſed propter aquam calidam. Adeoque CELSVS, *Praefat. l. 1.* Caſſium, medicum, potu aquae frigidae, quendam reſtituiſſe prodit, febrientem ex uini crapula.

Theſ. 5. Vnde etiam ſpirituum ſulphureorum et inebriaminum ſtrenui helluones, ebrietatem ſibi diſpellere, epoto aceto, norunt, ut quoque ſuo tempore meminit MACROBIVS, *Saturn. l. 7. c. 6.* Et noſtratibus, quando largius ſeſe ingurgitauerant, acidum iuſculum comedere in uſu eſt, mulierculis *Plock-Finck* et *Fylle-Hund-Soppa* dictum. Ratio uidetur eſſe, quod forſan illud uaſa ſtimulando, ad urinarias uias potulen-

ta

ta demandet et ableget, uel ui ſua inſigniter ſudorifera, plurimam partem per ſpiracula cutis eiiciat, uel, ut ueroſimilius eſt, ſpiculis ſuis ancipitibus, coagulatos ab inebriaminibus humores, teneat, perque emiſſaria exterminet. Et HIPPOCRATES, *de Rat. uict. in acut. n. 59.* optimum eſſe eſui, ſcribit, ſi quis ebrius eſt, aut ad potationem ire uolet, allium, mihi infeſtiſſimum. Sic Androcydes, referente PLINIO, *lib. 17. cap. 14.* medicinam contra ebrietates, raphanum mandi praecepit, quod radix, inſigne ſit diureticum. Et Hungari, ubi nocturno certarunt mero, appetitum proſtratum iure acido, ex fermento confecto, quod ſupra deſcriptum, ab orco reuocant, referente THOMA IORDANO, *Phaenom. Peſt. Tract. 3. cap. 6.* Hanc quoque, ebrietatem diſcutiendi, uim, amygdalis amaris ineſſe, exemplo confirmat PLVTARCHVS, *ſympoſ. l. 1. qu. 6.* medici cuiusdam Druſi, Tiberii, Caeſaris, filii, qui amygdalas quinque, aut ſex, amaras, ſubinde ante compotationes edere ſolitus, omnibus aliis palmam bibendo praeripuit. Et PLINIVS, *l. 23. c. 8.* ſic: *aiunt quinis fere praeſumtis, ebrietatem non ſentire potores.* Sic urſos, cum mandragorae poma guſtauere, formicas lambere, ſcribit PLINIVS, *l. 8. c. 27.* neque hoc ſine ratione. Namque haec animalcula ſpirant ſal quoddam uolatile ammoniacale, comeſtaque, egregium ſunt remedium, in locis deſertis, aeſtiuali ſiti compe-

ſcendae et extinguendae, ut ipſe ſaepius probaui.

Theſ. 6. Namque, quod inebriantia ſpirituoſiora, liquida noſtra cogant, capitisque ſic dolores excitent, urendoque neruos ſentientes, ſtuporem inducant, nullus dubito. Hinc etiam in caro, lethargo, aliisque ſoporoſis morbis, acetum, naribus inſufflatum, plus excitat, quam ſpiritus quilibet uolatiliſſimus alkalinus. Ideoque HIPPOCRATES, *l. 2. de morb. n. 70.* Mali Punici ſuccum, ptiſanae ſucco admiſcendum, ſuadet in lethargo. CELSVS porro, acetum in lethargo laudat, *l. 3. c. 20.* Syrupus quoque acetoſitatis citri magnarum hic eſt uirium, ipſeque mali Medici ſuccus, ut ſupra innui:

- - quo non praeſentius ullum
Pocula ſi quando ſaeuae infecere nouercae,
Miſcueruntque herbas, et non innoxia uerba,
Auxilium uenit, et membris agit atra uenena.

ut Poeta canit, *l. 2. Georg.* de citrio malo, uideturque mihi de narcoticarum plantarum ueneno, ſeu Meconio, eiusque antidoto, fuiſſe locutus. Conf. PLINIVS, *lib. 12. c. 3.* et ATHENAEVS, *Deipnoſoph. l. 3. c. 5.* Sed, qui omnium uenenorum, ad ueterum mentem, alexipharmaca, horumque ſimiliter in tabulam redacta, uidere geſtit, adeat DIOSCORIDEM, *lib. Alexipharm.* SCRIBONIVM LARGVM, *de Compoſ. med. a cap. 179. ad 200.* AVICENNAM,

NAM, *d. l.* et CARDANVM, *de Venen. lib. 3. cap. 23.*

Theſ. 7. Venena fungorum, tam acrium, quam lentorum uiſcidorumque, optime curantur, ſi ſtatim per uomitum eiiciantur. Vel, ſi ne ſic quidem exterminari poſſint, proſunt pyra, confeſtim ſumta. Omnium tamen optime eos debellat acetum potum, quod non ſolum eis contrarium eſt, quatenus fungorum corroſiuorum alkali acre uolatile oleoſum retundit, ſed et quatenus tenacem lentorum pituitam incidit et diſcindit, meabilemque per uaſa facit. De Pyris ita PLINIVS, *lib. 23. c. 7. ipſa aduerſantur boletis atque fungis, pelluntque pondere et pugnante ſucco.* Adpoſite PLINIVS, pugnantem acidum pyri ſuccum cum fungorum alkalino ueneno dicit. Prodeſt et contra fungorum uenena, nitrum ex poſca, ſic enim aquae et aceti mixturam appellabant ueteres, potum, ut bene praecipit PLINIVS, *l. 31. c. 10.* Quanquam raro medela digni uidentur illi, ut canit IVVENALIS, *Satyr. 11.*

Quibus in ſolo uiuendi cauſa palato eſt,

quique ut paulo infra idem,

- - *guſtus elementa per omnia quaerunt,*
Nunquam animo pretiis obſtantibus.

Theſ. 8. In *Faſcinorum* et *Philtrorum* curatione, ad ueneni epoti et propinati naturam reſpiciendum. Et, ſi faſcinum per aliquod acre uenenum compoſitum fuit, per contraria cu-

randum remedia, a me ſuperius breuiter enumerata. Namque, ſi praeter meam opinionem, aliquid diabolici hic lateat, et ſpirituale quid, a Medico auxilium ſperandum non erit, niſi forte res naturales, quod ualde credibile, in ſua petiiſſe diabolum miniſteria, adſerere uelimus. Prodeſſe auctores multi ſpondent, uano tamen conſilio, ex collo penſiles gerere lapides pretioſos, ſmaragdum, hyacinthum, amethyſtum, chelidonium, gagatem, tobazinum, carbunculum, iaſpidem, corallium, mumiam Aegyptiacam, poeoniaeque radicem. Mutare regionem, ego quidem pro remedio optimo reputaui ſemper. Faſcinum quoque, cum ſaepe a metu et imaginatione forti profluat, curationem poſcit, in confirmatione mentis poſitam. Et, ſicut longi morbi, immutato aere, ſolo coeloque, facilius curantur, quam domi, et ſaepe absque ullo alio remedio, hinc quoque in id medicamentum ſedulo animus flectendus. Nam Faſcinum, quod fit ab inhalatione alkalium acrium, contrario facile tollitur, ſiue ex oculis, ſiue ore proiectus halitus fuit. Deuoti uero, et quos male angit cruciatque conſcientia, medicinis ſpiritualibus ſolis ſanantur, ſeria factorum poenitentia, et confidentia Diuinum in Numen. Quae enim de adamante, in brachio ſiniſtro geſtato, adferri ab auctoribus ſolent, uana eſſe, putandum, niſi fortis acceſſerit imaginatio. In omnibus tamen morbis, ſiue corporis, ſiue mentis, conſolari aegros Medicum oportet, quia, iuxta PLAVTVM, *Capt. Act. 2. Sc. 1.*

In

In re mala, animo ſi bono utare, adiuuat.

Theſ. 9. Quod Philtra concernit, ſeu inſanos amores, per pocula exſuſcitatos, ueteres Pagani, ex praeſcripto Cratetis Thebani, quod LAERTIVS, allegat, *lib. 6. de Vit. Philoſ.* διὰ λιμὸν, χρόνον, καὶ βρόχον, curabant, methodo, a Chriſtianis medicis non per omnia imitanda. In hoc quoque articulo ad acre adſumtum reſpiciendum eſt. *r*) Et, ſi per ſtimulantia et acria quis concitatus fuerit in feruidiores amoris aeſtus, per illa facile ſanabitur, quae uel ueneni uim oblinunt, uel infringunt, uel quae diluunt, ante memorata. Illa autem, conſtantiſſime perdurans membri erectio, et dolor ueſicae urens quam maxime, qui per cantharides, uel ſponte eum in finem adſumtos, uel ex ueſicatorio inſinuatos, fieri ſolent, facilius non tolluntur, quam ſi adplicetur externe cataplasma ex fermento acido, uel fece uini Rhenani, aut Hiſpanici, uel interne bibatur lac, aut poſca calens copioſa, aut ali-

r) Omnia, quae de philtrorum, amorem erga certum ſubiectum determinantium, effectibus, dicuntur, mera eſſe figmenta, minusque fundata praeiudicia, abunde pluribus rationibus et exemplis, *diſſertatione, de Philtris rite examinandis et iudicandis*, probaui; nam, ſi quis amat ceruam, ceruam putat eſſe Mineruam; et, ſi quis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam. Vnde homines, uehementius impenſiore puellae, uel foeminae cuiusdam, qua potiri nequeunt, amore faſcinati, ue-

quod metallicum acetum, guttatim aquae purae calidae inſtillatum, aut pinguia, quae quidem abſcondunt ſpicula, ſed non tollunt, nec alterant.

Theſ. 10. Proſunt et talibus peregrinationes, ludus aleae, latrunculorum, aut chartarum, quae animum a re impenſius amata auertant. Nunquam ſint otioſi, ſed ſemper aliquid agendo, amare dediſcant, iuxta illud NASONIS, *Remed. Amor. lib. 1.*

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus,
Contemtaeque iacent et ſine luce faces.
Quam platanus riuo gaudet, quam populus unda,
Et quam limoſa canna paluſtris humo,
Tam uenus otia amat. Finem qui quaeris amori,
Cedit amor rebus: res age, tutus eris.

Vena-

xati, blenni ſtupidique ſunt, firmiſſime ea detenti imaginatione ac perſuaſione, ſimilem in uniuerſo terrarum orbe uirginem aut mulierem non reperiri. Hoc illorum exemplis, quale refert TULPIUS, *obſ. lib. 1. obſ. 22.* qui, ex repulſa, quam amata dedit puella, in catalepſin incidit, confirmatur. Optimum hic cenſeo auxilium, matrimonium tempeſtiue contractum, ac uiuam uitiorum, quibus amatum ſubiectum, denegatum, ſcatet, reprae-

Venationes, et aucupia, arborum inſitiones, et agricultura, hic maxime proſunt, iuxta HORATIVM, *Epod. Od. 2.*

Amite leui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos:
Pauidumque leporem, et aduenam laqueo gruem,
Iucunda captat praemia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Haec inter obliuiſcitur.

Nouos porro introducere amores alius puellae, aut uituperare eam, quae tam perdite amatur, conuariis uerborum confictis contumeliis, conuenit. Conf. DOMINICI LEONI, *Ars Medica l. 2. S. 2. c. 11.*

ſentationem; tu modo, monet OVIDIVS, *lib. 1. de Remed. Amor.* qui, quod amas, aegre dediſcis amare, nec potes, et uelles poſſe, docendus eris. Saepe refer tecum ſceleratae facta puellae, et pone ante oculos omnia damna tuos. Si porro, huiusmodi hominis animum, meretricis uerba blanda, blanditiaeque muliebres occuparunt, antecedentibus fuga, iterque ad diſſita loca, iungenda ſunt, uti citatus praecipit auctor, *citato loco*, hanc regulam inculcans: Tu tantum, quamuis firmis retinebere uinclis, i procul, et longas carpere perge uias; nec quot tranſieris, ſed

Theſ. 11. Medicina enim, in amore extinguendo, non adeo felix ſemper, nec tuto, adhibetur. Hinc Apollo, Medicinae inuentor, Peneian Daphnen improſpere perſecutus, apud NASONEM, fabulatorem, *l. 1. Metamorph.* exclamat:

Hei mihi, quod nullis amor eſt medicabilis herbis!

Nam certe morbo difficulter ſanabili is laborat, qui perinde, ac Dido Virgiliana, *lib. 4. Aeneid.*

Vulnus alit uenis, et coeco carpitur igni.

Sicut enim curatio uenenorum, quae ex affectibus animi, moerore, gaudio, dolore, ira, etc. dependent, ſaepiſſime nulla eſt per medicinas pharmaceuticas, ſed per contrarium ſaltem affectum, ſic leniri quidem lymphatus amor poteſt, amatae tamen rei impetratio, uel bona, eloquens et bene deducta oratio, hic magis ualet. Namque, ut bene NASO, *de Pont. lib. 1. Eleg. 4.*

Ad-

quot tibi, quaere, ſuperſunt millia, nec maneas ut prope, finge moras. Tempora nec numera, nec crebro reſpice Romam, ſed fuge, tutus adhuc Parchus ab hoſte fuga eſt. Libidinoſae denique hominis conſtitutioni, per uſum ſeroſorum, terreorum, nitroſorum, acidorum, ſaturninorum, fugam contra aromaticorum, et bene nutrientium, ſuccurrere decet.

Adferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla uulnera cordis ope.
Cura quoque interdum nulla eſt medicabilis arte:
Aut ſi ſit, longa eſt attenuanda mora.

Theſ. 12. Vitam uero lautiorem, et cibos melioris ſucci, qui ſequi ſolet peruerſus amor, non difficulter tollitur per contrariam uiuendi rationem, famemque liberaliorem: *ſine Cerere* enim *et Libero, friget Venus*, Chremetis Terentiani effato. Et iuxta PHOCYLIDEM:

Ἡ πολλὴ δὲ τροφὴ πρὸς ἀμέτρους ἕλκει ἔρωτας.

Infibulare enim adoleſcentem ſalacem, ut in pueris factitatum, CELSVS prodit, *lib. 7. c. 25. n. 3.*

Cuius in indomito conſtantior inguine neruus, ut FLACCI uerbis utar, *Epod. Od. 12.* certe impoſſibile eſt. Nam, quae in hunc uſum a monachis uſurpari ſolent cilicia et flagella, monachis relinquenda ſunt. Vinum quoque talibus uitandum quam maxime: *quia proximus a Libero, patre, intemperantiae gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſueuit*, uerba ſunt VALERII MAXIMI, *l. 2. c. 1.* Bene quoque a quibusdam audit, ſal ſaturni, acetum uini, et ruta, *s)* ſtomachalis illa et anthelmintica herba, ad

 minu-

s) Vulgaris quidem de ruta eſt traditio, quod uſus eſusque illius, ſtimulos ueneris extinguat, γονήν τε, ſcribit DIOSCORIDES, *l. 3. c. 52.* σβέννυσιν ἐσθιόμενον καὶ πινόμενον, ruta nempe, ſeu eſu, ſeu

minuendam ſalacitatem. Hinc NASO, *lib. 2. de Remed. amor.* remedium, ſalacitati tollendae, praeſcribens, ſic canit:

Daurius an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris,
An ueniat Megaris, noxius omnis erit.
Nec minus erucas aptum eſt uitare ſalaces,
Et quidquid Veneri corpora noſtra parat.
Vtilius ſumas acuentes lumina rutas,
Et quidquid Veneri corpora noſtra negat.

Namque, *ut illa* Medicinae pars, *quae uictu curat, aliquando medicamentum adhibet, ſic illa, quae praecipue medicamentis pugnat, adhibere etiam rationem uictus debet, quae multum admodum in omnibus malis corporis proficit*, ut egregie CELSVS diſputat, *Praefat. lib. 5.* Et, ſi alio modo Venus extingui uaga nequeat, ineundum eſt matrimonium coniugis pulchrae caſtaeque, ſecundum illud SENECAE, *in Octau. Act. 1.*

Iuue-

potu adhibita genituram extinguit. Imo rutam, Graecis πήγανον hinc dictam fuiſſe, quod ſiccitate ac caliditate ſua coaguletac condenſet ſemen, PLVTARCHVS, *lib. 3. Sympoſ. Quaeſt.* hiſce teſtatur: *Φασὶ καὶ τὸ πήγανον, ἀπὸ τῆς δυνάμεως ὠνομάσθαι· πήγνυσι γὰρ ξηρότητι διὰ θερμότητα τὸ σπέρμα, καὶ ὅλως πολέμιόν ἐστι ταῖς κυούσαις.* Eadem fere, de ruta, affert Nicandri Scholiaſtes, *Notis ad Alexipharmac. Nicandri*, ſcri-

Iuuenilis ardor impetu primo furit,
Langueſcit idem facile, nec durat diu
In uenere turpi, ceu leuis flammae uapor.
Amor perennis coniugis caſtae manet.

Hinc uirgines, chloroſi laborantes, ſolo matrimonio et coniugali copula curantur, ut ſupra dictum, niſi quod acidulae chalybeatae hunc interdum morbum alleuare ſoleant, adiuuante prae ceteris exercitio uario ſaltationis, uectionis, nauigationis, ambulationis, et geſtationis. *t*) Et obſeruauit cl. BAGLIVIVS, uirgines in Italia, ex chloroſi, Tarantatorum ſymptomata ementientes, ſaltationibus curari, *de Tarant. cap. 7.*

Theſ.

bens: τὸ δὲ πήγανον παρὰ τὸ πήγνυσθαι τὴν γονήν· ἔςι δὲ ἐπισχετικὸν τῆς συνεσίας· διὸ καὶ οἱ μυέμενοι ἀυτῷ χρῶνται. Sed, ſi rutae principia, maximam partem ſale uolatili oleoſo conſtantia, et quotidianum fere uſum eſumque rutae, quo multi homines delectantur, innoxium, et foecundo coitui minus infeſtum, conſidero, rutam, ad caſtitatem procurandam, promiſcue commendare nequeo, uti pluribus demonſtraui, *Diſſertatione, de Ruta, medicamento, ac ueneno.*

t) Male atque inique in uirginibus uiduisque pallidis, uterum, uterique morbos, ſaepius accuſari, accuratum examen circumſtantiarum, in huiusmodi ſubiectis, atque infirmitatibus, quibus affliguntur, occurrentium, ob oculos ponit; nam

Theſ. 13. Petenda etiam ſunt ex Moraliſtarum Gymnaſiis remedia, increpando identidem dedecus, infamiam, ac turpitudinem, aliaque longo ordine mala, ex tali amoris inſania ſuboritura. *u*) Quaeque fomenta his addunt, laſciua carmina, uitanda et proſcribenda ſunt; plurimi enim per haec ſcelus contraxerunt. De quibus, ſcriptor grauiſſimus, THVANVS, *Hiſt. lib.* 22. ita; *Nec inter poſtrema corrupti ſeculi teſtimonia, recenſebantur Poetae Galli,* (Ronſardi ſimiles) *quorum prouentu regnum Henrici II. abundauit, qui ingenio ſuo abuſi, per foedas adulationes ambitioſae foeminae,* (Dianae Pictauienſis, meretriculae Regiae,) *blandiebantur, iuuentute interim corrupta, puerisque a ueris ſtudiis ita abductis, ac poſtremo ex uir-*

frequentiſſime, non defectus coitus, ſed frequentior impurusque coitus, et, uel fortiora emmenagoga, abortum procurandi ergo degluti-ta, uel aſſumta terrea, ſcopo conciliandi pallorem amatorium, ut alias innumeras cauſas ſilentio tranſeam, in culpa ſunt, quod uberius explicaui, *diſſertatione, de Vtero inſonte.*

u) Etenim, ſaepenumero conſilium bonum, tempeſtiue datum, ac prudenter applicatum, plus in praeſenti ſtatu caſuque prodeſt, quam omnia medicorum arcana, ac ſpecifica, totusque myropolarum apparatus. Hinc accommodate CALLIMACHVS, *Epigram.* 49. canit: *αἱ μῶσαι τὸν*

uirginum animis pudore et uerecundia per laſciuarum cantionum illecebras eliminata.

Theſ. 14. Proderit quoque amatis impenſe mulierculis, ad exemplum Hypatiae, Theonis, Geometri, filiae, et Iſidori, Philoſophi, uxoris, Philoſophae ſimul ac Heroinae, quam SVIDAS, *in Lexico p. m.* 976. commemorat, ſollerti aſtutia ſuis oſtentare amatoribus, linteamina, ſanie menſtruali conſperſa, locaque ſecretiora, tam impenſe amata, iſto cruore adhuc dum manantia, in eandem cum Hypatia erumpendo exclamationem: τȣ́τȣ μέντοι ἐρᾷς, ὦ νεανίσκε, καλȣ̃ δὲ ὀυδενός. Vel, quas a RAYMVNDO LVLLIO, Chymico, dilecta impenſius Eleonora adhibuit partes, amatoremque attentius ipſam in templo contemplantem abſterruit, ſi res ita ferat, recincto ſtrophio, ulcus foedum cancroſae mammae explicare. *x*)

Theſ.

ἔρωτα κατίσχαυνον ἔντι, Φίλιππε· ἡ πανακὲς πάντων φάρμακον ἡ σοφία, τȣ̃το δοκῶ, χ' ἁ λίμος ἔχει μόνον ἐς τὰ πονηρὰ τὤγαθον, ἐκκόπτει τὰν φιλόπαιδα νόσον.

x) Hanc de Lullii amore hiſtoriam, modo non ſit fabula, recenſet VINCENTIVS MVTIVS, Hiſpanus, *Hiſtor. del Reyno de Mallorca.* Rarum certe, ſi uera ſunt, quae referuntur, eſt exemplum, ab hodiernarum puellarum et mulierum moribus, plane abhorrens, qui partes corruptas quouis

Theſ. 15. Iſta tamen forte cum noſtri ſeculi corruptis quibusdam et diobolaribus puellis minime conuenient, in id unice atque omni ſtudio incumbentibus, ut iuuenum palantes in amore animos non a ſe propellant, quin potius blandiſſimo lenociniorum et illecebrarum artificio, manu et uoce, ad ſe pelliciant, compellantque. Quae continuo clamant, cum Plautina Cleaereta, *Aſinar. Act. 1. Sc. 3.*

Semper oculatae noſtrae ſunt manus, credunt quod uident:

non abſimiles plane Meſſalinae, Claudii, Caeſaris, coniugi, quae *regalem exiſtimans palmam, elegit in id certamen, nobiliſſimam e proſtitutis ancillam mercenariae ſtipis, eamque die ac nocte ſuperauit quinto ac uiceſimo concubitu*, ut PLINIVS, *l. 10. c. 63.* narrat. Vnde occaſio data eſt Satyrico, IVVENALI, *Sat. 6.* eam ſic perſtringendi:

Triſtis

---

modo occultant, mammas uero, flaccidas licet, ſuppoſitis linteaminibus, compreſſo per fortiores ligaturas abdomine, nudas, tanquam res uenales, non abſterrendi, ſed irritandi alliciendique iuuenes fine, exponunt; Vnde maxime proficuum ſalutareque iuuenibus eſſe, iudico, omnem cum ſexu ſequiore, peſſima tali conſuetudine infecto, conuerſationem fugere, perpendendo, multos hinc lue uenerea non ſaltem correptos, ſed totam

Triſtis abit, ſed, quod potuit, tamen ultima cellam
Clauſit, adhuc ardens rigidae tentigine uuluae,
Et laſſata uiris, nec dum ſatiata, receſſit.

Theſ. 16. Sed, ſicut faſcina et philtra a me aliter non intelliguntur, quam ſcelera per res maxime naturales facta, ita puto eadem, per contraria ſemper remedia debellari. Et, quemadmomodum multa ingenii noſtri imbecillitatem longe ſuperent, ita quoque non poſſunt non eadem languide curari. Talem autem cognationem plurima, et quidem omnia unius generis acria, inter ſe habent, ut uno bene intellecto, reliquorum facile natura habeatur et penetretur. Atque haec uenena iam dicta, uel mortem adferunt ſubitaneam, uel remedium etiam ſuſcipiunt, quia in fluido maxime ſanguineo pererrant et fluitant; ſed uenena temporanea chronicorum morborum, uel in ipſo ſolido male affecto fundantur, uel et in uiſcido atque inerti aliquo, canales firmiſſime obthurante malo, quam maxime medelis recalcitrante, ac ſaepe inſanabili.

CAPVT

etiam familiam, totam gentem in miſerrimum ſtatum ſaepe praecipitatam fuiſſe, de quibus prolixius egi, *diſſertatione, morbos corporis, morbis mentis non curandos eſſe,* euincente.

Capvt Vigesimvm Primvm.

De Corrigendis Venenis Chronicis, ac curandis ex eorum uſu malis, agit.

Theſ. 1. Ad morbos chronicos progrediemur, partim in humoribus fundatos, ſed acri ſali ſua debentes primordia, cum uiſcido qualicunque in minimis uaſis haerente, partim denique, atque id utplurimum, ſolidis ipſis et uaſis in motu ſuo naturali, id eſt, contractilitate reciproca, per quamcunque cauſam, ſupra enarratam, aliamue, flaccidis, et labefactatis. Vt obiter tantum hoc dicam, uidetur recentiorum dogma de coagulatione et diſſolutione liquidorum, et flacciditate ſolidorum, cum ueterum Methodicorum laxo et ſtricto conuenire, per mechanicas motuum leges, a fluido et ſolido reciproce exiſtentes, phaenomenis morborum nunc explicatis. Videſis BAGLIVIVM, *de Prax. Med. l. 2. c. 8. ſ. 2. p. m. 201.* Methodicorum autem ſecta, principem ex Graecis agnoſcit, THEMISONEM, ex Latinis uero COELIVM AVRELIANVM. Et de laxo ac ſtricto, horumque intermedio, lege CELSVM, *Praef. l. 1.*

Theſ. 2. Quomodo acria, uiſcidis implicata, in nobis generentur, uidimus ſupra. Et, ſi ſanguinem ſpectemus, in illo praecipue deprehendimus

dimus aquam, oleum, ſalia, et terram. Aqua nunquam acris fieri poteſt, uti nec terra; reſtat ergo ſal et oleum. Quod oleum attinet, in ſtatu quidem ſano, mite eſt, et benignum, ſed, ſi aliquas ſubit mutationes, fit acerrimum: non ſecus ac butyrum, uel aliae pinguedines, in uentriculo diu permanentes, ranceſcunt, et contrahunt acredinem. Sales uero acutiorem inducunt aciem, ſi ex nimio corporis calore et motu atterantur in angulos uarios et figuras conicas ac pyramidales. *γ*) Terra, ubicunque fuerit,

γ) Licet ego ad eorum non acceſſerim partes, qui certas certorum ſalium, aliorumque corporum particulas, particularumque cuſpides et figuras, exacte determinare uoluerunt, hoc tamen ſatis liquere puto, quod ſalia, oleaque, ſanguini ſuccisque corporis noſtri inhaerentia, multum in figura et magnitudine per diuerſum ſolidorum motum attritumque immutentur. Eadem fere ratione, motus, in ſuccos ſaliaque corporis noſtri agit, qua, ignis, concreta digerenda, ſoluenda, deſtillanda, afficere, alterareque ſolet. Experimentum luculentum in nitro, ac mutatis ui ignis affectionibus eiusdem mechanicis, figuris imprimis et magnitudinibus particularum, habemus; nam, nitrum, ſibi relictum, latioribus conſtat cryſtallis, quae priſmatum inſtar, in ſex diſtinctae latera, minus fortem minusque profundam in lingua ſana impreſſionem faciendo, ſubamari ſalſique ſenſum ſaporis excitant; cum contra, idem nitrum, fortiſſi-

rit, acris fieri nequit. Si quoque aliquid in corpore ſtagnauerit, calore et impulſu uicinorum uarie comminuitur in acre quidem triplex, acidum, in primis praecipue ſtagnans regionibus, oleoſum, et alkalinum uolatile, comitante ſemper, cum acri oleoſo, acredine alkalina. z)

Theſ. 3. Equidem ex illis, quae in ſuperioribus ſunt dicta, facile conſtat, quam leui negotio, ſales acidi uolatiles, per continuatam diu ſanguinis circumgyrationem, cum eiusdem alkalinis

ma ignis ui diſcerptum, reſolutum, in plures, easque ita extenuatas et exacutas particulas, ſero ſuo ſolutas, diuidatur, ut non acidum modo excitet ſaporem acerrimum, ſed cauſtica quoque ſuarum particularum tenuiſſimarum acredine, fortius laceſſendo atque irritando, ſolida plane exedat, deſtruat. uid. BERGERVS, *de Nat. human. lib. 1. cap. 25. pag. 368. et 369.* Ita peraeque ipſam gelatinam, nutritioni impendendam, nimis repetitis circuitibus, liquidiſſimis orbari, denſam et acrem reddi, euectis oleis, ſalibus cumulatis, atque exaſperatis, docet, praeter quotidianam experientiam, BOERHAVE, *Inſtit. Med. ed. Pariſ. in 8uo, de ao. 1722. §. 455. pag. 143.*

z) Diuerſa acrimoniae genera, originem, ſigna, effectus, antidota, optime explicauit BOERHAVE, *Inſt. Med. ed. cit. a. §. 760. ad 763. p. 244. et 245. et a §. 911. ad 916. pag. 281. ad 283. et Tract. de Viribus Medicamentorum, Pariſiis, 1726. in 8uo. ed. Prolegomenis, cap. 5. a p. 16. ad 25.*

kalinis ſalibus, mutuo inito connubio, in aliquod tertium, ſalem nempe ammoniacum, faceſſere queant, ignique chymico expoſitum ſanguinem, uel ſolidas hominis partes, arte hactenus cognita, ſolummodo ſpiritum effundere alkalinum, cum acidis, per contrarium ſalem, ſtrenue colluctantem. Debemus tamen in Praxi Medica ſaepius reſpicere ad morbos, ex ſale acido, ut et ſale muriatico, exortos, quae ſalia adhuc in eiusmodi compoſitum tertium non abiuerunt, per quandam quaſi inter alkali et acidum, aut ſalſum, cum uiſcoſo conceptam interne digeſtionem: acidis iſtis frequentiſſimo uſu ita copioſe ingeſtis, aut ſalibus muriaticis cum uiſcido tam largiter deuoratis, ut prae ſua copia morbos, ſuo genio conuenientes, prius in actum deducant, quam fuerint per crebros ſanguinis attritus et circulationes, uaſorumque impulſationes, dum uel in ipſo feruntur ſanguinis flumine, uel alicubi ſtagnauerint, iſtam paſſa limam, inque eum redacta ſubtilitatis ſtatum, quo priſtinam deponendo naturam, in aliam, planeque diuerſam indolem, conuertantur.

Theſ. 4. Internoſcitur autem acidum praedominans, praeſertim ſi uiſcera omnia externa et oris liueſcant palleſcantque. Salſam intemperiem ſapor ſalſus in ore, et corporis tumor indicant; in alkalino uero praedominio uaria habentur putrefactionis indicia, oris praecipue halitus cadauëroſus, et urina putrida foetens, cum ſiti, calore, et olido totius corporis foe-

 tore,

tore. *a*) Et quae praeterea ſigna morborum chronicorum ſunt incipientium, progreſſorum, aut iam in perniciem terminandorum, ac legi poſſunt apud auctores uarios, qui hoc argumentum prolixe tractarunt. Chronici autem morbi, hanc ob cauſam tam difficulter curantur, quia uitium ſaepe numero latet in flacciditate partium ſolidarum, trahentium fluida in conſenſum et

a) Sedulo examinandum ac perquirendum, an acrimonia, in humano peccans corpore, uitium ſit particulare, uel uniuerſale; nam frequenter, ſalia acida, alcalia, olea rancida, in canale alimentorum, uictus uitio, colliguntur, ita ut, talis acrimonia, cruditatum nomine, primas ſaltem occupet uias, accommodatis digeſtiuis, emeticis, ac purgantibus, corrigenda, remouenda. Quae remedia minus ſufficiunt, ſi talis acrimonia, quaecunque eadem ſit, ab ita dicto temperamento, uel ſanguinis dyſcraſia, dependeat. Dehinc ſumme neceſſarium, ut in examine huius illiusue acrimoniae, aliusque intemperiei, corpus laedentis, uel laeſurae, occupati, non ſaltem praeſentem ſtatum, huiusque ſigna, ſedulo perpendamus, ſed in antecedentia etiam inquiramus, eaque cum praeſentibus conferamus. Qua methodo uſi ſumus, *Anthropologia, ad Pathologiam applicata*, *cap.* 25. *a* §. 47. *ad* 64. *et Medicina Theoretico-Practica*, *cap.* 2. *a* §. 46. *ad* 52. *p.* 26. 27. *et* 28. *item*, *cap.* 4. *a* §. 80. *ad* 99. *a pag.* 109. *ad* 117.

et inertiam. Interdum etiam uermes in cauſa ſunt, et forſan ſaepius, quam poſſumus hoc cogitare. Liquida porro uel craſſitie, uel tenuitate, uel acredine, aut inertia peccantia, facile reſtituuntur; ſolida uero difficillime priſtinum elaterem recipiunt, ut optime monet BAGLIVIVS, *de Fibr. Motr. l. 1. c. 6. Coroll. 1.*

Theſ. 5. Sed, per exempla aliquot morborum chronicorum eundo, in talium quoque uenenorum curationem deueniamus. *Scorbutum*, frequentiſſimum morbum, quidam ſcriptores nouum eſſe, contendunt, terrisque Septentrionalibus ſolummodo endemium. *b)* IODOCVS

 uero

b) Nullum uocabulum frequentius in foro medico auditur, quam ſcorbutus; ſi morbus ipſe indicandus, uocatur ſcorbutus, ſi cauſa morbi determinanda, in ſcenam denuo prodit ſcorbutus, ſi ſymptomatum urgentium ratio reddenda, culpatur ſcorbutus, ſi aegrotus morbo perit, ſcorbuti accuſatur malignitas, ſi quaeras de medicamentis adhibendis, laudantur antiſcorbutica; paucis: ſcorbutus, uniuerſale ignorantiae imperitorum medicorum eſt aſylum, idem, ac cacochymia, intemperies, et dyſcraſia, notans, uti iam probaui, *pag. 351. et 352. ſub not. c.* Operae igitur pretium eſt, imo cuiuis genuino incumbit medico, ita dicti ſcorbuti originem, ſedem, atque indolem, ex antecedentibus, cum praeſentibus accurate et prudenter collatis, eruere, hisque deinceps methodum medendi et reme-

uero LOMMIVS, *in egregio obſeruationum medicinalium opuſculo, lib. 1. p. m. 62.* ipſam eſſe aegritudinem, opinatur, quam HIPPOCRATES olim, ſub *magnis lienibus*, expreſſit. Et certe, utut HIPPOCRATES plurimis in locis, atrae bilis ſedem faciat lienem, materiaque ibi, uel in uiſceribus proximis ſtagnans, et per moram acris facta, aliud quid, quam ſcorbutum, indicet, loca tamen eiusdem Senis, *lib. de Int. Aff. et lib. 2. Praedict.* per gingiuarum uitia, haemorrhagias, graueolentiam oris, tibiarum ulcera, dentiumque dolores, et tumores ſubter oculos, non obſcure hunc morbum, ſub iſto magnorum ſplenum nomine, uel *εἰλεῦ τοῦ αἱματίτου*, innuere uidentur, ſibique fuiſſe notiſſimum. Ex Hippocrate, CELSVS, *lib. 2. c. 7.* eadem mala, circa magnos lienes, enumerat.

Theſ. 6. Verum, prout hic morbus, uel in principio, uel progreſſu, aut in fine eſt, ita et uarie tractandus. In initio enim conducunt purgantia, exercitia uaria, pharmaca acria, atque omnia, quae ſanguinem uiſcidum, haerentem, et immeabilem, rurſus diſcerpere ualeant. Atque in hoc caſu, antiſcorbutica dicta, cum fructu ad-

dia accommodare, quod ſerio urgemus et monemus, *diſſertatione, de rite perquirenda morborum origine, a cap. 8. p. 15. usque ad finem, et Tract. de Aſyl. Ignorantiae, in Medicina et Chirurgia uſitatis, cap. 24. et 25. a p. 25. ad 29.* item, *Medicin. Theoret. Pract. cap. 6. a p. 160. ad 180.*

adhibentur. Sed, ubi adoleuit, et leuiter putrere incipit, eadem quidem conueniunt, ſed mitiora acidiuſcula. Exercitia tum ualida, exacerbant morbum, uertuntque in febrim: ſed modica non obſunt. Vbi uero cum ſiti, febri, maculis uariis, et ulceribus ἐσθιομένοις, foetore corporis et ſpiritus, nigrore dentium, eorumque caſu, tum gingiuarum cancro, (Belgae *Water-Kanker* adpellant) et urina putrida, ſe proripit, antiſcorbutica adpellata, atque omnia acria alkalina, ſunt peſſima uenena. Contra proſunt acida uegetabilium quaecunque, tum metallica, atque omnia ea, quae putridis morbis adhiberi ſolent. *c*) Hinc ſaepe ſaliuatio profuit, ut ego illuſtre tentaui exemplum in uiro magni nominis, Ao. 1709. qui conſummato iam ſcorbuto laborabat. Nec adcuratior huius morbi extat hiſtoria, quam apud EVGALENVM, Medicum Em-

c) Acetum uini, cum ſiliginis ſucco, magnopere, ad arcendam dentium corruptionem, et foetorem, HERMANNVS *van der* HEYDEN, *Diſcurſ. 4. p. 402.* commendat. Maxime quoque proficuum et ſalutare deprehendi acetum cochleariae, dentibus gingiuisque eroſis illitum, adhibito deinceps puluere, ex aequali maſtiches et cremoris tartari parte. Praecipue uero, et primario, hic ſanguinis uitio, per accommodata antidota, ſuccurrendum, cum alias curam duntaxat palliatiuam, minime uero radicalem, huiusmodi topicis obtineamus.

danum, nec tutior curandi methodus, quam magni illius BOERHAVE, in Praxi deſcripta.

Theſ. 7. At *Peripneumonia*, a uiſcidis et bonis orta alimentis, ſi uehemens, uenae ſectionem requirit. Interdum purgantia opem ferunt, quibus utrisque ſanguis minuitur diſtendens, et reſoluitur in ſubſtantiam meabilem. Contingit tamen ſaepe, homines pariter ac equos, per criſin naturae curari, facto forte per tuſſiculam uulnere pulmonali, per quod ſic exit ingens copia boni et laudabilis puris, et homo dein bene ualet. Dabo exemplum Ao. 1709. d. 23 Aprilis, Coronis Carolinis, D. Köhler, Amanuenſis Cancellariae Nauticae, homo triginta circiter annorum, ſtaturae mediocris, breui collo, ſemper obeſus, quod noſtri *Deeſt* uocant, uernali ſaepius tempore corripitur peripneumonia, cum tuſſi, dolore capitis, difficili reſpiratione, et anxietate multa. D. 24. a Pharmacopola, apud quem habitabam, ſumit purgans, unde aliquoties aluus ſoluebatur; ſed pharmacum natura uicit, per alias uias ſibi criſin parans. Hinc ad ueſperam ſputum citum, liberum, ualde copioſum, flauum, ſanguine permiſtum, craſſum, dolorem ſedans, fluere coepit. Ideoque uehementer timens, de ſe actum eſſe, me feſtinanter uocat, ſed, propter negotia claſſiaria, domi non eram. Ergo 25. mane me rurſus uocat. Accedens inueni grauiter anhelantem, corpore et pulſu debilem, rubra facie, anxium ualde, capite dolentem, ſed bene et copioſe co-

cta

ſta ſputantem ſputa, idque facillime, et absque magno corporis niſu. Hinc bono eſſe animo iuſſi. *d*) Sed, ad haec nihil reſpondens, dicebat: ſe ipſum cum pulmone animam exſpuere, petebatque, ut darem ex pharmacopolio aliquid. Ego, qui mecum conſtitueram, nihil exhibere, praeter potum largum mellitum, uel ſacharatum, ut tamen feciſſe aliquid uiderer, praeſcripſi miſcelam ex aquis deſtillatis ceraſorum nigrorum, meliſſae, cinamomi, foeniculi, cum oxymelle ſquillitico, myrrhae puluere, floribus benzoinis, ſpermate ceti, ſyrupo de althaea Fernelii. D. 20. melius habebat, minusque ſpuebat, 27. adhuc melius, 28. ex debiliſſimo adeo firmus euaſerat, ut in ſella ſedere ualeret. 29. omnia omnino bene. En naturae opus magnum, et credulae alias plebi uix credendum, niſi iam ſaepe antea in hominibus et equis uidiſſent.

Theſ. 8. In febribus catarrhalibus, eorumque ſymptomatibus, capitis dolore, conuulſionibus interdum, ut Ao. 1708. et 1709. Stockholmiae contigit propter frigus ſummum, et ſumma denique anguſtia, opium quidem conuenit, ſed nihil in iſta Epidemia, cortice Peruuiano praeſtantius inuentum eſt, quia uaſa flac-

 cida

d) Nititur hoc praeceptum, *aphoriſmo 15. Sect. 5. Hippocratis*, qui ſequens: *ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδος, ἔμπυοι γίγνονται, ἢν ἀνακαθαρθῶσιν ἐν τεσσεράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀφ᾽ ἧς ἂν ἡ ῥῆξις γένηται, παύονται· ἢν δὲ μὴ, ἐς φθίσιν μεθίςανται.*

cida roborat, ac ſic ſanguinem ad perſpirationem naturalem rurſus deducit. *Hydrops* porro, *Anaſarca*, multo facilius medelam admittit, quam *Aſcites*, per remedia ſcilicet ſumme purgantia, mercurialia, uenerea, lunaria, aliaque. Interdum ſaliuatio profuit, et forte tali hydrope laborauit Publius Syrus Mimus, qui puer, et mancipium, in ſole iacens, hydropicus, hero ſuo, ſe increpanti, non male, ſed argute, reſpondit, aquam ſe calefacere, ut habet MACROBIVS, *Saturnal. l. 2. c. 7.*

Theſ. 9. Febris Tertiana, et *Quartana*, ſi a uiſcido oriantur, ut quam plurimum, niſi quod aliquando ex glandula, abſceſſum recondente, prorumpant, tolluntur facile Chinae cortice, dato cum Diacodio, ante paroxyſmum, ſed non ſemper. *e*) Prodeſt et ſal Ammoniacum, et praeſertim camphora, arſenicum uero, et mercurium dulcem, prudenter data, nunquam fallere, docuit experientia. Sed, dum febris ex abſceſſu

e) Tutior erit corticis chinae, in huiusmodi febribus, uſus, et praeſtantiores eiusdem uires reddentur, ſi ſalium fixorum, conſtitutioni aegrotantium, ac materiae peccantis indoli, congruorum, uiſcidum prius reſoluamus, ac ſerum abundans, neruos relaxans, euacuemus, conf. *Medicina noſtra Theoretico-Practica, cap. 5. a §. 114. ad 118. p. 153. et 154. et Diſſert. de rite perquirenda morborum origine, cap. 11. a p. 26. ad 32.* item, *Toxicologiae lib. 1. cap. 62. p. 63. et 64.*

ſceſſu fit, fugienda China eſt, tanquam peſtis, itemque, ubi inflammationes ſunt uiſcerum; nam, figit impacta, et gangraenam producit. Ad *Fluorem* mulierum album, nulla remedia, chalybeatis praeſtant, flaccidas et hiantes ſolidorum partes roborantibus, atque adſtringentibus. Conducunt quoque myrrha, ſuccinum, et alia adſtringentia, ex cortice Peruuiano, aut fraxini, parata. Sed foeminae in hoc morbo multoties mentiuntur, et, ſub iſto fluoris nomine, gonorrhoea uirulenta latet, iisque ſolis tollitur remediis, quae gonorrhoeam in uiris tollent. Facile autem hoc ipſum noueris, ſi foemina ſemper tali fluore uexetur. Si enim hoc fit, uenereus eſt morbus; ſed, ſi tempore menſtruationis, fluor ſiſtatur albus, atque iterum redeat, ex uaginalibus uel uterinis glandulis fluxus prodit, ut BAGLIVIVS quam optime annotauit, *Pr. Med. l. 2. c. 8.*

Theſ. 10. In morbis denique chronicis, ex uiſcido lymphatico oriundis, non infimum ſibi locum poſcit, noſtris Septentrionalibus, et Belgis quoque, uſitatus morbus, Noſtratibus *Snuſva* et *Fluſſ*, Belgis *Sinkingen*, catarrhus alias et deſtillatio, CELSO appellatus. Morbus ex aeris frigiditate fit quam maxime, licet ſaepiſſime oriatur ex ſolidorum flacciditate, non atterentium ſanguinem in liquidum meabile; uel ex labe uenerea, tumque circa quasuis lunae quadras, et tempeſtatum mutationes, ſentitur, et ingruit,

gruit, ut aliquoties obſeruaui. *f*) Adeſt capitis dolor, naſi obſtructio, itemque palati, et uualae prae-

f) Catarrhi eadem fere ſunt fata, quae ſcorbuti, cum hodie quiuis dolor, quoduis incommodum, internas externasque partes affligens, catarrhus uocetur. Repudiatur ueterum de catarrhis ſententia, et ubique tamen, in determinandis morbis, catarrhi allegantur. Catarrhi exemplum, roſarum odorem ſequentis, habent *A. N. C. Dec. 2. Ao. 5. obſ. 23.* Ac, quoties egomet flores chamomillae Romanae naribus admoueo, coryza afficior. Catarrhi uarias ſpecies, praeſertim catarrhum calidum et acrem, cum ſerpigine faciei, et aſthmate, commemorat Gabelhoverus, *Cent. 1. cur. 58. et 87. et Cent. 2. Cur. 40. item, Cent. 4. cur. 64.* De catarrhis uarii generis, apoplexiae prodromis, eorum cauſis, diagnoſi, prognoſi, indicationibus, methodo medendi, medicamentis, et regulis diaeteticis, accuratius egit Wepfferus, ſuisque meditationibus, medicorum Pariſienſium et Raoultii reſponſa adiunxit, *Obſeruat. Med. Pract. Scaphuſii, in 4to,* 1727. edit. De catarrho epidemico, periodico, ſuffocatiuo, a ſcabie retropulſa, orto, de catarrho gingiuarum, in gangraenam et mortem degenerante, de catarrho deorſum delapſo, ſphacelum cauſante, Blegny, *Zodiac. Gall. Ao. 1679. Menſ. Decembr. obſ. 6.* Hagendornius, *Cent. 1. hiſt. 54. p. 87. et hiſt. 92. p. 133.* Platerus, *Obſeru. lib. 1. pag. 174.* Fabricius Hildanus, *Cent. 1. obſ. 30. Cent. 3. obſ.*

praeſertim. Soluitur motu corporis, et calore blando iſtarum partium, uel per lintea calefacta, uel etiam cataplaſmata calefacientia et emollientia, ex farinaceis et nido hirundinum, tum pediluuia, gargariſmata, ſuffumigia, interdum uenae ſectionem, et purgantia, urgente uidelicet et ſuffocante materia. Tum quaſi ſuppuratur obſtructum, et exſpuitur pus album, coctum, aequale, dulce, uel per nares fit criſis morbi, aliquando leuiſſimae quaſi fit ſpecies ſaliuationis, ut in me ſaepe contigit, praecipue Ao. 1709. menſe Martio, poſt ingens illud atque inauditum frigus. Sed mirabiliter hic morbus corpus expurgat, et ab aliis praeſeruat.

Theſ. 11. In cura *Podagrae*, attendendum eſt ad ſupra relatam ipſius mali cauſam, quam in uiſcerum indigeſtione poſui, non aſſimilantium et attenuantium ſatis aſſumta, ex quacunque demum remota cauſa, haec proxima deriuetur. Ideo, rebus ſic ſe habentibus, currendum eſt ad curam lacteam, tanquam ad ultimum aſylum, et anchoram ſacram. Lac enim, alimentum eſt, iam ab alio animali praeparatum, quod a debilibus

10. et 41. Cent. 6. obſ. 19. egerunt. Pleniorem, ſolidiorem et doctiorem de catarrhis tractatum edidit Schneidervs. De genuino catarrhi ſenſu, eiusque abuſu, mentem meam explicaui, *Diſſertatione, de catarrhis, aſylo ignorantiae, item, Medicina Theoret. Pract. cap. 8. a §. 111. ad 125. p. 238. et ſequ. et cap. 11. §. 44. p. 298.*

libus uiſceribus nullam exigit ſubactionem, ſed rectis itineribus in ſanguinis alueum defertur. Et dantur exempla quamplurima hominum, hac ratione curatorum. Meminit quoque PLINIVS, *lib. 28. c. 9.* quosdam aſinino lacte a chiragra et podagra liberatos. *g)* Nuperque Medicus

g) Ex ſententia HERMANNI *van der* HEYDEN, *Diſcurſ. 3. pag. 32.* nihil aeque ab articulari morbo praeſeruat, quam frigidae potus aquae, ſi ad minimum bis in anno, in ueris ſcilicet et autumni principio, aliquot diebus continuis, hauriatur: et nihil peraeque in acceſſu eiusdem prodeſt, et dolores eius compeſcit, quam eius uſus internus atque externus, uel maxime, ſi partibus loco affecto uicinis, ſanguis educatur, tum eam in dies cum magno leuamine bibi, et absque ſtomachi noxa. Illis uero, qui frigidae applicationem aquae auerſantur, emplaſtrum de mica panis, uel cataplaſma ex mica panis, puluere radicis althaeae, cum lacte coctis, et oleo liliorum, aut butyro inſulſo, cum tantillo croci ſubactis, aut linimentum ex crudis uitellis ouorum, cum aqua roſacea, ſuper foco confectum, uel lixiuium ſaponis Hiſpanici calidum, aut amurcam uini rubri, aut uinum Hiſpanicum cum oleo oliuarum, praeſcribit. Deſumſit haec HERMANNVS *van der* HEYDEN, ex ſchola HIPPOCRATIS, qui *lib. de Affect.* ſequentia remedia, medendique methodum commendat: Ἀρθρῖτις, ὅταν ἔχῃ, ξυμφέρει ψύγματα προσφέρειν, καὶ ἐκ τῆς κοιλίης ὑπά-

cus celeber. IOANNES DOLAEVS, archiater Haſſiacus, libello peculiari hoc deſcripſit.
Bonae-

γειν τὰ ἐνεόντα, κλύσμασιν, ἢ βαλάνῳ, καὶ Φάρμακον κάτω πίσας, καὶ μετὰ τοῦτο πίνειν ὀῤῥὸν ἑφθὸν, καὶ ὄνου γάλα. conf. SPONIVS, *Nou. Aphor. Sect. 5. §. 102. p. 390. et 391.* Licet uero aqua frigida, lac, et alia refrigerantia, ab Hippocrate, aliisque in arthritidis cura, laudata, ad diluendas, eluendasque particulas acres, et emollienda, nutrienda, irrorandaque ſolida aridiora, et contracta, a quibus haud raro arthritis ortum ducit, maxime conueniant, minime tamen eadem, pro ſpecificis et certis omnis arthritidis, a quacunque cauſa ortae, remediis habenda ſunt; cum ſaepe a contrariis cauſis hoc malum dependens, frigidis et aqueis exaſperetur, praeſertim, quod attinet huiusmodi topicorum applicationem. Ita ex potu aquae frigidae, et ex lotione in aqua frigida, arthritidem excitatam fuiſſe, GABELHOVERVS, *Cent. 2. Cur. 55. et Cent. 3 cur. 33.* teſtatur. Arthritidem pariter, mercurii miniſterio, excitata ſaliuatione, feliciter extirpatam fuiſſe, *A. N. C. Dec. 3. Ao. 5. 6. obſ. 156. et Ao. 7. obſ. 7.* docent; cum tamen mercurii, eundem in finem adhibiti, inunctio, infelicem habuerit ſucceſſum, teſte FABRICIO HILDANO, *Cent. 4. obſ. 82.* Arthritidem, terroris fructum, commemorant *A. N. C. Dec. 3. Ao. 9. obſ. 7.* quam tamen, terrore curatam, tortura ſanatam fuiſſe, praeter innumeros alios auctores, adductis exemplis probant, SALMVTHVS, *Cent. 1. obſ.*

Bonaeque ualetudinis eorum quaſi quaedam mater erit, frugalitas, inimica luxurioſis epulis, *et*

48. et FABRICIVS HILDANVS, *Cent. 1. obſ. 79.* Nihil frequentius inter cauſas arthritidis, recenſetur, nihil magis hic damnatur, quam ira; iram nihiloſecius, arthritidis fuiſſe remedium, BARTHOLINVS, *Act. Haffn. Vol. 3. obſ. 74.* confirmat. Lac aſininum, optimum arthritidis prophylacticum eſſe, perhibet ZACVTVS LVSITANVS, *Med. Princip. Hiſtor. lib. 3. hiſt. 40. p. 590.* Idem demonſtrant obſeruationes, *A. N. C. Dec. 1. Ao. 1. obſ. 141. et append. p. 32. it. Ao. 6. obſ. 58.* annotatae; cum tamen lacte nihil pernicioſius ſit in arthritide phlegmaticorum, uitae ſedentariae, ac dyſcraſiae uiſcidae acidaeque effectu. Vberiori ſachari uſui ſucceſſiſſe arthritidem, indicat HAGENDORNIVS, *Cent. 3. hiſtor. 23. p. 310.* quod alias, non ad putredinem ſaltem arcendam, auctore BECHERO, *Phyſic. Subter. lib. 1. Sect. 5. cap. 1. no. 35. p. 283.* ſed ad arthritidem etiam, ex hoc fundamento, ualdopere a multis commendatur. Fatetur GALENVS, *lib. de Venaeſectione*, quod multos arthriticos, ſola uenaeſectione et ſcarificatione curarit. Nihil praeſtantius uenaeſectione, in arthritide curanda, eſſe, CELSVS, *lib. 4. cap. 24.* et CARDANVS, *lib. 1. tr. 3. contrad. 24.* perhibent. Ac nullum eſt dubium, quod uenaeſectio, in arthritide, plethorae ſobole, praeſertim ex ſuppreſſo fluxu menſtruo, uel haemorrhoidali, aut haemorrhagia critica, genita, quales obſerua-

et aliena nimiae uini abundantiae, et ab immoderato ueneris uſu auerſa, ut uerba ſunt VALERII MAXIMI, *l. 2. c. 5.* Namque, ut quam

Ooo optime

---

tiones, CRATO *a* CRAFFTHEIM, *Epiſt. 236. et Act. Med. Berolinenſ. Dec. 2. Vol. 1. p. 41. et p. 75. it. Vol. 5. p. 67.* habent, praeſentiſſimam praeſtet opem. Sed, quis uenaeſectionem, in arthritide, inediam, moerorem, lucubrationes, et nimium motum, ſequente, laudabit, praeſertim, ſi febrem hecticam comitem habeat, uti ex PLATERO, *obſeruat. lib. 2. p. 469.* diſcimus? Quis eſt, qui in arthritidis cura, leniora laxantia, non commendet? Et BAGLIVIVS, *Praxeos Med. lib. 1. p. 117.* adeo ſalutarem eorum uſum, in hoc morbo, expertus eſt, ut podagricus, ſeptuagenarius, aſſumto laxante, qui duobus ſuffultus ſeruis, alui exonerandae gratia, ad opportunam magno labore deductus fuit locum, excretis fecibus, ſolus regredi potuerit, artusque agiliores exhibuerit. Plane tamen contrarium effectum habuit laxans, quod RIEDLINVS, *Mi enar. Curat. Cent. 1. hiſt. 36. p. 21.* arthritico, ad aluum, iam per duos conſtipatam dies, reſerandam, dedit. Valeant igitur ſpecifica antarthritica, ualeant balſama antipodagrica, ac ſana medici utentes ratione, origini morbi, et conſtitutioni aegrotorum, accommodent ſubſidia, ſequendo methodum, quam inculcaui, *Moment. Pathol. Part. 1. cap. 20. a pag. 60. ad 64. et Medic. Theoret. Pract cap. 6. §. 17. p. 163. et a §. 74 ad 88. a pag. 176. ad 180.*

optime CICERO, *de Senectute: Libidinoſa et intemperans adoleſcentia, effoetum corpus tradit ſenectuti.*

Theſ. 12. Ergo laxum et ſtrictum Methodicorum, totam abſoluit morborum chronicorum hiſtoriam, cum in acutis ſemper ſtrictum, in chronicis laxum, dominetur, adeoque in priori laxandum, in poſteriori ſtringendum ſit. Ergo ex uitiatis ſolidis, tot habemus morbos incurabiles. Sic epilepſiam inueteratam, multi ſunt, qui curare ſe poſſe gloriantur ſuis ſpiritibus pulueribusque antepilepticis, oleum tamen et operam omnes fere adhuc perdiderunt, quia uitium latet incurabilis epilepſiae in ipſis ſolidis criſpatis, quandoque uero ab aliquo ſtimulo dependet. Atque ſic bene quadrat illud Venuſini Vatis, *Epiſt. 10. lib. 1.*

Naturam expellas furca, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim faſtidia uictrix.

Alia uero res eſt ſaepe in infantibus, quibus conuulſiones accidunt ex lacte aceſcente, et tum puluueres iſti antepileptici conducunt, quia ſunt alkalini, ex partibus nempe animalium confecti, ungula alcis, CC. aliisque. Quae quoque, quatenus acria ſunt, uermes, conuulſionum ſaepe auctores, necant. Cauſa autem ſublata, tollitur effectus. Sic FONSECA olim, Cardinalem Hiſpanicum, febre correptum, ab

aculeo

aculeo, cuti infixo, plurima uenae ſectione curare uolebat, ſed fruſtra: tollendus enim erat aculeus, in cute haerens. *b*)

Theſ. 13. Quod *Luem* concernit *Veneream*, quae uere Ἰλιὰς τῶν κακῶν dici poteſt, tanto iam confidentius, in memorata alibi ſententia, de ori-

 gine

b) Idem peraeque prudenter obſeruandum, in dolore, difficilem dentium in infantibus eruptionem ſequente, ubi multi medici, culpam in primarum uiarum cruditates, coniicientes, purgantium abuſu, praeſentia iam mala augent, nouaque accerſunt. Certum quidem, quod aluus, dentitionis tempore, laxa, haud leue praeſtet emolumentum; nam, uti habet Hippocrates, *ὁκόσοισιν, ἐν ὀδοντοφυίῃ ἡ κοιλίη πλείω ὑπάγει, ἧσσον σπᾶται, ἢ οὕτως ὀλιγάκις.* Conf. Sponius, *lib. cit. Sect.* 3. *aphor.* 20. *p.* 112. *et* 113. Cum uero hic aluus laxa, non ſaltem laxiorem ſolidorum conſtitutionem, ſed ſufficientem quoque humorum demulcentium, lubricantium, copiam, a quibus bonus effectus, reſultat, demonſtret, Medici, praeſente alui conſtipatione, officium eſt, iniectis clyſmatibus emollientibus, ex cremore hordei, lacte, herbis, radicibus, ſeminibus, ac floribus emollientibus, paratis, atque aſſumtis ore iuſculis gelatinoſis, cum oleo amygdalarum dulcium recenti, nimiae ſolidorum irritatorum contractioni ſuccurrere, euitatis quibusuis purgantibus, aliisque acribus, ſtimulum, per ſe iam uehementem, intendentibus.

gine eiusdem prima, ex ſodomia aliquando cum ſatyris contracta, perſiſto, quanto iam bene liquere arbitror ex ſupra dictis, animalia diuerſa, morſu aut punctu externo, uel commercio aliunde in corpus humanum facto, pro uario naturae ſuae et alimentorum habitu, indeque ſub aeſtiuis ſolibus arrepta humorum uaria putrilagine, excitare in corpore uiuo laeſo ſymptomata uaria, uarioque ſchemate ludentia, canes, hydrophobiam, tarantulam, ſaltandi deſiderium, et quae ſunt reliqua, producere, ſatyros uero, omnium ſeculorum memoria, ſalaciſſimos depinxit; unde MACROBIVS, *Saturnal. l. 1. c. 8.* dictos putat, quaſi ſathunos, *ἀπὸ τῆς σάθης*, a membro uirili. Inde quoque Saturnus dictus eſt, oſtendente, *in Atlantica*, ampliſſimo RVDBECKIO, et noſtris etiam *Saterwerpum* denotat.

Theſ. 14. Hinc non uana ſunt, quae HELMONTIVS, *in Tumul. Peſt. p. 846.* de homine, cum equo cohabitante, prodit, nec quae DOLAEVS, *Med. Theoret. Pr. lib. 3. c. 15.* de bubulo, luem uenercam ex uaccis, quas conſtuprauerat, contrahente. Namque ex animalibus certe uenenum exortum eſt. Nec FIOROVANTAE, *Capric. Med. l. 1. c. 27.* opinio, de eſu carnis humanae, loco thunnorum, flocci facienda: nec CAESALPINI, *Specul. Art. Med. Hippocr. l. 1. c. 3.* infectum leproſi ſanguine uinum: nec Iguana LISTERI uili aeſtiman-

ſtimanda ſunt. Nam, ſi ab Epidemio aeris et aſtrorum influxu hic morbus, omnes certe aequaliter occuparet, eodemque et uno tempore ſaeuire deſineret, quod tamen non factum eſt. Id ergo mihi pro uero acceptum eſt, ex coeli uitio, aliisue cauſis, religionem magis, quam medicas rationes, redolentibus, morbi exortum trahendum non eſſe. Sed, ſiue ex thunnorum, ſiue humanarum eſu carnium, ſiue Iguana lacerta, cohabitatione ſatyrorum, leproſorumue, aut uerme equino, ex animali certe, laſciuia putrido, natales ſuos deduxit, cum in toto morbi decurſu, nihil ſit, niſi putrefactio.

Theſ. 15. Proſtant quidem multae apud Practicos contra morbos chronicos remediorum formulae, ſed quas transſcribere meum hac uice non eſt. Contentus ero in praeſentiarum, duo ſaltem medicinarum genera protuliſſe, quorum ope iſtae interiores ſordes et quisquiliae ex corpore poſſint elui, et uaſis robur contractile rurſus reconciliari. Per illa ſcilicet, quae uim ſaponariam habent, e. g. per pilulas ex ſapone, de oleo et alkalino ſale, absque tamen calce uiua, confecto, in morbis, ab acido ſubortis; in illis uero ad alkali uergentibus, per ſaponem ex aceto et melle paratum, magni nominis, et ambo iuxta magnae utilitatis; atque omnis medicina, fluidis refractariis adhibenda, ex ſaponaceis conſtare debet.

Theſ. 16. In uiſcido autem, magis reluctante, ad

ad mercurium, tanquam ad anchoram ſacram, confugiendum eſt, uel eundem externe illinendum, uel dulcoratum, aut turpethi, alioue nomine, adſumendum; accedente ſemper in languidis et flaccidis corporibus motu et exercitio corporis per fotum, balnea, luctam, ambulationes, natationem, aeris mutationem, pilae repercuſſibilis luſum, uectigationem, curſum, ac geſtationem, HIPPOCRATI olim ſummopere laudata, *lib. 3. Diaet.* tum et AVRELIANO, *tard. paſſ. l. 3. cap. 6.* Quo exercitio, in conſenſum tracti canalium uilli et elateres, continuis ſic impulſibus et ſuccuſſionibus non poſſunt non, quidquid in uaſorum minimis, uel uillorum haeret interſtitiis, diuidere, propellere, atque excutere, et meabile reddere. Ideoque littoraria nauigatio, ac natatio maritima, uel naturalium aquarum, tum poſt cibum animi laxatio, non male ab AVRELIANO, *l. 3. c.* 7. laudantur.

Theſ. 17. Hinc ea ſemper fui ſententia, quod exercitia illa uaria ſaltus, curſus, equitationis, uectionis, colloquia, curarum domeſticarum obliuia, atque alia eiusmodi apud acidulas, multo plus, uel ſaltem maximam partem faciant, in morbis ibi curandis, licet facile conceſſerim, in flacciditate ſolidorum corrigenda, marte nihil melius eſſe. Hinc uidemus, thermas et acidulas interdum magnificentius laudari, lucri ſolummodo gratia, et unumquemque Medicum

ſuos

ſuos fontes mirifice celebrare, *i*) iuxta illud CLAVDIANI, Poetae ſuauiſſimi, de aquis eiusmodi medicatis:

Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, praeſens Numen, inemta ſalus:
Amiſſum lymphis reparant impune uigorem,
Placaturque, aegro luxuriante, dolor.

Sed peccatur in aquae potu: namque nimium potatur. Hinc uidi plurimas uirgines, multo palli-

i) Notabili exemplo hoc confirmat THIERMAYERVS, *Conſil. lib. 1. cap. 14. p. 180.* ita loquens: Pro conclusione unum hoc notare liceat, cur ex medicis, quotquot ab illuſtri matrona in conſilium uocati fuerunt, quilibet Thermas, ſibi tantum uiciniores, omnibus reliquis praetulerit, et ſuaſerit? Prout Bauari, thermas, ſibi patrias, Hailbrunnenſes, Moeglinus, Schaffhuſianas, Heluetus, Badenſes, Holtzemius denique, medicus Colonienſis, Embſenſes, laudarunt. An forſan, quia thermae uiciniores, cuilibet ex iſtis magis erant notae, et experientia probatae? uel an, ut equidem credo, quilibet horum medicorum, dum illuſtriſſimae matronae conſuluit, ſibi quoque conſultum et prodeſſe uoluit? Alterius nam res altera poſcit opem.

pallidiores quotannis rediiſſe, quam adiiſſe acidulas. *k*) Et talia corporis exercitia, ſiue naui fiant,

k) Intra et extra iliacos peccatur; muros peccatur a medicis, aegrotos, debili uiſcerum tono praeditos, ad thermas acidulasque ablegantibus. Vnde, ſcribit LANGIVS, *Tract. de Therm. Carolin. cap. 5. §. 23.* ab experientia eſt notiſſimum, ut ſanitatis loco, tumidum uentrem referant ſaepe miſelli, et, ne ualedicant gratis, a Thermis hydropem ſumant mutuum. Et tale quid ſignificatum eunt uerſiculi, lingua materna triti: *Wenn wir der Krancken haben ſatt, ſo ſchickn wir ſie ins warme Bad, draus bringen ſie eine ſolche Frucht, zu deutſch genannt die Waſſerſucht.* Peccatur deinceps hic ab aegrotis, neceſſarias et utiles regulas diaeteticas reſpuentibus, atque epulis et luxui indulgentibus, uti optime hoc ſequentibus SENECA, *Epiſt. 89. ed. cit. p. 573.* deſcripſit: Vbicunque ſcatebunt aquarum calentium uenae, ibi noua diuerſoria luxuriae excitabuntur. Vel eodem ſe gerunt modo, uti de uenaeſectione habet Germanorum prouerbium: *Den erſten Tag maeſſig, den andern gefraeſſig, den dritten voll und toll.* Multi quoque, multaeque, non ſanitatis, ſed uoluptatis ac libidinis ergo, thermas acidulasque frequentant. Hinc haud raro foeminae, diu ſteriles, ex thermis redeunt foecundae, foecunditate, non thermarum, ſed hominum peregrinorum liquoribus infuſis, tribuenda, de qua, homo perlepidus maritum quendam, ſequentibus rhythmis gratias

ſiant, ſiue uehiculo, ſiue lectica uerſatili, qualem ruſtici Wermelandi ſuis adhibent infantibus, uno uocabulo, CELSVS, *geſtationem*, dixit, *lib. 2. cap. 18. Geſtatio enim, omne aliud genus motus, ad longitudinem uitae ſuperat*, dicente VERVLAMIO, *Hiſt. Vit. et Mort. Art. 3. obſ. 8.* Ideoque dixit HIPPOCRATES, *Epid. l. 6. Sect. 5.* in longis morbis percommodum eſſe, mutare terram.

Theſ. 18. Fatendum autem eſt, plurimam partem, ſi non omnem, morborum chronicorum, curari per quinque res maxime communium auxiliorum, ex ASCLEPIADIS conſilio, ut refert PLINIVS, *l. 26. c. 3.* Scilicet per abſtinentiam cibi, uinique, fricationem corporis, ſeu pectinationem, ambulationem, et geſtationes. Suſpenſorum etiam lectulorum iactatu, aut morbi extenuantur, aut ſomnus allicitur. *l*) His adnumerat PLINIVS, *l. 28. c. 4.* intenſionem uocis, et equitationem, nauigationem, et locorum mutationem. *Equitatio* enim, inquit, *ſtomacho et coxis utiliſſima: phtiſi nauigatio:*

Ooo 5 *longis*

agentem, introducit: *Ich habe meine Frau ins Bad geſchickt, die Krancke, ſie haben ſie hinten und vorne gaſlickt, ich dancke.*

l) Prudens hinc et ſalutare iudico Themiſonis praeceptum, ſuadentis, in phtiſi, thori pendentis geſtationem, quod AVRELIANVS, *Tard. Paſſ. lib. 2. cap. 14.* minus recte damnat, ac repudiat.

longis morbis, locorum mutatio. Principalem autem uſum nauigandi, phtiſi affectis, aut ſanguinem egerentibus, eſſe, idem PLINIVS, *l.31. c. 7.* prodit, Annaeumque Gallionem, hoc feciſſe poſt conſulatum, meminit, Aegyptumque non propter ſe peti, ſed propter nauigationem. Quo refer cantus, et uocem altiorem, lectione librorum factam, et colloquia, quae recenſet, PLVTARCHVS, *de Tuend. Valetud.* Exercitia enim, non ſolum uiſcida comminuunt, ſed et ſolida corroborant. Sic Q. Fabium Maximum, Conſulem Romanorum, apud PLINIVM, *l. 7. c. 50.* legimus, in ipſa acie aduerſus Allobroges et Auernos, ad Iſarae et Rhodani confluentem, acrius proeliantem, quartana liberatum eſſe; uiſcido ſcilicet illo, quod, in fine conico arteriarum haerendo, quartanam faciebat, per uices, ex motu corporis agitato, et reſoluto.

Theſ. 19. Conuenit et equitatio colicae bilioſae, poſt adſumta paregorica. *Huiusmodi enim exercitiis, materia morbum committens, in corporis habitum deducitur,* ut praeclare ratiocinatur SYDENHAM, nobile lumen medicum, *Obſ. Med. cir. acut. Sect. 4. c. 7.* Et poſt pauca: *ſi nobiſcum reputemus, uentrem inferiorem, in quo diſponuntur organa ſecretoria, hoc maxime exercitio uibrari, eaque ſuccuſſionibus aliquot mille, uno die exagitari ſolere,* facile credemus,

demus, eadem, ſuccum quemlibet recrementitium, ibi impactum, ope dicti exercitii, poſſe excutere, et, quod maioris adhuc eſt momenti, ualidiori iſta caloris natiui excitatione, ita corroborari, ut munere, quod iis mandauit natura, in ſanguine depurando, recte defungantur. Sic Palinurus, apud PLAVTVM, *Curcul. Act. 2. Sc. 1.* Cappadoci Lenoni conſilium dedit bonum,

- - *Ambula, id lieni optimum'ſt*

Theſ. 20. Ad bonitatem hanc, ab exercitiis corporis redundantem, reſpiciens IVVENALIS, de uitae ruſticae ſalubritate, a corporis crebra agitatione, ſic canit, *Satyr. 14.*

Scilicet et morbis et debilitate carebis,
Et luctum et curam effugies, et tempora uitae
Longa tibi poſt haec fato meliore dabuntur,
Si tantum culti ſolus poſſederis agri,
Quantum ſub Tatio Populus Romanus arabat. m)

Non tamen multa, ſed temperata exercitatio corporis, ad bonum corporis habitum, conducit, iuxta PLATONEM, Philoſophum maximum, de

m) Maximam omnino, in affectibus chronicis, ex monito AVRELIANI, *lib. 3. cap. 5.* doctrinam Hippocraticam amplectentis, utilitatem, afferunt, aeris mutatio, et geſtatio uaria, et littoraria ambulatio, animi quoque laxamenta et iucunditas, et aquarum naturalium uoluptas. Aer imprimis liber, qualis in pagis, ſeligatur, uentorum quip.

de Philoſ. Hinc in flacciditate ſolidorum, et tono laxato uiſcerum, chalybeata praecipue proſunt, praeter uectigationes, et actiones corporis, quibus amiſſa fibrarum uis oſcillatoria reintroducitur. Et, eorum tono ſic recuperato, liquida facile fiunt meabilia. Quam chalybeatorum uim, clariſſimus ſuo tempore agnouit CLAVDINVS, *de Ingreſſ. ad Infirm. Sect. 2. in Append.* dicens: *adſtrictionem, non parum facere, ad reſerandas obſtructiones, ex eo confirmari facile poteſt, quod uidelicet, ex adſtrictione partes roboratae,*

pe beneficio magis purgatus, quam urbanus, ubi mephitis, fumus, foetidaeque cloacae illum conſpurcant. Hinc de ſe ipſo, SENECA, *Epiſt. 104. ed. cit. p. 625.* ita ſcribit: Quaeris ergo, quomodo mihi conſilium profectionis ceſſerit? Vt primum grauitatem urbis exceſſi, et illum nidorem culinarum fumantium, quae motae, quidquid peſtiferi uaporis obruerant, cum puluere effundunt, protinus mutatam ualetudinem ſenſi. Quantum deinde adiectum putas uiribus, poſtquam uineas attigi? in paſcuum emiſſus, cibum meum inuaſi. Prouti uero unus idemque cibus, et potus, non omnibus peraeque congruus, ac ſalutaris eſt, ita non omnibus eadem aeris conſtitutio prodeſt, ac proinde quibusdam aer marinus, aliis montanus, aliis campeſtris, conuenit, quia ſanguis et ſolida ſingulorum, in alio potius, quam alio aere, melius ſe habent, liberiori ſuſtentata aequilibrio.

boratae facilius meliusque materiam morbificam uincunt et ſuperant.
Multos porro, a longis curatos fuiſſe morbis ſola legimus corporis flagellatione. Et meretur legi *tractatus Germanicus* uiri laborioſiſſimi, CHRISTIANI FRANCISCI PAVLLINI, quem *Flagellum Salutis* nominat. Nam iſtae flagellationes, quas ad corporis affectus refraenandos, uſurpant Pontificii, huc non pertinent, et forte plus ex religione habent, quam medicina, praeſertim, quae fiunt tempore Passionis Chriſti. MEIBOMIVS tamen *tractatum* ſcripſit, *de uſu Flagrorum in re uenerea*, uir ſane inter medicos profundiſſimae eruditionis. Auctor quoque eſt COELIVS AVRELIANVS, *lib. 1. Chronic. c. 5.* Aſclepiadis diſcipulum, Titum, flagella celebraſſe. Et uel plurimorum teritur manibus libellus elegantiſſimus uiri celeberrimi, THOMAE BARTHOLINI, *de uſu Flagrorum in re Medica.* Sic meo tempore erat in Belgio chirurgus, in pago *Kooy* dicto, qui omnes melancholicos et maniacos tamdiu uerberabat, quamdiu aliqua uerba imprudenter regererent, ſicque inducebat ideam contrariam. Et ſapientiſſimus PLATO, *in Timaeo*, eum motum, corpori ſaluberrimum, pronunciat, qui fit exercitatione gymnaſtica: proximum huic, uectionem facilem, ſiue naui, ſeu uehiculo, peragatur; tertiam ſpeciem, ſumma neceſſitate cogente, per pharmaca fieri, inculcat, *p. m.* 732. Nec ab ullo homine aliter accipi debet.

Theſ

Theſ. 22. Neque ullus motus ſuccuſſorius, tantam pituitae copiam exprimit, atque exagitat, ac ſanguinem diuidit, quam nauigatio, ita ut uicem ſaliuationis ſaepe agat. Quod in me multoties, Ao. 1707. et 1709. ac 1710. expertus ſum, laborans ipſe per uitam ſedentariam pituita multa, per faciem pallidam translucente. Et, ut ea felicius liberarer, mercurii dulcificati grana aliquot ſubinde ſumſi. Ea uero eſt uulgi indoles, ut non curent, niſi remedia pharmaceutica, et materialia, cetera, quae materiam non habent, faſtidientis. Bene ergo HIPPOCRATES, *de locis in homine*, *n.* 34. Medicamenta, eas omnes res pronunciat, quae praeſentem ſtatum transmutare ualeant. Sed iſti ſaltem morbi hinc curantur, qui ex flacciditate ſolidorum, atque hinc dependente ſanguinis pituita, dependent. Morbi uero chronici fluidorum, tenacium acriumque, ut uenerea lues, ſcorbutus inueteratus, rheumatiſmus, lepra, aliique, mercurium poſcunt, et ſaliuationem, per hunc excitandam. *n*)

Theſ.

n) Morborum curam, procurata uberiori ſaliuae profuſione perficiendam, IACOBUS BERENGARIVS, Carpenſis, Italus, omnium utique primus, inſtituit, ſiue ingenio, ſiue fortuna caſuque, in iſtud mirabile mercurii myſterium prolapſus. Tanta quoque uſus eſt felicitate, ut, teſte FALLOPIO, *de Morb. Gall. c.* 76. quadraginta millia ſcutorum aureorum praeter immenſam argenti copiam, reli-

Theſ. 23. Modus ſaliuationem excitandi commu-

querit, et Ferrarienſi Duci teſtamento legarit. Quod ipſum attinet ptyaliſmum, uſu mercurialis remedii inſtituendum, idem, uiſcidae maſſae reſoluendae, obſtructionibus reſerandis, et pituitae excedenti euacuandae, ſeruit. Eſt itaque accommodatum remedium omnium morborum, a uiſcido dependentium, uti docet RVYSCHIVS, exoptata tumoris, oeſophagum infeſtantis, per hanc methodum reſoluti, et diſcuſſi, medela, *Aduerſar. Anatom. Dec. 1. hiſt. 10. a pag. 24. ad 34.* Optimum uero eſſe iudico, in morborum cura, per ptyaliſmum ſuſcipienda, mercurium dulcem, rite paratum, parca doſi, modo iam indicando, repudiatis reliquis mercurialibus, ſiue ſint ſublimata, ſiue praecipitata, adhibere. Vnde, expurgato, per accommodata purgantia, canale alimentorum, praeſcribo, matutino tempore, antimonii uel metallorum tincturam, uel ſpiritum uitrioli dulcem, cum decocto lignorum, uel radicum, prouti uel ſiccior, uel humidior aegroti eſt conſtitutio; tempore uero ſomni, grana decem mercurii dulcis, extracto gummoſo aloes in pilulas redacta, exhibeo, ſociatis aliquot unciis decocti, calide hauriendi. Addendo igitur quotidie pauca mercurii dulcis grana, ad quartum quintumque diem, citatum in medicamentorum uſu ordinem obſeruo, et, ſi deinceps iam uberior profluat ſaliua, a mercurii uſu plane abſtraho, continuatis ſaltem reliquis remediis, modo com-

muniſſimus eſt, per in unctionem mercurii cru-
di,

mendatis. Quod uero mercurii attinet operationem, idem, quacunque ratione, ſiue per inunctionem externam inſinuatus, ſiue interne aſſumtus, tum demum deſideratam, largum ſaliuae effluxum excitando, edit operationem, cum cor ſubiit; a corde enim, cum ſanguine in arterias propulſus mercurius, recta diu linea non fertur, cum arteriae ſint uaſa conica, uenae uero uaſa cylindrica. Hinc, per uim arteriae elaſticam, lineis fertur obliquis, latera arteriae in pluribus locis et punctis tangendo, exiſtente tamen ſemper angulo aſcenſionis pari, cum angulo incidentiae. Vnde fit maxima ſanguinis diuiſio in arteriis, cum ſanguis, et mercurius, puncta ſuorum contactuum ſemper et quouis momento mutent: cumque mercurius maximam habeat molem, ſub minima ſuperficie, rectis eum pergere itineribus neceſſe eſt, reiectis in uaſa lateralia fluidis, ſuperficiei quidem maioris, ſed molis minoris. Hinc, per aortae ramos, rectiſſime ad caput aſcendentes, fertur metallum neceſſitate hydroſtatica, reſolutumque in arteriis ſanguinem, pituitamque, per uaſa lateralia et ductus abigit ſaliuales, ſimulque ipſum, per uim ponderis, una cum ſaliua, ex ore deſtillat. Quae operatio tamdiu continuatur, donec omnis mercurius, et diuiſus ſanguis, fuerit per os proiectus, corporibus ſolidiſſimis motis, motum ſuum ſemper diutius continuantibus, quam quidem leuibus, atque inertibus.

di, ad unciam unam, cum tribus pomati unguenti unciis ſubacti, ſumtis poſtea ſex turpethi granis: uel per eundem dulcem, ad grana ſex, octo, uel decem, pro aetate, et temperamento, in uitello praecipue oui, ſecunda, uel tertia, quolibet de die, hora, exhibitum: uel ſublimati una drachma, in unciis triginta aquae purae ſoluta, et ad cochlear unum, per diem, exhibita.

Theſ. 24. Quod autem mercurius ſaliuationem per os faciat, non ſemper eſt perpetuum. Neque hoc neceſſario et inexplicabili ratione fit, ſed ex aliis circumſtantiis. Interdum enim per diarrhoeam, interdum per uias urinae, malum ſoluitur, aliquando per ſudores, ſaepius uero per ſputa ore profuſa. *o*) Poſito enim corde propellente,

o) Haud decet corpori uim iniuriamque facere, ſecretionem excretionemque quandam, inuita corporis diſpoſitione, quae ipſam conſtituit naturam, extorquendo. Obſeruanda hic HIPPOCRATIS regula, qui medicos, rite et feliciter curaturos, *aphor.* 21. *Sect.* 1. ſic admonet: Α δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπει, τάυτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων. Peſſime igitur illi agunt, qui aegros, natura minus ad ſudorem diſpoſitos, ſtragulis obruunt, calore calidisque angunt medicamentis; cum, his quidem extorreantur corpora, inflammentur uiſcera, nunquam uero eliciatur mador, ſanitatem reddens. Hoc in ſpecie aduertemus in negotio ſaliuationis, ubi multi aegroti, ex uſu mercurialium, ob peculiarem cor-

et particulis in ſanguine ſolidiſſimis mobiliſſimisque,

poris conſtitutionem, nullam ſaliuae profuſionem, eiusdem potius defectum, experientur; per alias contra uias, aluum nempe, renes, poros cutis, liberior fiet materiae peccantis eliminatio, ſanitate in dies magis magisque confirmata. Quid itaque ſentiendum de eorum methodo medendi, qui mercurialia, pro ſpecificis, atque unicis, luis uenereae antidotis, habent, et firmiſſime credunt, non alia ratione, nec alia uia, fermentum morbi Gallici, quam ſaliuatione, poſſe euacuari. Quo clarius, quae ex peſſimo hoc praeiudicio oriuntur, incommoda perſpicias, caſum tibi examinandum, iudicandum, ſiſto, de quo, ante aliquot annos, Facultatis noſtrae ſententia deſiderabatur. Centurionis uicarius, Pirnae tum habitans, per octo circiter annos ſimplici laborans gonorrhoea, adhibitis, quae diuerſis locis, a diuerſis chirurgis et medicis acceperat, medicamentis, demum chirurgum aulae conſulit; hic, exhibita largiore repetitis uicibus mercurii dulcis doſi, cum, et per aluum, et per renes, porosque cutis, uberior ſeri aliarumque impuritatum copia ſeceſſiſſet, nec tamen, uti deſiderabat, ſaliuatio rite procederet, et gonorrhoea adhuc duraret, ad nouum denuo mercurii dulcis uſum internum deſcendit, illique inunctiones mercuriales externe tam miſero ac deplorando iungit euentu, ut, loco ptyaliſmi, caput in immenſam intumeſceret molem, partibus oris, gangraena, et mox ſubſequente ſphacelo, affectis, certis

que, neceſſario per ſuperiora defertur mercurius in corpore naturaliter diſpoſito. Varia tamen ſunt impedimenta in ſuperioribus, quae impetui reſiſtentia, ad alias partes faciant mercurium demandari, e. g. uis parua cordis, metallum circumagens, uel rami aſcendentis aortae incuruatio, longitudo colli, polypi arteriae, et ſimilia. In Polonia uero curant ſudoribus, ex fimo, quo ſepeliuntur, prolectis. Praecipue autem huic morbo curando ſtudent in pago Rebenow, ubi liberi ex parentibus per haereditatem quandam, huius curationis rationem obtinent.

Theſ. 25. Et quidam, uel leuiſſimo negotio, incidunt in ſaliuationem. Exemplum uidi Ao.

mortis mox ſecutae prodromis. Diſcant hinc illi, qui tantam et coecam plane in ita dictis panaceis mercurialibus fiduciam ponunt, in poſterum cautius mercari. Diſcant quoque, quod mercurialia, in gonorrhoea ſimplici, minus conueniant, ſed, quod hic potius abſorbentia, et roborantia, martialia, et omnimoda a uenere omni abſtinentia, deſiderentur. Diſcant demum, quod in aegrotis, lue uenerea laborantibus, ſicciore corporis habitu, et ſanguine tenuiore et acriore praeditis, mercurialia maxime ſint pernicioſa, et quod illis potius herbae refrigerantes, lactuca nempe, portulaca, malua, endiuia, ſalia acida, et demum martialia, maxime proſint.

1708. Stockholmiae, menſe Aprili. D. P. A. ſcriba, ex impuro concubitu, contraxerat cancrum penis, per incuriam plurimorum chirurgorum, quos adhibuerat, iam ingentem, inſtar thaleri fere imperialis, et bubonem ingentem, in ſiniſtro inguine, ut corpus purgaret, ipſi dedi pilulas ex mercurio dulci, agarico trochiſcato, turpetho minerali, extracto rhei, et therebinthina, ut quatuor exinde quotidie deuoraret. Nam alieni iuris erat, ideoque res tegebatur. Octiduo poſt, in ſaliuationem perfectam, cum aluo dura, et foetore, ſaliuantibus proprio, ex mercurii dulcis drachma una, cum ſemiſſe, et granis quatuor turpethi, non una die, ſed per octiduum, deuoratis, cum purgaturis remediis, incidit. Et curatus eſt. Externe cancro adhibui eſſentiam aloes, myrrhaeque, cum balſamo Peruuiano nigro, et guttis aliquot ſpiritus ſulphuris, per campanam facti. Sed, inter tot a me annotatas ſaliuantium hiſtorias, unam ſaltem proferam.

Theſ. 26. Ao. 1708. L. W. uir iuuenis triginta annorum, literatus, poſt impurum ſuperiori aeſtate concubitum, doloribus mediorum artuum, cancro calloſo penis, naſi dolore, et crepitu, ac ulcuſculis per caput, nucham, frontem, et femora, diſperſis, laborabat. Meae traditus curae, d. 11. Nouembris, mercurium aſſumſit dulcem, ad drachmam, ſecunda qualibet hora, ſingula doſi, granorum decem. Sub

ueſpe-

ueſperam, paucula tormina: de nocte ſomnus dulcis. D. 12. mane aluus ter deiecit liquida. Sed, eadem data mercurii quantitas, exhibito ſubinde laudano liquido, ſub ueſperam os paullatim foetere. D. 13. multa quidem tormina, ſed nulla ſedes, os, labia, facies, glandulae amygdalae tumere, item lingua. Foetere magis, ac ſputare in uas fictile, duorum cantharorum menſurae noſtratis. Mercurius ſaltem ad grana uiginti, eo die, exhibitus. D. 14. haec omnia magis, anxietas. Sub ueſperam, poſt tormina, ſedes una. Sputa mediocria, craſſa. Duo turpethi grana, cum drachma diaſcordii, ea ueſpera, exhibita. D. 15. mane, duae ſedes liquidiſſimae. Saliuae fluor maior. Debilitas, et dolor praecordiorum, gingiuarum exulceratio, linguae tumor, dolor auris dextrae, et anxietas magna. D. 16. omnia bene. Symptomata mitiora. Parotides bubones, minores, nec adeo dolentes. Sputatio frequentior, et liquidior. Nulla ſedes, nec anxietas, ſed linguae magnus tumor, et foetor, et loquelae impedimentum. Iſta nocte ſanguinem ſpuebat, poſtquam parumper dormiſſet, et angebatur. D. 17. ſputa frequentiora, ſed ſenſim ſanguine tincta. Cetera bene. Dolor auris hebeſcere, et frontis; debilis, ſed non anxius. Vlcera frontalia areſcere, et cadere. Sub uerſperam uas fictile ſputis plenum. D. 18. ſputa adhuc liquidiora, par tamen fluminis momentum. Anxietas pauca; ſitis, et calor, et febris. Suſurrus capitis, dolor auris

auris punctorius, oris magna exulceratio, item linguae, de qua querebatur. Iuſſi, os lacte colflueret, unde dolor minutus. Sputa frequentiſſima, et liquidiſſima. Toto tempore, lac cum aqua mixtum, lac cereuiſiatum, iuſcula auenacea, interdum uinacea, et aquam mulſam bibit, qua, in ſaliuationibus, nihil deprehendi utilius. D. 19. mane, dimidium uas rurſus ſputis plenum. Somnus aliquis de nocte, et mox ſputa ſanguinea. Absque anxietate. Sputa liquida. Dolor auris idem, quem nunc per decem annos ſe ſenſiſſe, dixit, non tamen adeo grauem. Sub ueſperam, tres ſtopas ſputa faciebant, quae ſubinde ſanguine tincta. Aliqua anxietas, ſed dolores artuum fere ualedixerant. D. 20. comperi, quod ſomno per noctem indulgens, inſomniis terribilibus fuerit uexatus, adeo, ut de lecto repente ſurgens, cameram oberrarit trepidus. Sedes ipſi una, ſed dura. Vas plenum hora ſecunda, idem dolor auris, anxietas, os lacerum, ſputa liquida, exſanguia, caput dolens. Nunc quoque puſtulae aliquot paruae per manus errare. Sub ueſperam, ſtopa ſputi dimidia. Nullus tum auris dolor, nec anxietas. Per omnia bene, poſt leuem ſomnum; non in lecto, ſed in ſella, manibus fronti cruciatim ſuppoſitis. D. 21. itidem bene, poſt parilem ſomnum. Sed glandulae colli intumuerunt, uel frigore, uel potu gelido. Sedes de nocte dura, nullus auris, aut capitis, dolor. A ſecunda pomeridiana prioris diei, ad ſecundam

huius

huius, ſputa unius erant canthari. Sub ueſperam, rurſus glandulae detumuerant. D. 22. bene, niſi quod poſt ſomnum rurſus glandulae intumuerint. Sputa tenuia, et tertia iam uice, uas implentia, hora quarta pomeridiana, ut ſex cantharos exſputarit. Nullus in aure dolor, nec in capite. D. 23. quod ſputa uiderentur ante diem deſinere, exhibui rurſus tria grana turbethi in diaſcordio. Sub ueſperam, ſedes foetentiſſima. Nauſeabundus ex turbetho, et ſputum frequentius. Dolores artuum nulli, ſed grauitas capitis. Sputa ad canthari menſuram. D. 24. anxius, et glandulae colli rurſus tumidae, partim ex coro, uento, niues ſecum trahente; obſeruaui enim, flante boreali uento, morbum ſemper exacerbari. Cetera bene, et frequentius ſputans. Sub ueſperam uas denuo fictile plenum. Circa meridiem, lecto ſe componens, facile ſuffocatus fuiſſet, ſaliuae fontibus obthuratis, qua rurſus fluente, bene ualebat. Denique 25. bene ſputare, ita ut, ab hora ſeptima d. 24. ad ſextam huius pomeridianam, uas rurſus plenum, effunderetur. Tumor colli, et dolor auris, ſubinde. D. 26. tumor ipſi, inſtar globi, ſentiebatur. Matutino tempore, et poſt ſomnum, peior. Sputa cita, et ita copioſa, ut uas, quinta iam uice, hora ſeptima ueſpertina, impleretur. D. 27. itidem bene, ſed tumor idem colli, uel uuulae. Adplicui ergo meliloti emplaſtrum. Caput quoque hodie graue. Hora quinta ueſpertina, ſputa fuere ad canthari

 men-

menſuram. D. 28. idem ſtatus. Sub ueſperam, ſextum uas plenum. Oſcitabundus et debilis. D. 29. quod per totam dormiuiſſet noctem, comperi, usque ad ſextam matutinam. Sedes tum dura, et difficilis ualde. Vuula liberior, grauitas non tanta capitis. In ſextam pomeridianam, fere ſputorum cantharus. Os uulneratum, praecipue uero ab illa parte, ubi dolor ante dentium, maxillares abſtulerat dentes. D. 30. bene, tumor in collo nullus. Somnus per noctem placidus. Sed capitis grauitas eadem fere. Vas ſeptimo plenum, ſub horam ueſpertinam undecimam. Decembris d. 1. ſtatus idem, lingua parili modo uulnerata, ſed detumens, mobilior, et purior. Hora decima dimidia, ſputi ſtopa, et hora ſexta poſt meridiem, ſtopa. Status ſaliuationis. D. 2. omnia bene, omnia euaneſcere, ſedes ſub ueſperam facilis, naturalis. Hora ſexta ueſpertina, ſputorum tres ſtopae. Grauitas capitis. D. 3. idem ſtatus. Octaua ueſpertina, octauum uas plenum. Grauitas paulo minor. D. 4. ſputa pauca, craſſa. Hora quinta pomeridiana, ſtopa fuit ſputi per diem ciuilem fere. Sedes, mane dura, et dolorifica, inſtar puerperae. Somnus per noctem et partem diei placidus. D. 5. idem ſtatus. Sputorum, hora quarta poſt meridiem, cantharus. Grauitas capitis. Lingua, in parte ſiniſtra, ſana, ſed in dextra, ex dentibus, male affecta. Debilitas corporis. D. 6. poſt meridiem hora quarta, tres ſtopae ſputi. In ceteris idem. D. 7. ſputa rara.

Dentes

Dentes hodie conſerere coepit. Sed, ut linguae opitularer, praeſcripſi decoctum radicis althaeae mur. limoniorum, ſyrup. papau. erratici, et opium crudum, quibus os collueret. Suſurrus in capite, quaſi ſub cupa ſtaret, ut aiebat. Hora octaua, articulate loqui, ut ſanus. D. 8. ſputa ualde rara. Nona uice uas plenum, hora quinta pomeridiana. Lingua, ex pharmaco ordinato, ſalubrior, quia eo os diligentius colluerat. Graue adhuc caput. D. 9. omnino ſanus. Et decima uice, dimidiam circiter ſputorum ſtopam, in uaſe reliquit, ſed debilis. D. 10. ex carcere ſuo in lucem prodibat, bene tectus. D. 11. per omnia bene. Edere, bibere, inſtar hominis ſani. D. 12. in diuerſorium priſtinum ſe recepit, et negotia ſua recepit. Ego uero ipſi iniunxi, ut ſingulis hebdomadibus, ſemel grana decem ſumeret mercurii, quo relinqueretur leuiſſimae ſputationis ueſtigium. An fecerit, neſcio, namque poſtea illum non uidi, quia ſoluere noluit pertinaciam laboris et moleſtiarum, eo anni tempore a me toleratarum. Et ſane tales dantur multi, qui, quamuis cum SOCRATE, licet in diſſimili occaſione, nouiſſimis uerbis, Aeſculapio Gallum offere deberent, ut PLATO habet, *in Phaedone*, et proemium medico, curati tamen, medicum blasphemant, uitantque, obuiam facti, quaſi male ipſis feciſſet, curando morbum, uaga uenere contractum, horrendum, et contagioſum, Exempla ſunt cuiuis experta.

conſ. IOH. BOVRGESIVS, *Comment. in Ioubert. libr. de uulg. error. cap. 5.*

Theſ. 27. Atque haec erat cura generalis morbi uenerei, iam adulti. Vbi uero iuuenis adhuc eſt, et intra limites ſe continet gonorrhoeae, purgationes fortes, ſaepe repetitae, conducunt, maxime uero ex acidis, et mercurialibus. Sed iniectiones in uirile membrum, cum Hippocrate Anglico, non magni facio, plus enim nocent, quam proſunt. Et memini, Ao. 1709. menſe Ianuario, Stockholmiae, aquam calcis uiuae, in urethram, gonorrhoea laboranti, a medicaſtro per ſiphonem immiſſam, carunculam adeo exediſſe urinarii meatus, ut urina miſero inuoluntarie et perpetuo deſtillaret, donec tandem meae commiſſus curae, per uarios medicinarum apparatus, melius haberet. Siſtere enim gonorrhoeam, capitale eſt. Hic namque, non ſolum uerrucis ſupra penis glandem infeſtatus eſt, ſed etiam phimoſi, quae, in illo maximo frigore, adeo ingenti penis tumore accreuit, ut menſe demum Februario, brachium ſuperaret craſſitie. Tandem tamen, poſt multa adhibita cataplaſmata, atque emplaſtra, aluumque ſaepius ductam, euanuit tumor, ſtillantibus abunde aquis. Emplaſtro enim defenſiuo et diapompholygos, admixtum erat nobile illud Theophraſti galbanetum, et ſulphuris balſamus therebintinatus. Sed rurſus redibat, nullique alii cedere uolebat remedio, quam uini fecibus, quas noſtri *Wynmoora,*

moora, Belgae *'t Pantzie* appellant. Et incredibile eſt, quanta huic uulgari remedio uis inſit, quoſuis tumores diſcutiendi. Ducenda tamen ſemper aluus eſt, uel uena aperienda, ne, ex retrogreſſa acri materia, oriatur febris. Porro uſus uinaceorum celebris eſt in medicina in eosdem caſus, a DONATO primum *ab* ALTOMARI inuentus, quantum nouimus, teſte CLAVDINO, *de Ingr. ad Inf. in App. Sect. 10.*

Theſ. 28. Et, in hoc ueneno pertractando, et percurando, eo magis occupatus fui, quia noſtri iam iuuenes et puellae nullo ſaepius petuntur. Et, ſi uerum fatear, eius naturam et curandi modum, optime puto me intellecturum. Pilulae quidem de Barbaroſſa, magni olim nominis, a Barbaroſſa, Turcici Imperatoris Architalaſſo, Regi Galliae primum transmiſſae, auctore WIERO, *obſ. Med. l. 2. ſ. 24.* quas mercurius, ſaliua extinctus, una cum purgantibus,componebat. Primi uero omnium Arabes, mercurium in medicinam intulere, ſed ad ſcabiem, et impetigines. Is autem mercurius praecipue laudatur, qui ex Iſtria et Slauonia adportatur. Vngaricus et Tranſſiluanus, nobilis quidem; ſed qui ex Mansfeltdio et Carinthia, ignobilior, propter plumbum, et marcaſitam.

Theſ. 29. Nonnunquam gonorrhoea, paucis guttulis ſe monſtrans, derepente ſiſtitur, tranſitque in peius malum, cancros, bubones, ipſumque aliquando uniuerſalem luem. Sic qui-

quidam militaris, Ao. 1709. menſe Ianuario, cum nouo anno, contraxerat ex impuro ſcorto, gonorrhoeam, quae, tribus fluens diebus, mox ſiſtebatur, ducta aliquoties aluo. Hiſce omnia perfecta credens, omnem deinceps abhorruit medicinam. Sed, poſt 14. dies, me uocat, et cancrum in parte penis inferiori, ac bubonem uaegrandem dextri lateris, oſtendit. Hunc cancrum petulanter forcipe abſciderat, credens, eſſe aliud ulcus. Ergo, ducta ſaepius per mercurialia aluo, aquam ex ſublimato et ſpiritu nitri dulci phagedaenicam, cancro praeſcripſi, qui ad uiuum deroſus, balſamo, mihi adſueto, curatus eſt. Bubonibus uero emplaſtrum defenſiuum, meliloti, et galbani, cum mercurio dulci, et floribus ſulphuris, praeſcripſi. Qui, dum emolliri uiderentur, impoſui cataplaſma optimum, et mihi probatiſſimum, ex melle cocto, ficubus contuſis, et cepis ſub cineribus toſtis contuſisque cum oleo liliorum alborum in formam cataplaſmatis. Locum ſuppuratum aperui, et pus per octiduum eduxi, dein balſamo per turundas immiſſo, emplaſtro ſuper impoſito, curaui, ut uulnus. Alius aliquando bubo pertinacius durabat, licet ſenſim ualediceret, donec tandem anatica emplaſtri defenſiui et diapompholygos parte, cum una tertia galbaneti, et octaua ſulphuris therebintinati parte, abiret, ſine ſuppuratione. Apertis uero plumaceola imponuntur, et emplaſtrum adhibetur opodeltoch, oleo nigro ſuccini malaxatum, inter-

terpolatis purgantibus. Praeterea emulſiones ſeminum frigidorum, cum ſemine cannabis, magni uſus: item decoctum ſarſae et ſaſſafras, calide et affatim de tota die hauſtum, ut lotium continuo fluat, et ſic eluatur et mitigetur inflammans acredo.

Theſ. 31. Aliud dabo exemplum: S. S. menſe Septembri, Ao. 1708. ex impura uenere contraxerat gonorrhoeam, quam nihil curabat, uſus ſolummodo balſamo ſulphuris therebintinato. Deſiit gonorrhoea, ſed incidit in phimoſin, quam Noſtri *Spanſka Kragen* uocant. Et hanc quoque nihil curabat. Aliorum uero edoctus periculo, a me petiit, ut ipſi ferrem ſuppetias: nam, in duos iam cancros, ipſa phimoſis ſeſe aperuerat circa principium praeputii. Erat et ipſi ulcus, lupus, dictum, ſub inferiori parte penis, ad principium ſcroti, ex uehementi coitu, ut aiebat, contractum. Ergo ipſi praeſcripſi, ſpecies ex rad. alth. lil. alb. herb. uerbaſc. melilot. hyoſcyami et chamom. Rom. croco, papau. errat. ſemine lin. cannab. et foenu graeci, quas incoqueret poſcae, membrumque hoc cataplaſmate detumeſcere faceret. Quod et accidit, poſt repetitos aliquot uſus medicaminis. Tunc, ad uulnera cancroſa conglutinanda, ordinaui, conſuetum mihi balſamum. Interne purgantia, ex mercurialibus uariis data fuere, uaria forma, admixta interdum ialappae reſina.

Theſ.

Theſ. 32. Hiice factum eſt, ut phimoſis ualediceret, et ulcuſcula, ibi enata, menſe tandem incipiente Ianuarii, Ao. 1709. coirent, ſed tertium illud, iuxta uerpi radicem, in maius increſceret. Circa hoc quoque tempus, bubones in utroque latere maximi, et dolentiſſimi, oriebantur. Quos quidem et maturare uolui, et ſic aperire, ſed noluit obſtinatiſſime. Ideoque emplaſtro diaphoretico, et defenſiuo, admixtis, praeter mercurium dulcem, ſaturni ſacharo, et floribus ſulphuris, detumuerunt, aluo interim ſaepiſſime per mercurium ducta. Quibus diſparentibus, ſub finem menſis, cancer inferior grandeſcere coepit, inque omnia ſerpere latera, ad ſcroti regionem, ſicut ſolent, non profunde, ſed ſuperficialiter, calloſis labiis, et purulento uulnere. Tandem 28. Ianuarii, mihi uiſum eſt in facie ulcuſculum, circa os, in mala dextra, atque tumor quidam in capite ulceroſus, flauus. Praecedebat capitis dolor magnus, tuſſicula, et raucedo quaedam, quae adhuc durabat. Dixit, ſe quoque in dextri abdominis parte, habuiſſe ulcus, late ſerpens, ſed iam exarefactum, et coalitum. Suaſi, nullis maioribus exſpectatis ſymptomatibus, ſtatim, et absque praemeditatione, ſe ſputatoriae traderet curae. Interim non purgaret pharmaco aluum, ſed quouis modo athletice uiueret, ut collapſas tot purgationibus uires corporis reſtauraret. Sed noluit, ſimilis Acanthio Plautino, *Mercat. Act. 1, Sc. 2.* qui ex curſu ramices ruperat, et ſan-

ſanguinem ſpuebat, Charinoque, ut reſinam ex melle Aegyptiam deuoraret, hortanti, reſpondit:

Apage iſtiusmodi ſalutem, cum cruciatu quae aduenit.

Tandem tamen, ultimum ſibi corporis exitium ex morbo comperiens, arripit inuitus remedium, et ſanatur. Sed, quisquis es ſanitatis amator, iuxta Satyricum, *l. 1. Serm. Sat. 2.*

Deſine matronas ſectarier, unde laboris
Plus haurire mali eſt, quam ex re decerpere fructus. p)

Theſ. 33. Sed, in ſaliuali curatione, nihil magis aegros cruciat, quam exulceratio oris. Poteſt haec tolli, uel ad minimum mitigari, crebra ablutione et collutione, per decoctum raparum, mel roſatum, aquam lacteam, decoctiones radicis althaeae, adiectis illis, quae ſupra dixi. Et, ſi hoc protelari poſſet uitium, nulla facilior et

p) Hic merito idem, quod olim Alexander Magnus, apud Cvrtivm, *lib. 6. cap. 3.* de hoſtibus ſuis pronunciauit, medici de omnibus quidem morbis malignis, de hoc uero in ſpecie, fateri, et dicere tenentur: Nihil tuto in hoſte deſpicitur, quem ſpreueris, ualentiorem negligentia facies. Nam, in uenereae cura luis, minus ſufficit congruorum uſus remediorum, quibus dirum hoc malum profligamus, extirpamus, ſed deinceps maxi-

et tolerabilior eſſet cura. *q*) Nec in morbis chronicis puſtuloſis, doloribus fixis artuum, et uehementibus, ulla ſecurior medendi ratio. Quanquam pro tam ſordido opere nihil fere prorſus hoc tempore ad medicum redundet, quam dolores nauſeoſi ſtomachi, et torminoſae deiectiones, cum nunc euanuerit iſta medicorum felicitas, qua HIERONYMVS CAPIVACCIVS, Patauinus Profeſſor, ut ipſe prodit tractatu, *de lue uenerea,*

cap.

mo, in coitu, cum ipſa etiam coniuge, temperantia adhibenda; quaeuis acria potulenta, aromata, et ſimilis medicamenta indolis, fugienda, ac initio ueris, et autumni, accommodata eccoprotica, diuretica et diaphoretica uſurpanda, iisque interdum parca doſis mercurii dulcis, rite parati, ſocianda. Hac methodo euitabuntur indelebiles, quae multis familiis, ex hoc morbo, inuruntur, maculae, et labes, nullo poſtmodum modo abluendae, delendae.

q) Omnium optime oris et faucium exulceratio, in ptyaliſmo alias adeo frequens, praecauetur, ſi regulis, iam ſupra commendatis, inhaerentes, paullatim inſtituamus ſaliuationem, pauca mercurii dulcis grana, tempore ſomni, exhibendo, mane et ueſperi, decocta lignorum, aut radicum, una cum tinctura metallorum, aliaue ſimili, hauriendo, os frequenter, decocto plantaginis, melle, et paucis guttis ſpiritus uitrioli, imbuto, colluendo, abſtergendo.

cap. 12. octodecim millia coronatorum lucratus eſt, relegatis iam ad aliptas anusque, et crebrioribus aegris, et numeroſiori pecunia. Nam aſſediſſe aegro, mera exſpiranti contagia, cum ualetudo eius ac ſalus momentis conſtaret, excepiſſe idonea cibo tempora, et cadentes uenas uel aceto refeciſſe, morbumque tam horrendum profligaſſe, nonne hoc operae pretium daret medico, qui ex arte ſua uitam ſuam ſuorumque ſuſtentabit? Sed ego quidem illud NASONIS, *de Pont. l. 3. Eleg. 9.* mecum ſemper penſito:

Conueniens homini eſt hominem ſeruare uoluptas,
Et melius nulla quaeritur arte fauor.

Theſ. 34. Equidem decocta lignorum, ex ſaſſafras, quaiaco, *r*) fraxini cortice, radice

r) Decocta, ex ligno ſaſſafras ſanctoque parata, cum ſint penetrantiora, maiore ui irritandi exſiccandique praedita, phlegmaticae ſaltem ſubiectis conſtitutionis, hoc morbo decumbentibus, conuenient, minus uero ſiccioribus, et bilioſis; alias idem hic nobis eueniet, quod obſeruauit, et annotauit PALMARIVS, *lib. de morb. contagioſ. p. 211.* referens, quod ex ligni quaiaci, in cura luis uenereae: abuſu, elephantiaſis, morbo Gallico adhuc pernicioſior, generata fuerit. Maxime igitur proficua aduerti in ſiccioribus, decocta, ex radice ſaſſaparillae, chinae, bardanae, et herba lactucae, parata.

ce ſaſſaparillae, et antimonio crudo parata, proficua quidem ſunt, et interdum hunc morbum radicitus curant; praeſertim uero proſunt in doloribus fixis, et nodis oſſium, quia penetrare magis putantur, quam quidem mercurius, ſed uetulae quaedam et medicaſtrae, balnei calentiſſimi calores addunt, quibus aegrum in animi deliquium usque excruciant. Solent quoque nonnulli chirurgi, in ſaliuatoria cura, per mercurium excitata, reddere hypocauſta per foci calorem urentiſſima, magno quidem cum aegri angore, et curationis impedimento. Quia per iſtum uehementem calorem, liquidisſima abeunt per ſudores, remanente maſſa torpida, craſſa, et uix exſputabili, unde aegri prae laſſitudine in deliquium cadunt, et uiſcidis ſputis ſuffocantur. Accedit quoque maxima anxietas, et cardialgia, a ſanguine, uenam portam diſtendente, qui iam per mercurium, ex meſenterii glandulis ſoluitur, et, quia pulmones elaſtici ex calore fere dehiſcunt, aeris inſpirandi grauitate debita per continuos ignes imminuta. Et, cum morbus in ſale putrido uolatili, uiſcidis immixto, conſiſtat, hinc quoque magis incaleſcit aeger, ſatis iam per mercurium, omnia diſſoluentem, calefactus, eo magis putreſcit, febrit, et angitur animi, ut ſaepe uidi, ulceraque omnia interna et externa redduntur peiora. Ego itaque, ſiquidem omnibus in confeſſo eſt, morbum per ſputa, non per ſudores curari, modicum calorem iubeo et

con-

conſuetum, cum SYDENHAMO. Neque hoc aegris diſplicet, nec me fallit.

Theſ. 35. Venenum *Leprae*, et *Elephantiaſis*, ſicut ſupra maxime analogum ſcorbuto inueterato putrido et lui uenereae fecimus, ita nunc eandem antidotum in acidis quaerimus, praeſertim acetis metallicis, rigidis, ac ponderoſis, ſpiritu ſcilicet nitri, ſalis, ſulphuris et uitrioli. *s*) Maxime tamen mercurius, uel currens, uel in

s) Haec plane abhorrent a uulgari plurimorum medicorum opinione, qui maximam partem remedia alcalina, praeſertim uiperina, ad leprae Arabum, quam elephantiaſin dicunt, medelam, praeſcribunt. Viperas, uiperarum carnes, ſalia, uina, aliaque ex his confecta remedia, miris laudibus extollunt, ac ſalutarem eorum effectum, allegatis exemplis, probant, GALENVS, *lib. de ſubfiguratione Empirica*, *cap. 12. et lib. 11. ſimplic. it. lib. 2. Method. ad Glauconem*, ORIBASIVS, *lib. 3. de morb. cur. cap. 62.* AETIVS, *Serm. 13. c. 123.* ABBATIVS, *lib. de admirab. uiperar. natura, ed. cit. cap. 27. a p. 84. ad 99.* Subſcribit his HORAT. AVGENIVS, qui *Tom. 2. Epiſt. med. lib. 3. cap. 16.* uinum uiperinum, elephantiaſi, curandae maxime proficuum, imo ſufficiens eſſe, perhibet. Gloriatur quoque KVNRADVS, *Medull. Deſtillat. Part. 1. p. 14.* de remedio egregio, ex uiperis parato, quod pro optima elephantiaſis antidoto habet. Elephantiaſin, muſto uiperino, largiſſime ſumto, cito et feliciter curatam fuiſſe, ZACVTVS LVSITA-

in uitriolo ſublimatus, proficuus eſt, et ſaliua-
tione:

NVS, *Med. Princ. Hiſtor. lib.6. hiſt. 1. et 2. p.907. et 912.* teſtatur. Reperiuntur contra alii, alia, ad huius morbi extirpationem, remedia, commendantes. Apud BARICELLVM, *Hort. Genial. p.306.* decoctum ulmi, cum pauco uino albo, quotidie aſſumtum, praeſcribitur, eoque, aegrotum, ſudoribus foetidis profuſis, ab hoc morbo liberatum fuiſſe, refertur. De quinta eſſentia antimonii, FABER, *Myrothetico Spagyrico, lib. 3. c. 15.* ſcribit, quod lepram curet, et, quod in eo ſolo arcano, conſiſtat eius cura. Tincturam coralliorum, praeſtantiſſimum leprae Arabum remedium eſſe, RODER. *a* FONSECA, *Conſult. Med. tom.1. conſ.66.* aſſerit. Decoctum tamariſci, ſine intermiſſione, per aliquot ſeptimanas exhibitum, ſingulare ad elephantiaſin remedium dicitur HAFENREFFERO, *Noſodoch. ſeu de Cutis Affect. lib.1. cap.15. p.106.* Nepetae liquorem, ceu efficaciſſimum in potu aduerſus Arabum lepram praeſidium, ſi a cyathis tribus in principio ſorbeatur, et deinceps ſucceſſiue ad ſenos usque aſcendatur, ſumme laudat PECCETTIVS, *Chirurg. lib. 1. cap. 31.* Cornu cerui, peculiarem uirtutem tribuit SENNERTVS, *lib. 5. Prax. Part. 1. cap. 40. p. 475.* malignam elephantiaſis materiam oppugnandi, atque expellendi, illique potum e ſucco malorum dulcium maturorum, probe defecatum, quem primas hic obtinere partes fatetur, iungit. Quod igitur concernit diuerſiſſima illa, quae modo citaui, remedia, de fide hiſtoria-

tione excitata, glandulas aperit omnes, ſerum coactum diſſoluit, putredinem alkalinam debellat, morboſa cum ſanis educit liquidis, morbumque curat. Hinc PETRVS IOH. FABER, Spagyricus celeberrimus, *Chirurg. Spagyr. Sect. 3. p. m. 144.* uenereum malum et lepram, iisdem remediis elui aſſerit. Tandem tamen, ſiue ex Satyris, ſiue ex alio animali, aut uenere promiſcua, et frequentiori, ortus ſit uenereus morbus, ueteribus non ignotum fuiſſe, conſtat ex ſacris, ex HIPPOCRATE, GALENO, PLINIO, CELSO, SVETONIO, ALPHONSO FERRO, SALICETO, GORDONIO, aliisque. Et credibile eſt, hominem Europaeum, Africanas, uel Americanas, urentiſſimi ſolis foeminas, non tuto inire, cum tetrum magis ſpirent odorem calidiores quaecunque, faciliusque ſuis amatoribus, diutius compreſſae, maculam inurant.

Theſ. 36. Eatenus tamen in hiſce morbis proſunt mercurialia, et ſaponacea, quatenus acre et uiſcidum eliquant, extruduntque, et eluunt, in morbis, ab acido, ſalſo, uiſcido, uel alkali, uiſcidis implicato, oriundis. Illis uero, in

rum, quibus ſalutaris eorum effectus confirmatur, eo minus dubito, quo certiorem de his me reddit, diuerſa huius mali origo, gradus, et ſymptomata, diuerſaque aegrotorum conſtitutio, uti iam de his meam mentem declaraui, *Momentorum Pathologicorum Part. 1. cap. 17. a p. 49. ad 53.*

quibus iam ſal alkalinus, aut acre oleoſum, libere per foetorem oris et urinarum, ſe manifeſtat, aliaque putrefactionis inchoatae indicia adſunt, acida fixiora conueniunt, uini tartarus, mel, et acetum, in ſapam percocta, itemque poma citri, aurantia, limonia, aliique fructus horaei comeſti. In ſcorbuto quoque, ex uiſcoſo, et ſale pertinaciori, ad aquam calcis uiuae, quae ſalium nidos incidat, perueniendum eſt, intra corpus ſumendam.

Theſ. 37. Dixi, ſaliuationem ex mercurialibus fieri. Sterilitas uero iſta, quae ex lue uenerea in familias redundare ſolet, non tantum per morbi uirulentiam, in partes genitales exercitam, ſed quoque ex mercurialium frequenti uſu excitari, mihi uidetur, ut ſupra coniecturaliter memini. Cum enim iam ſatis ad oculum demonſtrari poſſit per microſcopia adcuratiſſima, maſculinam genituram foecundam, (quod notandum,) uermiculis ſcatere caudatis, cerebro et medulla inſtructis ſpinali, ut de oſtreis obſeruat BAGLIVIVS, *de Tarant. c. 4.* in modum paruularum ranularum, uero facundae prolis primordio, ouumque, futurum iam uermiculo alimentum, in ipſo orgaſmo uenereo, per Fallopianam tubam, ex ouarii pedunculo glanduloſo, in uterum delapſum, ingredientibus, nullumque adhuc, quantum ego ſciam, potentius ſit inuentum anthelminticum, praeter mercurium, non incredibile adparebit, ex occiſis,

per

per mercurialia uermiculis ſeminis, ſterilitatem ſequi, et generandi impotentiam. *t*) Non tamen

t) Adeo praeiudicium de uermiculis, uirilis ſubſtantiam ſeminis, futurosque homines conſtituentibus, multorum eruditorum uirorum mentes occupauit, faſcinauit, ut alios, hanc ſententiam, tanquam ſacris literis ſanaeque inimicam rationi, auerſantes, pro ſtupidiſſimis habeant. An prima primum uiſorum et detectorum in ſemine uermium gloria, Leeuwenhoeukio, aut Hartſoeckero, tribuenda ſit, non diſquiram? Plurimos iam Medicos et Philoſophos, eosque celeberrimos, Boerhauium nempe, Wolffium, etc. huic ſententiae addictiſſimos eſſe, docent eorum ſcripta. Nuper modo cum Medico incluto Dreſenenſi uerba de uermiculis ſeminalibus faciebam, adeo pertinaciter eosdem defendenti, ut non erubeſceret affirmare: hominem, de naturalium uermium, ſemen conſtituentium, exiſtentia, dubitantem, aut mente, aut oculis carere. Sed, haec leuiora adhuc, fideque digniora ſunt, ſi reſpicias ea, quae habet DALENPATIVS, perhibens: ſe, inſtituto huiusmodi uermiculorum examine, non modo omnes corporis humani partes, ſed ipſas etiam ſanguinis moleculas, harumque figuram, diſtinctiſſime obſeruaſſe, uidiſſe. Operae iudico pretium, ipſa auctoris uerba, ex literis eiusdem a BERNARDO excerpta, *Nouvelles de la Repuplique, des lettres, Mois de Mai 1699. article. 5. p. 552. et ſequ.* apponere: Si

tamen putet aliquis, me eosdem hic intellige-
re

Philoſophi, inquit, dum rerum naturalium cauſas aperire conantur, ipſam matrem, naturam, ſedulo conſulerent, haud quaquam tam prodigioſos quotidie figmentorum ſuorum ederent partus. Nobis autem, quibus haec ratio potior ſemper fuit, nihil intentatum relinquendum putauimus, ut, ſi quis ad eam pateret, aditum ſollicite circumſpiceremus, et omnibus modis ipſius adire penetralia adniteremur. Tandem unus, et hic certiſſimus, praeter ſpem, feliciter ſucceſſit. Microſcopio enim, quo uix ullum, (abſit a uerbo iactantia,) praeſtantius confici poſſe, crediderim; cum uix punctum uiſibile ſuperet; dum, inquam, humani ſeminis partes attente contemplamur, primum ecce tibi ſeſe nobis obtulit aquea quaedam ſubſtantia, cuius partes nullo modo diſtingui poterant: tum in ea fluctuantes rigidae trabeculae, omnes magnitudine impares, ſed quarum maxima pars trientem lineae craſſae, ad binas lineas longae, et ad utramque partem acuminatae fuere; antennulas diceres, uoluuntur aut ſolae, aut aliae alias ſubeunt, ſicque implexae et intricatae echinum non male referunt, aut pedicas, quae in aſſultibus obiiciuntur equitatui, ne qua iter ſit. Vbi in numerum coiere, et humor eas defecit, cohaerentes fecere grumos, quos, qui primi ſemen examinarunt, inſufficientibus uſi microſcopiis, idem, ueluti capillitio quodam compoſitum,

re uermiculos, qui in ulceribus uenereis ſaepe de-

auſi ſunt affirmare. Illas, ſalium partes eſſe, autumem, earumque uolutatione, uoluptatem et titillationes illas, coitus tempore ſenſibiles, oriri, mihi penitus perſuaſum eſt. Inſuper animacula quaedam deteximus, eadem fere forma, qua, menſe Maio, in riuulis, limoſisque paludibus, ranarum foetus uidentur. Horum corpus, uix granum frumenti ſuperat, quaedam grandiuſcula; cauda autem quater aut quinies corpus adaequat; mira agilitate ſe ſe agitant, caudaeque uerberibus, undulas, quibus innatant, cient, pulſantque. Corpus humanum in iſtis quis crediderit? Attamen illud ipſimet noſtris uidimus oculis. Nam, dum omnia curioſe luſtramus, unum grandius, exuto iam *σύφαρ*, quo inuoluebatur, ſe ſe aperuit, nudatasque clare oſtendit ambas tibias, crura, pectus, gemina brachia, et exuuium, altius protractum, caput, ad inſtar cucullae, obnubebat. Sexuum diſcrimina, prae exiguitate, noſci non quita ſunt; et moritur, dum ſeſe exuit. Haec metamorphoſis, quanquam hucusque inaudita eſt, attamen mira uideri non debet, cum multa alia animalcula ſe in nouas quotidie formas induant; unde et fortaſſis nata eſt iam pridem metempſychoſeos opinio. Obſeruabamus deinde partes ſanguinis, quas ſolidas, translucentes, globoſasque, ſemiſſis lineae diametro, inuenimus, eidem materiae innatantes, cui ſemen, quae forte omnibus cor-

deprehenduntur, et contra quos, mercurius, in mor-

poris humoribus, uehiculi loco eſt. Sed, pauciſſimis, quaeſo, iam examines demonſtrationes, ad quas prouocat DALENPATIVS; uidit idem, detracto uelamento, in uermiculo ſeminis humani, omnes corporis humani partes, cum tamen ipſi illi uermiculi adeo ſtupendae ſint ſubtilitatis, ut una ſeminis guttula, plus quam mille uermiculos contineri, LEEVWENHOEVCKIVS ſtatuat. Deinceps non potuit ſexum diſtinguere, cum illico, exuto uelamento, moriantur, et tamen ſanguinis motum, particularumque, ſanguinem conſtituentium, figuram, ſe aduertiſſe, gloriatur. Ne uero crambem decies coctam proponere uidear, ad ea prouoco, quae iam aduerſus ſententiam hanc LEEVWENHOEVKIANAM adduxi, *Anthropol. adPathol. applicata, cap. 21. a §. 20. ad 24.* et *Toxicolog. lib. 3. cap. 1. 2. et 3. a p. 1. ad 4.* A mercurialibus igitur, ſi eadem, ut anthelmintica, conſideres, nunquam, quam accuſat auctor noſter, ſterilitas metuenda, idem potius, a genitalibus, per luem uenereain eroſis, occalliſatis, ſuaque functione orbatis, dependet. Et tantum abeſt, ut congruus mercurii dulcis uſus, foecundum impediat coitum, ut potius eundem quam maxime in phlegmaticae ſubiectis conſtitutionis promoueat, praecipue, ſi pituita, genitales partes obturans, earum functionem turbando, conceptioni impedimento ſit; nam, tum, reſoluta expurgataque pituita obſtruente, liberum functio-

morbo curando, aliquam etiam partem occupatur; alii enim ſunt, et ab his toto coelo diuerſiſſimi.

Theſ. 38. Ex quo generationis, per uermiculum maris, detecto per LOEVVWENHOECKIVM myſterio, eodemque tempore, in oui pullo, per MALPIGHIVM, altero, alterius inuenta omnino neſciente, infinita pene in rem medicam contigerunt commoda, multaque exinde reſolui poſſunt problemata, in morbis haereditariis explicandis, quatenus ex ſolidorum natura, optime tunc deducuntur, quae alias per ſucceſſiuam partium poſt partes, ex cordis prima guttula ſanguinis, ſeu puncto ſaliente ARISTOTELIS, uario ſe ſe mouentis motu, conformationem, non adeo feliciter ſunt deducta. Hoc enim FLACCI, *l. 4. Carmin. Od.* 4. uerum:

Fortes creantur fortibus et bonis;
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

Nec

num exercitium genitalibus organis redditur, eoque ipſo tolllitur ſterilitas. In ſiccioribus contra, quibus humorum tenuitas et acrimonia moleſtiam creat, mercurialia obſunt foecunditati, non enecando uermes, quos, auctores in ſemine ſibi concipiunt, ſed totum corpus extorrendo, omnesque corporis functiones peſſundando.

Nec melior forte eorum opinio eſt, qui cum CARTESIO, ex uariis ſic particularum itibus, motibusque, originem animalium deducunt, quam eorum, qui cum uulgo, omnia ex putrefactione oriri, credunt; ſi forte Carteſii genuinus liber ſit de homine. Neque adeo mirum eſſe debet, ex uermiculo geniturae maſculinae, per iuſſum Creatoris, fieri hominem, cum uideamus, uermiculos repentes, primo in nympham, ex nympha in aureliam, uel papilionem, iucundiſſimae obſeruationis metamorphoſi, transformari, ut GOEDARTVS, SWAMMERDAM, BLANKARDVS, aliique, demonſtrarunt. Hoc tamen interim monendum eſt, ne, ad hanc curioſam optices ſpeculationem obtinendam, genitura humana, per nefandam maſturbationem, onanitico ſcelere acquiſita, quisquam impie abutatur, in nobiliſſimum optimi Creatoris miraculum, hoc eſt, hominem aliquando, ceſſura, cum ex brutorum ſpermate, abunde haec omnia, atque impune, haberi poſſint.

Theſ. 39. Equidem non inconueniens eſt, hominem, terrarum dominum, certo ſemine generari, cum non deceret illum, fortuita ſeminalium particularum utriusque ſexus miſtura naſci, plantis atque animalibus, ex certo et ſingulari ſeminio exortis. Nam, ut concedam, in uariis locis generari uermiculos, in capite, in pectore, in corde, uentriculo, inteſtinis, hepate, renibus, aliisue, prout hoc omnium optime expreſſit et deſcripſit ante laudatus NI-

CO-

COLAVS ANDRY, egregio tractatu. Non tamen exinde uolo demonſtrare, hoſce, ſui certe generis uermes, ludibunda metamorphoſi, eſſe rudimenta hominis, ſed potius ſemper morbum. Verum illa ratio huc facit, quod, licet haec animalcula, ab ipſa ſtatim natiuitate, pueru-los cruciare ſoleant, perque totam aliquando congenerentur uitam, ſeminales tamen uermiculi, nunquam ante annos pubertatis, et ſeminis foecunditatem, nec poſt elapſum foecunditatis tempus, inueniantur, ut anatomia humana et brutorum conſtat. Aperui ſaepe canes ſemeſtres, et liquidum teſticulare microſcopio adplicui, ſed nullum perſpexi uermem. Aperui etiam canes, quintum decimum annum elapſos, neque ullos reperi uermes. Sed in iuſtae ac maturae aetatis, ſemper inueni, licet reliquae partes, interdum omnes, talium liberi eſſent, quantum ego obſeruare potui. Pariter arbores, ac plantae, in tenella aetate, ſemen non ferunt, in matura, florent, et fructificant; ſed ſenio tandem fatiſcunt, ac ſterileſcunt.

Theſ. 40. Dari tamen interdum maſculos, qui propter horum animalculorum defectum, perpetuo ſunt ſteriles, non nego, et expertum eſſe in Belgio, noui. Neque enim credibile eſt, ſolummodo ad liquaminis et albuminis cuiusdam ſecretionem, et fruſtra, feciſſe naturae conditorem, teſtes, tanto adparatu compaginatos, ſed inſtar umbellorum in plantis et arboribus, ſemen praeparare et conficere iuſſiſſe: licet

cet particulari operationum fermento ineſcati, aliud uelint toto umbone defendere, nec pati, ſuorum olim fermentorum ſuperſtitioſos cultores, uel potius, ut uolebant, adoratores, meliora unquam diſcere, aut ſapere. Nec magis uera ſunt, quae de foetus futuri rudimentis, in ipſo ouo deliteſcentibus, perhibentur: uidemus enim, omnia foeminarum oua, eſſe ſubuentanea et manca, absque ſemine uirili, nec niſi alimentum, uirili ſemini, ſeu uermiculo, eſſe. Quanquam enim Rex apum, Noſtris *Wyſe* dictus, ſed male, cum potius Regina, et mater, diceretur, quia foemina eſt, omnes fauos ſuis repleat ouis, non tamen illa in aluueariis unquam foecunda ſunt, niſi uirili fucorum ſemine impraegnentur, et penetrentur uiuo uermiculo. Et, quid abſurdi eſt, in uermiculo natales quaerere hominis, cum natura in minimis fuerit quam artificioſiſſima. Sic enim, inquit PLINIVS, *lib.* 11. *c.* 2. *Turrigeros Elephantorum miramur humeros, taurorumque colla, et truces in ſublime iactus, tigrium rapinas, leonum iubas, cum rerum natura nunquam magis, quam in minimis, tota ſit. Quapropter, quaeſo, ne haec legentes, quoniam ex his ſpernunt multa, etiam relata faſtidio damnant, cum, in contemplatione naturae, nihil poſſit uideri ſuperuacuum.* Sed de his ſatis.

Theſ. 41. Verum, quod attinet *Venena Saturnina* et *Gypſea*, longosque hinc exortos mor-

bos,

bos, idem nunc, quod ſupra, inculco, eorum medelam, eſſe ſatis difficilem, et ſaepiſſime impoſſibilem. Namque, dum ex his fiunt chronici morbi, lancinantes dolores, pallores, tabes, aliaque mala, ſignum eſt, haerere illa in uaſis minimis, unde difficulter, uel nunquam excutiuntur. Leniri tamen oleoſis obuoluique poſſunt, ac ſic aliquando hebeſcere, quo in caſu omnia pinguia, oleum cerae, therebintinae, atque alia, conducunt. Gypſea quidem, alicui loco concreta, in corpore eludunt ſaepiſſime omnem medentis manum. Pariter ſe habet cum adamantino ueneno, uitri ſchidiis, aliisque mechanicis. Sed, felicius, in ſaturninis adſumtis, finem curationis bene obtinebunt, ſi ad inunctionem mercurialem deſcendatur, uel eiusdem per os exhibitionem. Tum enim mercurius, calces iſtas ſaturninas in corpore amalgamat, atque ſic per ſaliuae fontes, uel alia emunctoria, ſecum educit. Raro tamen eiusmodi aegri medicis occurrunt, antequam mala per longas inualuere moras, ut ſint incurabilia.

Theſ. 42. Et, quid mirum eſt, tot ac tam diuerſos enaſci morbos, cum tanta ſit et coeli, et ſoli, diuerſitas, ciborumque, quibus utuntur homines, et affectuum, uarietas, ac diuerſum uiuendi genus. Hinc bene cecinit PERSIVS, *Satyr. 5.*

Mille hominum ſpecies, et rerum diſcolor uſus,

uſus,
Velle ſuum cuique eſt, nec uoto uiuitur uno.
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, et pallentis grana cymini.
Hic ſatur irriguo mauult turgeſcere ſomno,
Hic campo indulget; hunc alea decoquit, ille
In uenerem eſt putris. Sed, cum lapidoſa chiragra
Fregerit articulos, ueteris ramalia fagi,
Tum craſſos tranſiſſe dies, lucemque paluſtrem,
Et ſibi iam ſeri uitam ingemuere relictam.

Theſ. 43. Sed et, quod addam, in quouis, uel leuiſſimo corporis ſenſu doloris, medicamenta ingerere, ut quidam ſolent illuſtres perſonae, morbos ſaepe facit chronicos, nec ullo in poſterum modo debellandos, poſtquam talia pharmaca, pro ui ſua naturali, uel pene exederunt uaſa, uel eadem rigida ac flaccida fecerunt, uel et ſanguinem extenuarunt, aut coegerunt. *u*) Hinc bene canit OWENVS, *Epigram. l.* 2.
Si

u) Optima ſane medicina, nulla uti medicina, hoc eſt, tum optima corporis gaudere conſtitutione, aditum omnibus morbis excludente, tum ſobrietatis et temperantiae beneficio, firmam integramque ſanitatem quam diutiſſime conſeruare. Nihil quippe dementius, nihil perniciofius,

Si tarde cupis eſſe ſenex, utaris oportet,
Vel modico medice, uel medico modice.
Sumta, cibus tanquam, laedit, medicina, ſalutem,
At ſumtus prodeſt, ut medicina, cibus.

Rrr Pariter

quam remediis, nulla urgente neceſſitate, perpetuo deuoratis, adeo eadem, per continuam conſuetudinem corpori familiaria reddere, ut deinceps, ingruente morbo, quo, iisdem maxime egemus, exoptato plane effectu deſtituantur. Ne dicam, remedia, quaecunque etiam eadem ſint, quotidie adhibita, in uenena degenerare, ipſisque morbis, mortique praematurae anſam et materiam praebere. Quid igitur de illorum medicorum moribus ſentiendum, dicendum, qui, empiricorum more, ſuas pilulas, pulueres, eſſentias, balſama, ſub titulo remediorum uitae, polychreſtorum, antiſpaſmodicorum, laudibus ad coelum usque extollentes, promiſcue, ad ſanitatem, perpetuo tuendam, longaeuitatem obtinendam, praeſcribunt, commendant. Indigni ſunt tales medicorum nomine, et iure meritoque in claſſem empiricorum referuntur, *es ſeynd nichtswürdige Quackſalber.* Nullus uero, remediorum abuſum, melius PLATONE, deſcripſit, qui *lib. 1. de Legib.* ita loquitur: εἰς τὰ ἰατρεῖα βαδίζοντες ἐπὶ φαρμακοποσίᾳ μετ' ὀλίγον ὕστερον καὶ ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἔχουσι τοιοῦτον τὸ σῶμα, οἷον, εἰ διὰ τέλους ἔχειν μέλλοιεν ζῆν, οὐκ ἂν δέξαιντο.

Pariter multos uni morbo curando adhibere medicos, uel chirurgos, et aetate, et moribus, et doctrina diſcordes ualde, plus adfert nocumenti, quam emolumenti, altero calidum, frigidum altero, illo acidum, hoc alkali, altero quietem, altero exercitium, inculcantibus. Iuxta illud *Monoſtich. Epigram. 69.*

Nunquam, crede mihi, a morbo curabitur aeger,
Si multis Medicis creditur una febris. x)

At

x) Hoc non tam multitudini medicorum, ſed imprudentiae potius, tribuendum; cum rara ſemper, genuinus medicus, fuerit auis, et iam ſuo tempore queſtus ſit Hippocrates, fama quidem et nomine multos inueniri medicos, re uero perpaucos. Multitudo imperantium Cariam perdidit, *Wo viel Koeche ſeyn,* dicebat nuper medicaſter, *da wird der Brey verſaltzen.* Sed idem iniuſte, duobus ſequentibus medicis, ſanam rationem atque experientiam ſequentibus, imputare uolebat, ſuos errores, nulla humana prudentia et arte amplius emendandos. Si ſui ſimiles medici, imperiti nempe, garruli, accerſiti fuiſſent, tum omnino locum habuiſſet, quod Gallus, *tr. l' eſprit des hommes illuſtres p. 119.* ex Adriani morientis ore deſumſit, apophthegma: *le trop grand nombre de Medecins me fait mourir.* Eſt eadem infeliciſſimi monumenti inſcriptio: turba ſe medicorum periiſſe, uti habet

At iuxta optandum eſſet, in publici muneris praxin non prius admittendos eſſe nouos medicos, antequam curari aegros ab aliis uiderint:

PLINIVS, *Hiſt. Nat. ed. cit. lib. 29. cap. 1. p. 518.* Hic omnino uerum eſt quod Abbas, CHASTELAIN, apud MENAGIVM, *Bons Mots, p. 283.* prudenti librorum cum medicis comparatione inſtituta, affert: *Seneque diſoit autrefois de la multitude des livres,* onerat diſcentem turba, non inſtruit; *la quantité en eſt plus onéreuſe qu' utile. Il eſt bien plus vrai de dire de la quantité des medecins,* onerat aegrotum turba, non ſolatur: *car la quantité eſt dangereuſe auprés d'un malade; et celui qui a le meilleur ſens, eſt celuy que les autres contrarient, et que l' on n' écaute point.* Egomet quidem ipſe, in rebus quibusuis agendis, multorum manus, paucorum contra, et prudentum, commendauerim conſilium, cum plures Thyrſigeros, paucos ſit cernere Bachos. Dehinc tamen minime repudiandae ſunt conſultationes medicae, a peritis et ſapientibus inſtitutae medicis, ubi ſane idem optimo applicari poteſt iure, quod IOSEPHVS HALL, *Meditat. ſubit. 71. ed. cit. p. 96.* conſpecta bibliotheca inſtructiſſima, protulit, ſcribens: de copia conqueri delicati eſt, nauſeantisque animi; nulla nos lex iubet omnes perlegere; quanto uero plures imbiberimus, digesſerimusque, tanto certe magis creſcat, pingueſcatque animus, neceſſe eſt. Incommoda

non aliter ac obſtetrices, ex praecepto Socratis, Phaenaretae, obſtetricis, filiis, apud PLATONEM, *in Theaeteto*, non prius ad artem admittuntur, quam parere deſiuerunt, ipſae ſuo edoctae periculo, quid in aliis fieri debeat. *y*)

Theſ.

igitur, quae ex medicorum multitudine oriuntur, magis aegrotis, quam medicis, imputanda; cum non ſaltem omnis generis medicos conuocent, ſed anus quoque, carnifices, lictores, et omnem omnium perditorum hominum colluuiem in conſilium adhibeant, de quibus iam ſatis diſſerui, *diſſertatione de ſyncretiſmo medico*, aliaque, quae modo prodiit, *medicum ab iniquis uindicante iudiciis.*

y) Hoc quidem, uulgari prouerbio, ab obſtetricibus deſideratur, ſed contrarium plane probat liber, ſub titulo, obſtetricis aulae Brandenburgicae, editus; ingenuum enim in eodem teſtimonium IVSTINAE SIEGEMVNDIN, natae Dietericiae, occurrit, quae nunquam peperit, et tamen prudentiſſimae officio obſtetricis maxima functus fuit felicitate; nam, ſi exacte ponderemus, quod foemina grauida, doloribus partus afflicta, et iam iam paritura, prae dolore et anxietate, quid ſecum geratur, plane ignoret, citati modo certitudinem ac ueritatem teſtimonii comperiemus. Hoc potius e re eſſe duxerim, ut foeminae, iudicio ualentes, circumſpectae, minus nauſeoſae, promtae in rebus perficiendis, ad munus obſtetricis ſeligantur, ſelectae

Theſ. 44. Verum enim uero, num Medicus opus habeat in Praxi Fortuna, quaeri poſſet? Et bene DEMOCRITVS, *in Epiſt. ad Hippocratem*, ſic ſcripſit: *Profecto ſuſpicor pleraque in ſcientia tua palam contumelia adfici, aut propter inuidiam, aut propter ingratitudinem. Aegrotantes enim, ſimul ut ſeruantur, cauſam Diis, aut fortunae, attribuunt. Plerique uero ſuae naturae hoc adſcribentes, benefactorem odio habent, et parum abeſt, ut indigne ferant, ſi debitores eſſe putentur.* Cui HIPPOCRATES hunc in modum reſpondit: *Artis Medicae recta facta, o Democrite, plerique e uulgo hominum non omnino laudant, uerum Diis ſaepe attribuunt. Si uero, Natura reluctata perdiderit eum, qui curatur, Medicos reprehendunt, Numen praetereuntes.* Non ſecus ac fecerunt Carthaginenſes, qui, quod Duces ſui bene geſſerant, Deorum immortalium adiutorio, quod male ceſſerat, ipſorum culpae imputabant, ut habet VALERIVS MAXIMVS, *l. 2. c. 7.* CELSVS porro, *l. 3. c. 1.* ſic inquit: *In nullo quidem morbo, plus fortuna ſibi uendicare, quam ars, ars,*

miniſterio cadauerum diſſectorum inſtruantur, illisque, quis ſitus, quae connexio partium genitalium, indicetur, et demum, qua ratione in hoc illoue difficilis partus caſu, procedere debeant, edoceantur.

quam Natura, poteſt. Et rurſus, *in Praefat. lib. 7. ſiquidem in morbis, cum multum fortuna conferat, eademque ſaepe ſalutaria, ſaepe uana ſint; poteſt dubitari, ſecunda ualetudo Medicinae, an corporis beneficio contigerit.* Verum, hic mihi ſatisfaciunt illa HIPPOCRATIS, *de Loc. in hom. n. 57. 58.* ubi pronunciat, medicamenta, quae recte adminiſtrantur, ſine fortuna, ſanare morbos, namque ſecus ea, quae non ſunt remedia, per fortunam ſanarent. Vnde ipſi hi Medici uidentur fortunati, qui recte faciunt, et infortunati, qui ſecus. Et, quae prolixius apud eundem legi poſſunt in hunc ſenſum egregie diſputata. Addam ſaltem illud, non ſolum recte facientes, eſſe fortunatos, ſed illos praecipue, quibus diuinum benedixerit Numen, ſine quo, uana ſunt, quaecunque humanum ingenium uel callentiſſime conatur. Conf. *de Fortun. Med.* CACHETVM, *Comment in Aph. Hippocr. 1. Sect. 1. p. m. 65.*

Cap. Vigesimvm Secvndvm.

Venenorum indagationem, Praecipitationis Chymicae adminiculo perficiendam, ſiſtit.

Theſ. 1. Coronidis loco, poſtquam in finem hocce Tentamen exire tandem contingit, con-

ſultum

ſultum duxi, docere, quanam ratione praeuenire mala, uel ſaltem indagare, potionibus aut ferculis immixta uenena, queamus. Res ardua et ſummis expetita uiris, omnibus pene ſeculis, cum in nulla re magis maiorem nominis celebritatem, quam per hanc, conquirere ualeamus, ſi experimenta in hoc caſu facta non fallant. Sed in rebus maxime utilibus, ſicut communis et talparum quaedam coecitas eſt, ita non mirabuntur lectores, me hic ex labe ac uitio ſimili contractam, et haereditate acceptam aliquando prodere ignorantiam, in uenenis expiſcandis. Adeo enim praua ingenia per hanc ſcientiam effloruere, ut longe ſuperent ea, quae malitiam prodant.

Theſ. 2. Illud uel quiuis mecum poterit obſeruare, pauperes et egenos, ex ligneo uaſe uilem fufuraceamque haurientes pulticulam, ſecurius multo comedere, quam diuites interdum ac opulentos, aureo uel argenteo labio, ſuas epulas, ſua delicia, Apitio z) plane apparatu,

z) Coelius Apitius, tempore Tiberii, Caeſaris, uiuens, erat uir diuitiis affluens, et uoluptatibus diffluens, de quo ATHENAEVS, *Deipnoſoph. lib. 4. cap. 19. ed. cit. p. 168.* Παρὰ δὲ Ῥωμαίοις μνημονεύεται, ὥς φησι Ποσειδώνιος ἐν τῇ ἐννάτῃ καὶ τεσσερακοστῇ τῶν ἱστοριῶν, Ἀπίκιόν τινα, ἐπὶ ἀσωτίᾳ πάντας ἀνθρώπους ὑπερηκοντικέναι. Plura adhuc et diſtinctiora luxus, cui deditus erat Apicius, exempla, atque experimenta, apud eundem, *l. 1. c. 6.*

paratu, ſumentes. Verum namque illud eſt, quod

p. 7. annotata legimus: Ἐγένετο δὲ κατὰ τοὺς Τιβερίου χρόνους ἀνήρ τις, Ἀπίκιος, πλουσιώτατος τρυφητὴς, ἀφ᾽ οὗ πλακούντων γένη πολλὰ Ἀπίκια ὀνομάζεται. Οὗτος ἱκανὰς μυριάδας καταναλώσας εἰς τὸν γαστέρα, ἐν Μιντούρναις, (πόλις δὲ Καμπανίας) διέτριβε τὰ πλεῖστα, καρίδας ἐσθίων πολυτελεῖς, αἱ γίνονται αὐτόθι, ὑπέργα τὰς ἐν Σμύρνῃ μεγίστας, καὶ τοὺς ἐν Ἀλεξανδρίᾳ ἀστακούς. Ἀκούσας οὖν, καὶ κατὰ Λιβύην γίνεσθαι ὑπερμεγέθεις, ἐξέπλευσεν, οὐδ᾽ ἀναμείνας μίαν ἡμέραν· καὶ πολλὰ κακοπαθήσας κατὰ τὸν πλοῦν, ὡς πλησίον ἧκε τῶν τόπων, πρὶν ἐξορμῆσαι τῆς νεὼς, (πολλὴ δὲ ἐγεγόνει παρὰ τοῖς Λίβυσι φήμη τῆς ἀφίξεως αὐτοῦ, προσπλεύσαντες ἁλιεῖς, προσήνεγκαν αὐτῷ τὰς καλλίστας. Ὁ δ᾽ ἰδὼν, ἐπύθετο, εἰ μείζους ἔχουσιν· εἰπόντων δὲ, μὴ γίνεσθαι, ὧν ἤνεγκαν, ὑπομνησθεὶς τῶν ἐν Μιντούρναις, ἐκέλευσε τῷ κυβερνήτῃ τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἐπὶ Ἰταλίαν ἀναπλεῖν, μηδὲ προσπελάσαντι τῇ γῇ. Sed, cum iam ex ATHENAEO, luxurioſam Apicii uitam cognoueris, iam attende quoque, quem eiusdem uoluptas habuerit euentum, de quo SENECA, *Conſol. ad Heluiam, cap.* 10. *et* 11. *Oper ed. cit. p.* 81. Scilicet minus beate uiuebat Dictator, quam Apicius noſtra memoria uixit, qui, in ea urbe, ex qua aliquando philoſophi, uelut corruptores iuuentutis, abire iuſſi ſunt, ſcientiam popinae profeſſus, diſciplina ſua ſeculum infecit, cuius

quod Thyeſtes, apud SENECAM, *Thyeſt Act.3.* exlamat:

Humi iacentem ſcelera non intrant caſam,
Tutusque menſa capitur anguſta cibus,
Venenum in auro bibitur. - -

Et, quod idem, ſuo tempore, IVVENALIS, Satyricus ſemper mordax, ſic perſtringit, *Satyr. 10.*

- - *Nulla*

exitum noſſe, operae pretium eſt. Cum ſeſtertium millies in culinam coegiſſet, cum tot congiaria principum, et ingens Capitolii uectigal, ſingulis commeſſationibus exſorbſiſſet, aere alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primum coactus inſpexit; ſuperfuturum ſibi ſeſtertium centies computauit, et uelut in ultima fame uicturus, ſi ſeſtertio centies uixiſſet, ueneno uitam finiuit. Quanta luxuria erat, cui ſeſtertium centies egeſtas fuit? I nunc, et puta pecuniae modum ad rem pertinere, non animi. Seſtertium centies aliquis extimuit, et, quod alii uoto petunt, ueneno fugit. Illi uero tam prauae mentis homini, ultima potio ſaluberrima fuit. Tunc uenena edebat, bibebatque, cum immenſis epulis non delectaretur tantum, ſed gloriaretur, cum uitia ſua oſtentaret, cum ciuitatem in luxuriam ſuam conuerteret, cum iuuentutem ad imitationem ſui ſollicitaret, etiam ſine malis exemplis, per ſe docilem.

Nulla aconita bibuntur
Fictilibus, tunc illa time, cum pocula ſumes
Gemmata, et lato ſetinum ardebit in auro.

Theſ. 3. CARDANVS quidem, *de Venen. l. 2. c. 8.* et *Contr. Med. lib. 2. Tr. 5. Contr. 10.* modum deſcribit in offis deliteſcens uenenum prodendi, per furculam, ex optimo orichalco fabricatam, gladiis auratis: quae inter cibos aliquamdiu relicta, ab erodente ueneno contrahat rubiginem, uel colorem, in rubrum aut nigrum deſinentem. Quod quidem in acri ueneno acido metallico locum habere poteſt, ſed non ſecus. Potiones praeterea ſuſpectae ad quartam partem relinquantur in fundo. Vnde refert SENECA, *Controu. l. 6. c. 4.* de marito quodam, qui uxorem ſublaturus, ex eodem poculo bibebat quidem, ſed uxor poſterior illud exhauſit, quod erat in fundo, atque ipſo incolumi, extincta eſt. Hoc uero in uenenis metallicis ponderoſis, nec facile ſolubilibus, ualet, pulueriſatis. In conuiuiis quoque muſcas obſeruari uolunt, et ab illis abſtineri ferculis, a quibus illae abſtinent.

Theſ. 4. Nec ulli ignotum eſt, incredibilem uirtutem, in prodendis uenenis, cornu monoceroti attributam fuiſſe a plurimis auctoribus. Hinc aiunt, Reges Indorum, crateres exinde confeciſſe, aſſerentes, eo die, quo quis ex tali poculo biberit, immunem a morbis, uulneribus, flammis, et toxico, fore. AELIANVS autem

autem, non monocerotis, ſed aſini Indici cornu fuiſſe, ſcribit, *lib. 4. de Animal.* Quod ANGELVS BARGAEVS, *in Cynaegetico*, eleganter expreſſit:

- - Vnoque in fronte ſuperbi
Cornu, quod Reges Indorum protinus aureis
Orbibus includunt, et uina liquentia potant.
Ac tum nec morbos tuti ſentire uidentur,
Nec quae inter menſas occulta hauſere uenena.

Quam uirtutem quaelibet cornua habent, atque omnia ex animalibus, ſi uenenum fuerit acidum. ANDREAS quidem BACCIVS, uir eruditus, aſſerit, ſe amuletum ex hoc cornu poſſediſſe, quod praeſenti ſemper adſudauerit ueneno. Nec certiora ſunt, quae de uaſis Porcellanis et Indicis, ſeu Murrhinis ueterum, referuntur, uenena ſcilicet his prodi. a) *Theſ.*

a) Vulgaris eſt traditio, quod uaſa, ex terra ſigillata parata, illico, indito ueneno quocunque, in fruſta diſſiliant. His reſpondent, quae PLANTINVS, *Heluet. Vet. et Nou. cap.* 7. de lapidis cuiusdam, in Praetura Plurienſi reperiundi, genere, refert, eundem nempe, et lebetes ex illo confectos, *Lauezzi* dictos, tantae efficaciae ac uirtutis eſſe, ut uenenum iniectum, ad ignem proiiciant.

Theſ. 5. Sic de Bufonite lapide referunt auctores, non ſolum uenena ſerpentum, ſi in puluere adſumitur, extinguere illum, uerum etiam auro incluſum, et digito geſtatum, omnis ueneni praeſentiam ſtatim offendere, et ſudore madeſcere, uenoſoque ictui impoſitum, uirus omne, quaſi alterum Cobra de capello lapidem, extrahere. Videſis BAVHINVM, *de Lapid. bez. c. 3. et* PAVLLINVM, *Buf. Cur. c. 3. ſſ. 1. et 4.* Et ALBERTVS MAGNVS, Ratisbonenſis Pontifex, *de uirtut. lapid. p. m. 36.* de lapide aetite refert, quod, ſi ſupponatur patinis, uenenum continentibus, ferculum illud non ab ullo homine deglutiri poſſit. Veteres quidem, et praecipue DIOSCORIDES, *Mat. Med. l. 5. c. 12.* aquilarem lapidem, ſiue aetitem, κλεπτέλεγκον, quaſi furum proditorem, appellabant. Et refert IOH. BODINVS, *Theatr. N. l. 2. p. m. 234.* Graecos et Aſiaticos, hunc lapidem, in Alexandrinis Aegypti campis frequentem, comminuere in puluerem, tantilloque exinde farinae admixto, panes conficere unciales. Hos uero panes furti ſuſpectis exhiberi numero tres, ſine fermento, ſine potu: fierique exinde, ut puri ſceleris, tres illos panes deuorare poſſint, fur uero tertium panem nulla ui deglutire poſſit. Sic ſcribunt, ungulam quarundam aſpidum caudae ineſſe, quae incluſa auro pro gemma, creditur ſudore uenenum prodere.

Theſ.

Theſ. 6. Sed, num haec, et plura alia, ab auctoribus adferri ſolita, ita ſeſe reuera habeant, ſicut perhibentur, ac fidem dictorum expleant, ſane ego non credo, nec illius rei experimentum uidere contigit, quanquam nec optandum, menſis eiusmodi feralibus admoto mihi huius rei experiundae occaſionem unquam dari. Fatendum enim eſt, quod, ubi

Regales epulae menſis, et Bachus in auro,

ut NASONIS illud, *lib. 6. Metamorph.* adferam, rem eſſe periculoſam ſaepe, atque, ut cum eodem Poeta, *Amor. lib. 1. Eleg. 9.* dicam:

Impia ſub dulci melle uenena latent.

Equidem, quam facili negotio, parua, ſed lethifera, noxioſiſſimi ueneni portiuncula, illis laſciuientium ferculorum et aromatum farraginibus, coenaeque poculis obrutae, intermiſceri poſſit, et tamen nec guſtu, nec olfactu ſentiri, credere non eſt difficile. Nulla namque nunc ferculorum caſtimonia, nullae caſtigatae dapes, nec ulla conuiuialis laetitia eſt ſine certamine maiuſculorum poculorum, ſine tortis, ſine artocreate, ſine porco Troiano, quem Cincius, in ſuaſione legis Fanniae, ſeculo ſuo exprobrauit, referente MACROBIO, *Saturn. l. 3. c. 13.* Sed luxus iam adeo inualuit, ut, niſi nauigetur ad Indas, alui cauſa, ad phaſin, ut gulae rabies ſedetur, malum putetur. Ergo Luculli luxus, Aeſopi

Aeſopi Apiciique patinae prodigioſae, Vitellii coenae monſtroſae uigent adhuc, omnisque nunc gula ingenioſa eſt. Ideoque merito laudari meretur priſca ciborum ſimplicitas, dum homines, iuxta OVIDIVM, *lib. 1. Metamorph.* adparatui Naturae indulgebant,

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos foetus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, et in duris baerentia mora rubetis,
Et quae deciderant patula Iouis arbore glandes.

Theſ. 7. CTESIAS CNIDIAS, *lib. de Reb. Perſic.* et ex illo PHOTIVS, *in Bibliotb. c. 72. p. m. 49.* referunt, Statiram, Artaxerxis coniugem, ſemper timuiſſe uenenum, et omni diligentia cauiſſe, ut illud euitaretur, factum tamen, ut Paryſatis mulier, aſtutiſſime cultelli partem alteram ueneno inficeret, et coram Statera auiculam diuideret, atque parte auis, quae tacta fuiſſet a ueneno cultelli, oblata Statirae, illico eam extinxiſſe, parte altera innoxia. *b*) En fraudem

b) Non tamen ſemper deſiderato ſceleſtiſſima haec ars ſucceſſu gaudet; Achabar enim, Imperator Mogolicus, Myrzam Gaziam, audacius ipſi contradicentem, aegre ferens, iuſſit medicum duas parare pilulas, innoxiam alteram, alteram

dem muliebrem! Sic Liuia Auguſtum, ficubus, in arbore adhuc medicatis, ſuſtulit, ut DION CASSIVS habet, *Rom. Hiſt. l. 56. p. m. 675.* et Commodus Imperator, Motilenum, Praetorio Praefectum, itidem ficis interemit, ut LAMPRIDIVS teſtatur, *in Commod. c. 9.* Sic Claudium, Caeſarem, uxor, Agrippina, boletis necauit, teſtibus PLINIO, *l. 22. c. 22.* IVVENALE, *Sat. 6.* itemque SVETONIO, *in Claud. c. 44.* et *in Nerone c. 33.* De fungis ita PLINIVS, *d. l. c. 23. Familias nuper interemere, et tota conuiuia Annaeum Serenum, Praefectum Neronis uigilium, et tribunos et centuriones.* Cuius et meminit SENECA, *Epiſt. 64.* et TACITVS, *l. 13. Annal. c. 13.* Et L. Verus Imperator, ſocrus ſuae Fauſtinae dolo ſublatus eſt, adſperſis ueneno oſtreis, ut CAPITOLINVS, *in Ver. cap. 10.* memoriae prodidit. Sic puluerem uenenatum, Tortae immixtum, CARDANVS, *Contr. Med. l. 2. contr. 10. tr. 5.* meminit, nouem conuiuas lenta morte deleuiſſe. Idem quoque, *lib. 2. de Subtil.* et *de Venen. lib. 1. c. 28.* et MERCVRIALIS, *de Venen.*

praeſentiſſimo ebriam ueneno. Cum uero has ipſas in manu uolutaret, innoxiam forte Gatzio, ſibi uero exitialem, porrigit, et moritur, teſte Domino *de* LAET, *Fragment. Hiſtor. Indic. p. 104.*

nen. l. 1. c. 6. ex IOANNIS LEONIS *De-ſcript. Afric. l. 1.* referunt, uendi in Nubia, Africae regione, uenenum, quod grani pondere, decem homines perimat, hominem autem ſtatim. Pulueres enim acres et mordaces dulcibus, foetida odoratis, et ſimplicia compoſitis adſociantur.

Theſ. 8. Sed, ut ad Agrippinam redeam, illa, teſte TACITO, *Annal. l. 12. c. 66. et 67.* maritum ueneno tollere praemeditata, elegit non repentinum et praeceps, nec lentum et tabidum, ſed exquiſitum, quod mentem turbaret, et mortem differret, per ueneficam, Locuſtam, infuſumque delectabili cibo boletorum uenenum. Neque hoc ipſi ſatis. Adhibuit Xenophontem, Medicum, qui, tanquam niſus euomentis adiuuaret, pinnam rapido ueneno illitam faucibus Principis demiſiſſe creditur. *c*) At Domitius Nero Filius, Germanicum fratrem exoſus, per Pullionem Iulium, Praetoriae cohortis Tribunum, ex eadem uenefica Locuſta, iam carceri incluſa, et multa ſcelerum fama ignobili, uenenum popoſcit, cubiculumque Caeſaris iuxta decoquitur uirus, cognitis antea

c) Fuiſſe autem Boletis adſperſum ſociatumque uirus acre, metallicum, cauſticum, uiſcera erodens, facile patet ex ultimis uerbis, quae, ut SENECA, *in Apocolocynthoſi Claudii, Caeſaris*, refert, ſunt ſequentia: *Vae me, puto, concacaui me.*

antea uenenis rapidum. Quod frigidae aquae affuſum, datumque Germanico, ita cunctos eius artus peruaſit, ut uox pariter et ſpiritus eius raperentur. Quod quidem uirus non eluſit, licet falleret primum, quod ab ipſis educatoribus accepit: tranſmiſit enim, exſoluta aluo, parum ualidum, ſiue temperamentum inerat, ne ſtatim ſaeuiret, ut idem TACITVS, *Annal. l. 13. c. 15. et 16.* habet. Et Magnus ille Alexander, Macedo, in conuiuio apud Theſſalum, Medicum, ſceleris conſcium, ab Antipatri filiis, Philippo, et Iolla, regii potus praeguſtatoribus, permixtum potui parricidiale uenenum hauſit, et ſexta die, praecluſa uoce, obiit, ut narrat CVRTIVS, *l. 10. c. 4. et* IVSTINVS, *l. 12.* Sic quoque Iacobum VI. primo Scotiae totius, poſtea Britanniae Regem, quidam Pontificiae Religionis, pomo medicato, tollere commentus eſt.

Theſ. 9. Res autem, quae uiru maxime perfundi ſolent, ſunt, panis, uinum, et aqua. Arduum certe eſt, in pane, re ſcilicet arida, noxias detegere particulas, niſi quod ex brutis animantibus colligere eſt experimentum, ſi illa ex panis accuſati eſu mox moriantur, uel lenta tabe conficiantur. Gypſea tamen, cretacea, et calciformia, atque aluminoſa, non difficulter ſuam teſtantur praeſentiam, ſi panes in clibano praeter ſolitum intumeſcant, atque in uarios tubulos maiores et ueſiculas grandiores interior medulla abiuerit, ſaporemque referant alicu-

ius cretae, ut multoties me guſtaſſe recordor.

Theſ. 10. Fungorum quidem eſculentorum delectus, ſi cibis intermiſcendi ſint, omnino ita habetur, ut, qui rubent callo, delegantur, minus diluto rubore, quam boleti, itemque candidiſſimi, et qui nitro addito, uel aceto, fuerint percocti. Vitandi autem, qui liuido colore, qui maculoſi, qui rubei lacteſcentes, uel et liuidi uirulentum quid ipſo odore prodentes. Noxii porro iudicandi ſunt illi, qui in coquendo duriores redduntur. Cum enim ſupra dictum ſit, plantarum noxiarum uenenum, in ſale uolatili oleoſo conſiſtere, per coctionem ſal iſte euaporat, uel aquae immiſcetur, relicto uiſcoſo, cui implicitum erat, nullo modo ſolubili.

Theſ. 11. Vini tamen et aquae bonitas, uel prauitas, certius internoſcitur, praecipue uero per praecipitantia dicta, quae aliquid ad fundum uaſis, in quo liquor examinandus continetur, detrudunt, ex quo poſtea iudicandum erit. Vel per reagentia dicta probatur, quae acidi uel alkalini ſalis dominium et praeſentiam manifeſtant, mutatione ſolummodo coloris. Et in omni praecipitatione, contraria quidem contrariis produntur: contingit tamen, ut acida acidis, alkalina alkalinis, praecipitentur, nempe ſubcontrariis, ſed parum et imperfecte. Sic ſolutionem cum acido factam, ſal commune praecipitando detegit, propter ſibi, ut putant, ad-

mixtum

mixtum alkali: et quidquid per calcem uiuam ſolutum eſt, cineres clauellati, ſal tartari, aliaque alkalina, detrudunt; quippe calx uiua, non purum alkali continet, ſed de acido quoque participat. Sic Chymicis loqui placet. Sed *pulchrum eſt, etiam ea addiſcere, quae in experimentum adſumta, ſucceſſu caruerunt, et cur ſucceſſum non habuerunt*, dicente HIPPOCRATE, *de Articul. n. 48.*

Theſ. 12. Iſta autem, de contrariorum per contraria detruſione, nempe ut, quod ab acido ſolutum eſt, praecipitetur ab alkali, et uice uerſa, non perpetuo obtinet, ſi cogitemus, corpora quaedam eius eſſe indolis, ut tam ab alkalino, quam acido ſale, diſſolui poſſint, ſicut ſpiritus humani ſanguinis, maxime alkalinus et uolatilis, etiam in frigido cuprum ſoluit, et zinckum, ſeu ſpeltrum, ab aqua forti aliisque acidis menſtruis pariter facile ſolubilia. Videſis BOYLE, *Hiſt. humani ſanguinis, part. 4. tit. 8. et 11. et App. Exper. 11. et 12.*

Theſ. 13. Vt porro uideamus, quantum huic Chymicorum de oppoſiti ſalis in omni praecipitatione praeſentia effato ſuperſtruere poſſimus, ad experimenta ſequentia attendendum eſt. Si ſolutioni lunae, in ſpiritu nitri acido factae, pauxillum aquae fortis primum infundis, ut aqua ſimplex ſuſtineatur, deinde aquae ſimplicis purae itidem parum, et huic ſic mixturae ueneram lamellatim imponis, ſtatim prae-

ceps datur ſuſpenſa in menſtruo luna. Videatur idem BOYLE, *de Exper. quae non ſucced. Tent. 2. p. 73. et Hiſt. Fluid. Sect. 23. p. m. 63.* Venus uero, neque acida eſt, neque alkalina, ſed corpus metallicum ſui certe generis. Si autem uenerem, in hoc liquido iam incipientem ſolui, recuperare placuerit, zincko, uel marti iniecto, adhaereſcent omnes cupreae particulae, aqua clarefacta, et colore coeruleo uiridi euaneſcente. Aqua enim, pro motu ſuarum partium inteſtino, crebris iuxta zincki ſuperficiem lapſibus, corpuſcula cuprea illuc defert, ac deponit.

Theſ. 14. Si uero eidem lunae per nitri ſpiritum ſolutioni muriam adfundis, neque acidam, neque alkalinam, itidem metallum praecipitatur, uel ſi ſpiritus ſalis, acidiſſimus licet, adhibetur, uertitur luna in materiam ſciſſilem, lunam corneam dictam, ſeu ſuccinum argenti, ſolo ſaturno recuperandam. Ex hac uero cornea luna, per ſublimationem perfectum fieri poteſt arſenicum, lunae dictum, capta in alembico uel recipiente potiori argenti parte, ſulphuri tamen arcte iam combinata, ut una cum eo facta ſit uolatilis. Argentum quoque, ut BODINVS habet, *Theatr. Nat. l. 2. p. m. 239.* in aqua chryſulca ſolutum, et ſolutione ammoniaci ſalis in fundum ſub pulueris forma praecipitatum, admixta chryſocolla, ignis ope in uitream naturam conuertitur, uitro inde con-

flando

flando aptam. Oleo etiam uitrioli, lunam, in ſpiritu nitri ſolutam, praecipitari uidebis, itemque alkalicis. Sic ſolutionem ueneris, aqua forti factam, praecipitat quidem ſal tartari; ſpiritus uero ſalis ammoniaci diluit hoc turbatum liquidum, et diaphanum reddit, ſit licet uterque ſal alkalinus, et aquae forti contrarius.

Theſ. 15. Praeterea in aqua forti ſi ſolueris argentum, et ſolutioni immiſeris laminam aeris, praecipitabitur luna; ſi deinde ferrum impoſueris, aes detruditur in fundum; ſi demum inieceris calaminarem lapidem, praecipitabitur tum ferrum; tandem, ſi admiſcueris nitrum fixum, uel tartari ſalem, calaminaris lapis fundum petet. Quae omnia phaenomena ſolummodo per acidi et alkali contrarios niſus celebrari, nemo ſane dixerit. Bene tamen FLACCVS, *Epiſt. 2. lib. 1.*

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem,
Teſta diu. - - -

Tandem etiam, in experiundo, ſi ſpiritui uini camphorato, uel aliis reſinis, in oleo fermentato ſolutis, adfundis aquam puram ſimplicem, mixtura ſtatim albeſcet, et reſinae fundum petent, notiſſimo experimento. Quis autem dixerit, ſpiritum uini, alkalinum, aut camphoram, uel aquam, acidam, aut contra, eſſe.

Theſ. 16. Hinc ergo in uniuerſum clare apparet, quam male quidam, in examine aquarum

medicatarum, certos ſe per praecipitationem determinare poſſe ſales, medicatae aquae inexiſtentes, putant. Fallax enim hoc eſt. Et, uel in ipſo praecipitationis actu, praecipitans iungitur praecipitando, ſicque auget et pondus, et mutat colorem, qualitatem, et naturam ipſam. Pariter in praeparatione auri fulminantis, ſi aurum ſoluitur in aqua regia, et dein oleo tartari per deliquium praecipitatur, uni huic drachmae, pro exemplo, auri, ex praecipitante, et forte ex menſtruo, additur una tertia pars drachmae. Adeoque liquet, poſt inſtitutam praecipitationem, ſalibus diuerſis in unum combinatis, toto coelo diuerſum exiſtere ſalium genus, quam quod in ipſa ſic dicta medicata aqua antea continebatur. Et, cum eiusmodi phaenomena uideamus perpetuo naturae iuſſu fieri, non per contraria tantum alkalina, ſed etiam per acida eiusdem generis, uel alia incerti characteris, conſtat hinc, nihil intereſſe ad praecipitationem, quod ſales ſint contrarii, uel non contrarii.

Theſ. 17. Quaenam autem ratio ſit iſtius in diuerſis corporibus mixtis conſuetae praecipitationis, difficillime dici poteſt, auctoribus fere ſingulis in proprias et diuerſiſſimas abeuntibus ſententias. Alii ob particularum in praecipitante et praecipitando uariam formam et figuram fieri hoc putant, alii ab influxu aetheris cuiusdam, in diuerſis diuerſi, deducunt. Et nota eſt ingenioſi ſententia WILLIS, *de Ferment. c. 2.* qui

qui praecipitationem fieri contendit, non per particulas ſalium diſcerpentes, et ſe mutuo oppugnantes, ut aliis placuit, ſed propter easdem ualde affines. Ita quidem, ut, quando uel ſpatia menſtrui, ita ſumta, a ſolutis occupata, et repleta, nihil praeter diſſolutum, admittant, quin praecipitetur illud, uel quando corpuſcula ſoluta, in praecipitantis amplexus ruant, et una conglomerantur, maiora ſic conſtituant granula, quam quae in anguſtis menſtrui poris contineri queant, ideoque mole et pondere detruſa, uerſus fundum decidant. Nec multum ab his abludunt, quae Cl. GVLIELMINVS, *de Salib. n. 137. 142. et 177.* adſtruit, acidi nempe anguloſas particulas poroſa alkalium ignitione accepta ſpatia intrare, atque hinc aerem expellendo, efferueſcentiam et bullas excitare, ſicque in alkali poris haerentes, et in unum cum eo coeuntes, pondere detrudi.

Theſ. 18. Sollerter admodum et affabre ſic argumentantur. Vera autem, quoad praecipitationem, huius rei cauſa eſſe uidetur mihi illa, quod duo metalla ſoluenda, non poſſint in eodem menſtruo ſimul et ſemel ſociari; menſtruo ſtatim arripiente id, quod facilius ſolui poteſt, cuiusque compagi comminuendae et diuidendae aptius eſt, altero fundum petente. Sic aqua praecipitat camphoram, in ſpiritu uini ſuſpenſam, eo, quod ſpiritus uini facilius cohabitari poſſit cum aqua, eique immiſceri, quam cum reſinis.

Theſ. 19. Sed, nec multo feliciore facto, ſuam de acidi et alkalini ſalis uiribus doctrinam, in coagulandis et reſoluendis humoribus, propagarunt Chymici quidam, non contenti, ſua haec placita circa microcoſmum explicare, ſed etiam huius Vniuerſi partes, quoquot ſolidas, per acidum compingens, tales eſſe, ſeuere adſtruentes. In ſuperioribus quidem ſatis monſtraſſe me confido, noſtra liquida, et ab acido acri metallico, et ab alkalino ſale, poſſe coagulari, non tamen ſemper, nec ab omnibus; et contra, quod ab acido erat coactum, alkali diſſoluere, et rurſus, quod alkali coagulauit, acidum iterum reddere meabile ac fluidum, perpetua naturae lege atque infallibili. Vnde ſequitur, abſolute nihil de ſalibus coagulantibus et reſoluentibus ſtatui poſſe. *d)*

Theſ.

d) Hinc ſatis manifeſtatur eorum error, qui, in uſu ita dictorum crocorum martis, aperientium atque adſtringentium, committitur, cum ſaepius ex uſu croci martis, quem aperientem uocant, maxima alui conſtipatio, et reliquarum tarditas ſecretionum obſeruetur, altero contra, qui adſtringendi uirtute celebratur, et hunc in finem exhibetur, diarrhoeam, uberiorem ſudorem, aut largius lotii profluuium, excitante; quaeuis quippe remedia, non ſecundum modum actiuitatis ſuae, ſed receptiuitatis, in corporibus operantur.

Theſ. 20. Quod ſolida mundi attinet, eorumque etiam opinionem, qui omnia uiſibilia ex ſale, ſulphure et mercurio conflata eſſe, et etiamnum coſtari, putant, ſicco, quod aiunt, pede praetereo, thema, a ſeniore Philoſopho, et ingenio meo longe nobiliori, examinandum, uentilata hac quaeſtione iam dudum per plurimos, et praecipue per nob. BOYLE, qui inſtar omnium eſt, in ſuo Chymiſta ſceptico. Tantum dico, fluida mihi eo nomine uideri corpora, *quod conſiſtant ex corpuſculis, quae, dum ſe inuicem in quibusdam tantum ſuarum ſuperficierum partibus tangunt, incontigua uero ſunt in reliquis, et ſeparatim hinc inde agitata, facile poſſunt propter poros, uel interſtitia numeroſa, inter contiguas eorum partes neceſſario relicta, iuxta ſuas inuicem ſuperficies uolui.* Firmum uero, ſeu ſolidum, eſſe corpus illud, *quod particulae, illud componentes, praeterquam, quod communiter ſint craſſiores, uel ita quieſcunt, uel ſic inter ſe inuicem implicantur, ut mutuo ſibi cohaereant, atque adeo ad fluendum, et quaqua uerſum ſe diffundendum, ineptae reddantur.* Prout idem nob. BOYLE, magnus Philoſophus, et magnus iuxta Chymicus, de hiſce corporum qualitatibus doctiſſime diſſerit, *Hiſt. Fluid. Sect.* 2. *p. m.* 36. *et Hiſt. Firmit. Sect.* 2. *p. m.* 78.

Theſ. 21. In plantis uero et animalibus, fluidae partes componuntur ex aqua, oleo, et ſalibus, in aqua, tanquam ſub forma ſaponis fluentibus, ſolidae uero partes, et fibrae uaſorum ultimae, quacunque demum ratione, uel per ignem, uel per aerem, harum rerum anatomia, aut deſtructio, inſtituitur, conſtant ex terra pura, uirginea; quae, cum ignis ſuum pabulum, nempe olea, conſumſit, et ſales aquamque elicuit, aut cum aer haec eadem eduxit, in coelo aperto, omnium ultimo indeſtructibilis remanet, ex fibroſa uegetabilium et animalium textura relicta.

Theſ. 22. Longius ire in tam pulchro argumento ſuperſedeo, ſaltem oſtenſurus hac uice, acida non tantum coagulare, ſed etiam alkalina, et ſulphurea, et uice etiam uerſa, quod oleoſum coagulauit, alkalinumue, acidum diſſoluere. Non enim acida omnia cogunt, aceta quidem metallica, ſed acida fermentatione producta coagulatum ab alkali aut ſpiritu oleoſo diſſoluunt. Alkalini quidem ſales, in fluorem redacti, multos liquores in experimentis faciunt liquidiores, ratione ſuae aquae praeſertim, poſtea tamen coeuntes. Sed, aqueo deſtituti uehiculo, pariter coagulant, ſicut ſal tartari ſicciſſimum, ſero ſanguinis in forma additum pulueris, idem cogit. Intra uaſa uero, ubi acri ſali, ex contractione ſolidorum, momentum additur motus, aliter ſe res habet. Acria enim tum alkalina, aquaſis, praecipue uero ex pulmone, huc

illuc

illuc uentilata, in ambientia fluida agunt, pro ratione ſuae acredinis, eaque cogunt in locis fortiter ſe contrahentibus, hoc eſt, per arterias, recipientibus ſe in uenas fluidiſſimis, liquidiſſimisque, quae per exiliſſimos arteriarum conos pertranſire poſſint. Et ſaepe fuit dictum, omne acre, ſiue ſit acidum, ſiue alkali, ſiue mechanicum, ſanguinem cogere, quatenus eſt acre, neque hoc unquam fallere. Sed praedominante ſale acido, optime reſoluunt alkalina; alkali uero primas tenente, ut in febribus quam plurimum, acida ſunt reſoluentia fidiſſima.

Theſ. 23. Notanda autem inſuper ſunt ſequentia experimenta. Si albumini ouorum, in quo nec acidum alkali, nec hoc illi, praeponderat, uel ſero ſanguinis, infuderis alkohol uini defecatiſſimum et puriſſimum, mox coagulabitur in ſubſtantiam craſſam, ouo cocto non abſimilem, eadem fortaſſis ratione, qua ſpiritus uini, aquae admixtus, reſinam camphorae demiſit. Spiritus autem uini, neque eſt acidus, neque alkalinus, ſed ſulphureus, niſi dicere uolueris, omne et quodcunque ſulphur, acido plenum eſſe, quod tamen negauerim, licet nullo modo negaſſe uelim, acidum ſpiritui ineſſe uini; alias inde acetum fieri non poſſet, notiſſimum mulierculis noſtris experimentum. Huic uero coagulo, ſi ſuperaffunditur acetum uini, fermentatione productum, diluitur in calore modico compages, ac diſſoluitur. Si ſpiritum nitri ſero infuderis, uel ſpiritum marini ſalis, eadem ſequentur coaguli producta. *Theſ.*

Theſ. 24. Ergo hic albugineus et chyloſus liquor, a duplici cauſa, acida, et ſulphurea, in magma adeo craſſum abit. Vnde uidemus, calidiora medicamenta, et acria metallica, ſanguinem noſtrum coagulare, quocunque nomine uenerint, ſiue medicamentorum, ſiue aromatum, aut inebriaminum, uel ſanguinis ſerum, albumini ouorum maxime analogum, incraſſando, uel eo etiam modo, quem ſupra indigitaui, in ſanguineos iuxta globulos agendo, quod utrumque probabilitate non caret. Acida uero fermentata, falſo hactenus coaguli accuſata, humores compactos, accedente ui uitae, uel leni calore, iterum reſoluere, iuxta liquet.

Theſ. 25. Ignis quoque, quantum in corporibus mutandis, efficiat, uel ſolum docere poteſt nitrum, ſal iſtud neutrum, et ammoniacae ſemper in ſua minera indolis. Si enim deſtillatur, dat ſpiritum acidum; ſed, ſi in crucibulo cum carbonibus uel feſtucis inflammabilibus accenditur, et detonatur, euadit ſal alkali, per deliquium ſoluendum in liquorem iſtum nitri fixi, quem ad morbos, ex acido exortos, mire commendant, et multoties uſurpaui in cereuiſia, per aeſtiuos calores, ſoluto tartaro, aceſcente, priſtino ſapori reſtituenda. Adeoque uere PLINIVS, *l.* 36. *c.* 26. dixit: *Peractis omnibus, quae conſtant ingenio, artem natura faciente, ſuccurrit mirari, nihil pene non*

igne

igne perſici. Sic ſal mirabilis Glauberi, ex marini ſalis partibus duabus, et olei uitrioli parte una, deſtillatis, in fundo retortae remanens, et uaria, coctione, filtratione, et euaporatione, cryſtalliſatus, ſi miſcetur rebus fluidis, facit eos miro ſpectaculo concreſcere.

Theſ. 26. Simili modo alcohol uini puriſſimum, et urinae ſpiritus defecatiſſimus, ſi confunduntur, abeunt in offam albam, HELMONTIO, *de Lithiaſ. c. 3.* memoratam, licet alter ſit ſulphureus, alter uero, alkali, a nemine negatum. Idem fit, ſi haec duo ſumuntur, non dephlegmata, et confuſa, leni lampadis, balneiue, calore, deſtillent, tum enim adhaerebunt collo uaſis, ſublimati forma, ut refert BOYLE, *de Nat. determinat. effluu. c. 4.* Idem ſubit ſpiritus uini, cum aliis ſpiritibus, ex animalium partibus quibuslibet, ignis ope productis: experimentum tamen ſub frigido Ioue inſtituendum eſt. Et ſic mira obtinet naturae mechanica, in uariis liquoribus coagulandis, uel reſoluendis. Plura uideſis apud nob. BOYLE, *Hiſt. Firm. Sect. 56. 59. 61. 62. et 63.* quae huc tranſſcribere non uacat experimenta, meae quanquam opinioni maximam lucem foeneratura.

Theſ. 27. Quam uere autem dixerint Chymici, omnem ſalem acidum, cum omni ſale alkalino, duos nempe iſtos pugiles contrarios Sualuianos, mutuam inire pugnam, et efferueſcere,

re, tam male per conſequentiam inde deduxerunt, omne, aut acidum, aut alkali, eſſe, quod cum uno horum ſalium efferueſceret. Sic limatura boni martis, et boni ſulphuris, anatica portione, ſed maiuſcula, utriusque commixti, parum humefacti, atque ſub terram defoſſi, poſt breue temporis ſpatium, primo fumat, dein feruere, ebullire, ac tandem cum ſono et crepitu, inſtar pyrii pulueris, explodi, atque obuia quaeque proſternere incipit, licet in nullo horum, aliquod alkali, ſed in utroque acidum indagemus.

Theſ. 28. Tum, ſi ſpiritui nitri acido addideris cretam, lapides cancrorum, bolum, corallia, lapidem bezoarticum, de Goa, hiſtricis, calculumue humanum, inſipida licet, calcea atque inertia corpora, aut ſi eidem iunxeris ſpiritum uini defecatum, aut olea ſtillatitia aromatum Indicorum, cariophyllorum, aliudue: uel ſi martem limatum, uel ſtannum, cuprum, aut zinckum: uel ſi oleum tartari per deliquium, ſpiritum urinae, aut ſalis Ammoniaci, ſuper calcem uiuam deſtillati, oritur quidem cum omnibus hiſce efferueſcentia, maior, uel minor. Et Hannibal, Carthaginenſis Induperator, per Alpes moturus,

Deduxit ſcopulos et montem rupit aceto,

ut canit IVVENALIS, *Sat. 10.* Quis tamen Alpes, ex puro alkali conſtare, dixerit, quamuis ex creta conſtent. Nec quisquam, niſi praeiu-

diciis

diciis et opinionibus praeoccupatus, dixerit, cretam eſſe alkalinam, cum terra ſit ſui generis, aut metalla, eiusdem eſſe naturae cum oculis cancrorum, quod pariter cum acido nitri ſpiritu efferueſcant, aut tartari oleum eſſe idem, quod martem.

Theſ. 29. Equidem nonnulli in calce uiua, duo ſalis genera eſſe, contendunt, alkali, et acidum. Quod alkali ibi ſit, non negauerim, incertus licet, num ab igne, num antea calcarius lapis hoc ſale ſcatebat. Et, ſi uerum fateamur, in producendo ſale alkalino, per ignem, facimus idem, quod Natura intra uiſcera terrae. Acidum uero ſalem, calci uiuae inhabitantem, hoc experimento adſertum eunt: ſoluunt calcem in aqua, eique ſolutioni oleum tartari, deliquio ſolutum, affundunt, lacteſcit ſolutio: quod ab acido calcis deducunt. Quaſi praecipitatio non fieret, niſi in corporibus, contraria natura donatis. *e*) Addunt porro, lac, cui incoquitur calx uiua, coagulari, quod itidem a ſolis fieri acidis, putant, cum et akalinis fiat. Acidum uero, calcis ineſſe lapidi, ante combuſtionem, non dubitari poteſt, cum lapis calcarius, ualido igne deſtillatus det ſpiritum acidum.

Theſ.

e) Ita quoque, ſi infuſioni gallarum additur ſolutio uitrioli, optimum producitur atramentum; ſi deinceps eidem ſpiritum uitrioli addis, atra-

Theſ. 30. Sed tamen nullum cogitare uelim, me haec in artis chymicae uel contumeliam attuliſſe, uel incertitudinem, artis, inquam, nobiliſſimae, atque in medicos uſus, et communis uitae commoda, tam multa egregia, utilia, atatque inſignia emolumenta, quotidie elaborantis, et excogitantis: cum, per uniuerſum ſtudii mei medici decurſum, hanc ſcientiam quamplurimum amauerim, et ſaepe uolupe duxerim, quando res ita ſeſe tulit, et aliorum intereſſe operationibus, et propria quandoque induſtria, pro fortunarum mearum facultatibus, aliquid etiam tentare; ita tamen, ut, quidquid uel PARACELSVS, uel alii in hac arte celebres uiri, ſcriptum reliquerint, non uerborum fictis ſepultum chimaeris, ſed intelligibile, et naturae phaenomenis atque experimentis conſonum, ſumma laude et gratia dignum eſſe, iudicarim, quae uero ſecus ſe habent, imbecillitati humanae condonanda, atque ulteriori examini eſſe committenda et ſubiicienda, quo ſic ueritati ſuus honos, ſua ſemper gloria, conſtet, et perduret. Homines enim et illi fuerunt, et nos ſumus, quibus in aeternum, huius ſeculi, im-

per-

mentum omni nigredine orbatur, atque inſtar aquae fontanae euadit limpidum. An uero hic effectus, contrariis ſalibus, acidis nempe, et alcalinis, ſit tribuendus, uti multis uidetur, aliis relinquo diſceptandum.

perfectionis noſtrae teſtimonium, illud quadrabit uatis Mantuani, *Eclog. 8.*

- - *Non omnia poſſumus omnes.*

Theſ. 31. Hiſce ita praemiſſis, ad propoſitum proximius perueniamus; ſi ergo uina, ſulphure, ut ſaepe ſolent, ad calorem excitandum, fuerint adulterata, praeter illud, quod ſulphureus, et ſtrangulans, ſentiatur odor, guttulaeque aliquot in mappulam effuſae, palmaque palpatae, pinguem relinquant et albentem maculam, alkalibus etiam praecipitatur illud in puluiſculum ſubalbidum. Si calx uiua fuerit admixta, uel in ipſa uuarum calcatione, ut aliquando fit, uel poſtea, ſi ſacharum ſaturni, aut lithargyrium, oleo tartari per deliquium in fundum prolabitur. Si arſenicum admiſtum potui, deſcendit ad imum, teſte CARDANO, *de Venen. l. 2. c. 8.* et candidum apparet. Idem fit in ſublimato. Guſtu acri et auſtero haec facile produntur, atque alkalinis praecipitantur.

Theſ. 32. Solent etiam, ad clarificanda uina, et cereuiſias, adhibere ichtyocollam, ouorum albumina, gypſum, puluerem alabaſtri, ſilices calcinatos, alumen combuſtum, asbeſtum, amylum, aliasue res, peruerſe excogitatas. Summatim haec complexus eſt PLINIVS, *l. 14. c. 19.* *Africa gypſo mitigat aſperitatem uini, nec non aliquibus ſui partibus calce. Graecia argilla, aut marmore, aut ſale, aut mari, lenitatem*

tatem excitat. Italiae pars aliqua radulana pice ac reſina condire muſta, uulgare eſt ei, prouinciiſque finitimis. Sic oenopolae Hollandici, ad uina Gallica in exteras terras emittenda, et ſuo uigore, quem *Lucht* uocant, conſeruanda, ſuffumigio dolia imbuunt, quod ex arſenico natiuo, ſulphure et colophonia conſtat, rebus noxioſiſſimis. Vnde perpulchre PLINIVS, *dicto libro, cap. 20.* exclamat: *Tot ueneficiis placere cogitur, et miramur, noxium eſſe uinum.*

Theſ. 33. Vina uero ſulphurata, uel bitumine aut arſenico penetrata, ſicut pulmonibus, in putredinem uergentibus, iuxta PLINIVM, inutilia non eſſe, facile perſuaſus ſum, ita e contrario pulmonibus ſanis nihil quidquam pernicioſius et peſtilentius. Hinc enim oriuntur ſtrangulationes, aſthmata, tuſſes ſiccae creberrimae, raucedines, et infiniti morbi, ut exempla uidi quamplurima in uini Gallici amatoribus, quod pluries adulterari ſolet ab oenopolis. Quae uinorum uitia, in examine aquarum, detegere, et pluribus excutere, nunc eſt animus, praeſertim, cum reliqui humores, nihil aliud reuera ſint, quam ſubtilis quaedam aqua, ſalibus quibusdam et oleis fermentatis intime permiſta, atque acuata. Non tamen unquam Deus patietur, in hac uel alia re inultos fore ueneficos, licet ſero iraſcatur: *Lento enim gradu ad uindictam ſui Diuina procedit Ira, tarditatemque ſupplicii*

gra-

grauitate compenſat, uerba ſunt VALERII MAXIMI, *l. 1. c. 1.*

Theſ. 34. Aquae autem uenenatae plurimae in ueterum monumentis nominantur, inter quas, Nonacris Stygia, palus Arcadiae; Fons, Soracte, in Beroſo, (noſtris *Bergaſen*) taurorum colle; Cychros, Thraciae lacus; Terracinae fons, ſeu Neptunius; fons ad Euripidis, Poetae, ſepulchrum, ſiue Athenis, ſiue in Argiuorum foro ſitum; Auernus, Graecis Αορνος, quod auibus careret, ob peſtilentes halitus, unico afflatu interimentes; et Charoniae Foſſae in Italia, aliaeque innumerae. Videſis PLINIVM, *l. 2. c. 103. et l. 31. c. 2.* et KIRCHERVM, *Mund. Subterr. l. 5. c. 3. Sect. 3. et Itin. Exſt. 2. Dialog. 1. c. 1. de Nat. aqu.* STRABO, *Geograph. lib. 6.* meminit fontis cuiusdam, foetidam aquam emittentis, in oppidulo Leucis, non procul a Lazentio. Aqua uero Stygia, tantae proditur fuiſſe corroſiuitatis, ut in nullo uaſe contineri poſſet, praeter equinam ungulam. Alii aſininam uolunt. Hinc PLINIVS, *l. 30. c. 16.* ſic ſcribit: *ungulas tantum mularum repertas, neque aliam ullam materiam, quae non perroderetur a ueneno ſtygis aquae, cum id dandum Alexandro Magno Antipater mitteret, memoria dignum eſt, magna Ariſtotelis infamia excogitatum. f)*

f) Extremae pariter erga Regem tam munificum

ingratitudinis, ob inuentum detectumque hoc uenenum, Ariſtotelem accuſant CICERO, *lib. 2. Tuſcul. Quaeſt. et lib. 1. de Diuinat.* ac STRABO, *lib. 15.* Quae ſuſpicio etiam Antonii Caracallae mentem ita inuaſit ac corrupit, ut Philoſophos, qui Ariſtotelici ſunt nominati, ſummo odio fuerit proſecutus, et non tantum libros Ariſtotelis comburere uoluerit, ſed et ſectae illius hominibus, ſodalitates, et cetera commoda, quae habebant in Alexandria, ſuſtulerit, criminatus eos, quod Ariſtoteles, cauſa mortis Alexandri uiſus eſſet. Verum enim uero, STEPH. FORCATVLVS, *de Imper. et Philoſoph. Gallorum, lib. 7. cap. 129.* iuſte defendit Ariſtotelem, et hanc infamiae notam abſtergit, fide prorſus indignum eſſe, ſcribens, quod inſidiarum in Regem conſcius fuerit nobilis Philoſophus, quamuis illam exitialem aquam detexerit, ſciens, nihil mali genuiſſe naturam, ſine aliquo bono, nihilque tam praeſentis eſſe ueneni, quod, uel per ſe ipſum, uel, ſi ſalubribus miſceatur, ad antidotum non ſpectet. Imo, ſi reſpiciamus ea, quae de hac aqua affert SENECA, maximam ſane laudem meretur Ariſtotelis ſedulitas et prudentia, qua, uis huius aquae uirulenta, nullis certis ſe prodens ſignis, detecta fuit in hominum emolumentum, ſibi deinceps ab hac proſpicientium. Quaedam aquae, ſcribit SENECA, *Natur. Quaeſt. lib. 3. cap. 25. ed. cit. p. 733. et 734.* mortiferae

doctrinam, partim ab aliis hauſtam, partim
Ttt 3 pro-

ſunt, nec odore notabiles, nec ſapore. Circa Nonacrin, in Arcadia, Styx appellata ab incolis, aduenas fallit, quia non facie, non odore, ſuſpecta eſt: qualia ſunt magnorum artificum uenena, quae deprehendi niſi morte non poſſunt. Haec autem, de qua paullo ante retuli, aqua, ſumma celeritate corrumpit, nec remedio locus eſt, quia protinus hauſta duratur, nec aliter, quam gypſum, ſub humore conſtringitur, et alligat uiſcera. Quid pluribus opus? cum maxima auctorum pars, eam ueneni fabulam prorſus exiſtimet commentitiam, aſſerendo: quod, ſexto demum die obierit, et diſſentientibus per multos dies ducibus, corpus locis feruidis et aeſtuoſis ſine cura ſepoſitum, nullum ueneni ueſtigium prae ſe tulerit, uerum ſine liuore et tabe permanſerit recens; *οἱ δὲ πλεῖστοι*, ſcribit PLVTARCHVS, *Oper. edit. cit. Tom. I. de Alexandro, in fine, p.* 707. *τὸν λόγον ὅλως οἴονται πεπλάσθαι τὸν περὶ τῆς φαρμακείας· καὶ τεκμήριον αὐτοῖς οὐ μικρὸν, ὅτι τῶν ἡγεμόνων στασιασάντων ἐφ' ἡμέρας πολλὰς, ἀθεράπευτον τὸ σῶμα κείμενον, ἐν τόποις θερμοῖς καὶ πνιγώδεσιν, οὐδὲν ἔσχεν τοιαύτης φθορᾶς σημεῖον, ἀλλ' ἔμεινε καθαρὸν καὶ πρόσφατον.* Intemperantia igitur, et ebrietate potius, obiiſſe Alexandrum, praeter alios, perhibet SENECA, *Epiſt. 83. ed. cit. p. 548.* Alexandrum, inquiens, cuius modo feci mentionem, tot praelia, tot hiemes, per quas, uicta temporum locorum-

propria experientia comprobatam, tanto lubentius adgredior, quanto magis iam notum eſt, aquam omni uiuenti, ad motum ſui ſanguinis per anguſta facilitandum, ſitimque ſedandam, eſſe pernéceſſariam: praecipue uero ad experiundum, in magnorum caſtris exercituum ponendis, num fontes et riuuli iuxta praeterlabentes ſalubres ſint, uel noxii: quod tempeſtate noſtra eo magis obtinuit, cum uniuerſa fere Europa, non in communem omnium et coniuratum hoſtem, ſed contra propria ſui uiſcera, diuturna ſumſerit et induerit arma. Praeſertim, cum noſtris temporibus Scytharum moderatio, IVSTINO, *l. 2. Hiſt.* celebrata, atque alieni abſtinentia, terrae ualedixerit: quae, ſi remanſiſſet, *profecto non tantum bellorum, per omnia ſecula, terris omnibus, continuaretur, neque plus hominum ferrum et arma, quam naturalis fatorum conditio, raperet.* Et mirabile legentibus erit, illis naturam dediſſe, quod noſtri longa ſapientium doctrina, praeceptisque Philoſophorum ac Theologorum conſequi nequeunt, cultosque Chriſtiani orbis mores, incultae barbariei collatione, ſuperari. Sed exclamandum nunc eſt cum HORATIO, *Epiſt. 2. lib. 1.*

Quid-

que difficultate, tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt, intemperantia bibendi, et ille Herculanus ac fatalis ſcyphus condidit.

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Theſ. 36. Num uero iuri naturae et gentium conforme ſit, ueneno fontes inficere, uel animalibus mortuis, calce aut asbeſto peruertere a bibendi commoditate, uide diſputantem GROTIVM, *de Iur. Bell. et Pac. l. 3. c. 4. §. 16. et 17.* aliosue iuris naturalis Doctores; namque medici non eſt, hoc problema decidere, ſed Iurisconſulti. Illam quoque quaeſtionem, num, qui philtro aliquem occidit, plectendus ſit, Iuriſconſultis examinandam relinquo, quamuis ex Graeca notum ſit hiſtoria, Areopagitas, mulierem, quae amatorio poculo hominem occiderat, abſoluiſſe, quod amoris cauſa hoc fecerit. Certe SENECA, *l. 2. de Ira, c. 8.* inter atrocia ſcelera numerat, *uiolatos fontes uenenis, et peſtilentiam manu factam.* Et OLAVS MAGNVS, noſtras, *de Gent. Septent. l. 9. c. 18. omnium deteſtabiliſſimum eſſe*, ſuo iam tempore dixit, *ueneno hoſtem opprimere.* Atque, ſicut alios ueneno tollere, prohibitum eſt, ita ſe ipſum quoque. *Pari autem conſtantia mors, nec ueniens per naturam timenda eſt, nec contra ordinem cogenda naturae.* Verba ſunt MACROBII, *Somn. Scipion. l. 1. c. 13.*

Theſ. 37. In annalibus tamen plures referuntur, qui aquas ueneno infecerunt. Sic Nebrus, Medicus, ut in oratione ad Athenienſes tradit THESSALVS, Hippocratis filius, *p. m. 797.* aquam medicamentis infecit, unde uentres Criſaeo-

ſaeorum, qui in obſeſſa erant urbe, rupti ſunt. Et Cato, annotante PLINIO, *l. 29. c. 1.* filio ſuo inculcat, Graecos medicos, olim ueneno hoſtes ſuſtuliſſe. Sed, quod publico gentis conſilio, uenenis, et clandeſtino facinore, graſſari licitum Graecis fuerit, tacent hiſtoriae, niſi quod de Eumene referatur, et Rhegino, qui patriae ſuae proditorem, cantharidum adplicatione, oculis exuit. Apud Romanos quoque hoc aliquando factum legimus. FLORVS enim, *Rer. Rom. l. 2. c. 20.* ſic habet: *M Aquilius, Aſiatici belli reliquias confecit, mixtis, nefas, ueneno fontibus, ad deditionem quarundam urbium. Quae res, ut maturam, ita inſanam fecit uictoriam; quippe cum contra fas Deorum, moresque maiorum, medicaminibus impuris in id tempus ſacroſancta Romana arma uiolaſſet.* Magis tamen placent ea, quae Tiberius Caeſar, referente TACITO, *Annal. l. 2. c. 88.* Adgandeſtrio, Cattorum Principi, mortem Arminii ueneno promittenti, reſpondit,

non

g) Sic quoque Belliſarius, Caeſaris Iuſtiniani Dux, contra Gothos, Italiae imperantes, in obſidione Auximi, cum uideret, ſe fruſtra deditionem tentare, uenenato ex herbis ſucco, cadauerum putrilagine, et asbeſto lapide, aquas, in caſtellum influxuras, infecit, uti refert IOANNES MAGNVS, Archiepiſcopus Vpſalenſium, *Hiſtoria Sueo-Gothorum, lib. 12. cap. 16.*

non fraude, neque occultis, ſed palam, et armatum Populum Romanum, hoſtes ſuos ulciſci.

Theſ. 38. Parili modo Pyrrhi, Regis, amicus, ſiue is Timochares fuerit, ut uult GELLIVS, *Noct. Att. lib. 3. c. 8.* ſiue Nicias, ut alii uolunt, ſiue Cineas, medicus, ut AELIANVS uult, *Var. Hiſt. lib. 12. c. 33.* cum uictoriis Pyrrhi angerentur Romani, ad C. Fabritium, conſulem, furtim uenit, et petito proemio, Regem uenenis ſe necaturum promiſit. Re uero per Fabricium ad Senatum perſcripta, Senatus legatos ad Regem miſit, monituros, ut Rex ſibi caueret. *b*) Quod CLAVDIANVS ſic expreſſit:

Romani, ſcelerum ſemper ſpreuere miniſtros,
Noxia pollicitum Domino miſcere uenena;
Fabricius Regi nudata fraude remiſit,

Ttt 5 *In*

b) Paulo aliter haec de Fabricio, et Aemilio, conſulibus Romanis, refert PLVTARCHVS, *Oper. ed. cit. Vol. 1. de Pyrrho, p. 336.* illi enim, epiſtolam, a Pyrrhi medico miſſam, qua promittebat, ſe regem ueneno necaturum, hiſce ad regem perſcriptis, transmiſerunt: Neque amicorum uideris neque hoſtium eſſe felix iudex, lectis, quae ad nos miſſae ſunt, literis, cognoſces. Neque uero haec nos, quo gratiam tuam emereamur, indicamus, uerum, ne caſus tuus aſpergat maculam nobis, dolo ut uideamur, quaſi nequiuerimus uirtute bellum perpetraſſe.

In feſto, quem Marte petit, bellumque negauit
Per famuli patrare nefas. - -

Conf. CICERO, *de Offic. l.3.* et VALERIVS MAXIMVS, *l.6. c.5.* Et quid referam humanas epulas potionesque uenenatas aliquibus fuiſſe? cum ex ARNOLDA HVITFELD, Danici Regni Cancellario quondam magno, *Hiſt. part. 2. p. m.* 257. pateat, Chriſtophorum I. Regem, ab Arnfaſto, Arrhuſenſi Epiſcopo, Diuinis in epulis, et Sacra Domini coena, peremtum fuiſſe, horrendo ſcelere, et grauiſſimis poenis expiando. Et uel adhuc in recenti quorundam eſt memoria, Sperlingium, Aulicum Daniae medicum, Ao. 1652. conſilium iniiſſe cum Senatore Regni Vlefeldio, de tollendo per uenenum Rege: quam quoque ob cauſam, duodecim annis poſt, per artes quasdam, Hamburgo, quo abierat, educitur Hafniam, ibique perpetua captiuitate poenas, tanto facinore dignas, luit.

Theſ. 39. Communiter uero haec de aquis PLINII, *l. 31. c. 3.* pulchra tenenda ſunt: *Damnantur imprimis fontes, qui coenum faciunt, cutique malum colorem bibentibus. Refert et, ſi uaſa aere inficiunt; aut ſi legumina tarde percoquunt; ſi liquatae leniter terram relinquunt, decoctaeque craſſis obducunt uaſa cruſtis. Eſt etiamnum uitium non foetidae modo, uerum omnino quicquam reſipientis, iucundum ſit illud licet, gratumque, et ut ſaepe ad uiciniam lactis accedens.* Per ſingulas autem

tem medicatas eundo aquas, hac ratione pateſcunt: Si *Aqua Mercurialis* fuerit, ab alkali urinoſo praecipitatur, colore albo: ab alkali fixo, rubro; ſi mixta haec ſint, luteo colore. Solutio ſublimati mercurii, cuius grana duo, uel haeminas aliquot aquae, ueneno inficere poſſunt, papyro coeruleo adfuſa, rubro colore noſcitur. Solent etiam mercuriali aquae, uel potui, aut cibo, ob ſublimatum accuſatis mercurium, aurum imponere. Si adeſt mercurius, aurum albeſcit. Qualis uero fuerit illa Moyſis amara aqua, in ſacris memorata, non adeo liquet, fuiſſe tamen dulcem factam, iniecta Rhododaphnes uirga, uolunt, cuius ab eſu iumenta moriuntur. Vide HIERON. MONTVVM, *Tutel. Salubr. c. 3.* Fons forte ex acido metallico, per alkali acre oleandri hebetatus eſt. Sed erat Miraculum.

Theſ. 40. Et ſunt, qui putant, fontem illum, ex cuius potu, Germanici Caeſaris exercitus, corruptionibus dentium, et crurum reſolutione fuit uexatus, ut narrat PLINIVS, *l. 25. c. 3.* mercurium tuliſſe. Quidam ad ſaturnina haec referunt. Alii tamen hoc ex ſcorbuto, ſeu ſceletyrbe, deducunt, iſtas regiones iuxta Rhenum, ubi caſtra ponebantur, cruciante, quod et ego credo, cum Plinius, Rheni et Moſae accolis, ſcorbutum faciat endemium, Medicosque hunc morbum Stomacacen et Sceletyrben adpellaſſe, dicat, reperto auxilio in Britannica herba: de qua tot Botanicorum lites exſtant, ut apud MVNTINGIVM uidere eſt. *Theſ.*

Theſ. 41. Talem quoque ad Puteolos, Italiae locum, eſſe mercurialem, uel potius arſenicalem uaporem, quo animalia exanimantur, multi ſunt auctores; itemque ad Minium, Gallaeciae in Hiſpania fluuium, utut crediderim ego, non mercurium, ſed uapores acidos ſpirituoſos, ſulphuri, quod ad Puteolos effoditur, combinatos, in hoc negotio accuſandos eſſe. Noxia haec loca Italis *Mofete* dicuntur. Quales quoque uapores obſeruantur ad paludem Agnanam, in loco, Italis *Grotta del Cani* adpellato, inter Neapolin et Puteolos, de quo ſpecu VIRGILIVS, *l. 7. Aeneid.* ſic canit:

Hic ſpecus horrendum, et ſaeui ſpiracula Ditis,
Monſtrantur, ruptaque igens Acheronte uorago
Peſtiferas aperit fauces. - - -

Nec talia loca quamplurima tacet SENECA, *Nat. Quaeſt. l. 6. c. 28.* quorum et KIRCHERVS, aliique, meminerunt.

Theſ. 42. Si *Arſenicum*, uel *Auripigmentum*, aquae inhaeſerit, ſolutione ſaturni, itemque uitrioli Gedanenſis, uel Anglici, nigreſcit, ſale urinoſo albeſcit; papyro uero coeruleo infuſa aqua nigreſcit. Videſis *Examen aquar. mineral.* nobiliſſimi BOYLE, *Sect. 4. §. 13.* quem Tractatum D. NICOLAVS VALLERIVS, Oſtro-Gothia Suecus, poſtea Academiae Aboenſis Profeſſor,

feſſor, et Praeceptor quondam mihi dilectiſſimus, ex Anglico in Latinum tranſtulit. Sed maior huic experimento fides accedit, ſi aqua leniter euaporata, reſiduum in candentem tabulam ferream mittatur, tum enim lamellam dealbat, et tetro odore, inſtar allii, nares ferit. Vid. HENRICVS *ab* HEER, *Spada Cren. de Prob. Aqu. miner.* Et refert FORESTVS, *l. 18. obſ. 28.* familiam propemodum integram, uino per arſenicum intoxicato, ſucceſſiua morte periiſſe. Sic Hiſpanis in Ponto fluuius, referente VITRVVIO, a capite profluit, circiter millia quadraginta, ſapore dulciſſimo, ſed deinde permixtus riuulo, per Sandarachae mineram emananti, tota fluminis magnitudine rdditur amarus. Cuius certe naturae riuulis, quidam Ingriae eſt, *Swinkowa* dictus, qui tam corroſiuus, ut bruta, inde potantia, ſtatim enecet, ranamque, uiuaciſſimam licet beſtiolam, poſt paucas conuulſiones, feſtina morte condemnet. Et, ſi non arſenicali, ſaltem alio metallico uitriolo grauidus erat fons iſte, qui apud Parthos, Antonii milites, inde bibentes, torminibus ſtatim uentris et ſiti uexabat, ut memorat PLVTARCHVS, *in Vit. Anton.*

Theſ. 43. Sic refet BRVYERINVS, *de Re Cib. l. 16. c. 17.* quod, cum Franciſcus I. Rex Galliae, ad Monspeſſulum, Narbonenſis Prouinciae urbem, una cum Annibaldo, maris praefecto uenationem iuſtituiſſet, famulus Anni.

Annibaldi, ſitim ex itinere et curſu contractam, ſedaturus, fontem quendam hauſit, moxque exquiſitiſſimis doloribus correptus, eiulauit. Rex, cognito hoc, curioſioris Princeps ingenii, quosdam mittit, qui fontem conſiderarent, et probarent. Illi uero linteum duntaxat candidum aquae intinxerunt, quod exinde luteo colore adſperſum eſt. Princeps, uiſo linteamine, aquam per metalla tranſire, atque hinc colorem, ſaporem et uim exitialem referre, optime cenſuit. *i*) Noſtram quoque patriam exitialibus pariter ſcatere aquis, cum tota fere ſit metallifera, mihi dubium non eſt, licet non adeo adcurate ſint deſcriptae: ego tamen plurimas nominare poſſem.

Theſ.

i) Similia his ſunt, quae SENECA de aquis in Theſſalia, circa Tempe, aliisque, *Nat. quaeſt. lib. 3. cap. 25. ed. cit. p. 734.* refert, ſcribens: Eſt autem noxia aqua in Theſſalia circa Tempe, quam et ferae, et pecus omne deuitat: per ferrum et aes exit: tanta uis illi ineſt, etiam dura molliendi: nec arbuſta quidem ulla alit, et herbas necat. Quibusdam fluminibus uis ineſt mira; alia enim ſunt, quae pota inficiunt greges ouium, intraque breue tempus, quae fuere nigrae, albam ferunt lanam, quae albae uenerunt, nigrae abeunt. Hoc etiam in Boeotia amnes duo efficiunt, quorum alteri ab effectu Melas nomen eſt, uterque ex eodem lacu exeunt, diuerſa facturi.

Theſ. 44. Si aqua praeterfluens ex *Antimonii* minera aliquid ſibi adfricuit, ab alkali iniecto rubeſcit, floresque ſpargit rubentes et foetentes. Si ex *Argenti* metallo aliquas ſibi acredines aqua abraſit, ſale communi ſoluto, praecipitatur in albedinem. *Cuprea* uolatilibus et urinoſis in coeruleum uergente colore, tam certo experimento indicatur, ut unius grani uel pars aliqua libram unam eiusmodi cuprealis aquae non relinquat intactam, ſicut apud nob. BOYLE, *de Mira Subtil. Effluu. c. 3.* unum cupri granum tincturam dedit, pondus eius uicies octies millies quingenties tricies quater (28534) ſuperantem. *Ferrea* gallis nigreſcit, et omnibus adſtringentibus; ſulphure uero admixto, ut ſalutaris illa in quibusdam acidulis et thermis, ſubnigre purpuraſcit. Et uidetur ſane craſis optima plurium thermarum conſiſtere in ſulphure, per nitrum alkaleſcens ſoluto.

Theſ. 45. *Aquam Stanneam* ſolutio auri prodit, non ſecus ac *Aurea*, quae tempeſtate hac noſtra, ut IVVENALIS, *Sat. 6.* de foeminis pudicis exclamauit:

Rara auis in terris, nigroque ſimillima cycno.

Per ſtannum colore atro - purpureo cognoſcitur. Tum *Plumbei* canales in aqualiculis et puteis ſaepe dyſenteriae cauſa fuerunt, dum ſcilicet ceruſſam abradit, quae deinde latera inteſtinorum perfricat, quamuis hoc neget CAMERARIVS, *Memorab. Med. Cent. 9. partic.*

71. Ceruſſa uero talis albore aquae ſaepe proditur, ſaepe oleo tartari per deliquium ſoluti praecipitatur. Rurſus *Sulphuream*, ſaturni ſacharum detegit, et lunae ſolutio, quae nunc ſubnigreſcit, reliquis uero metallicis humoribus infuſa, prout ſaturni ſal, albeſcit. Odor ipſe foetidus ſulphureus multum quoque huc facit.

Theſ. 46. Liquor Aluminoſus, praeterquam quod guſtu adſtringente ſatis pateſcat, per ſalia alkalina fixa et uolatilia in magma uiſcidum mutatur. *Calcea* uero, multis in locis obuia et frequentiſſima, ab alkalibus, inſtar nebulae, tantum uariatur, ſed fortius paullo cum urinoſis: Mercurium uero praecipitatum colore albo repraeſentat. Acida porro calcem pronunciant: ſoluta namque in acido menſtruo luna, turbidam reddit aquam calceam et fuſcam; cum oleo autem uel ſpiritu uitrioli alte coeruleſcit. Reagentia uero dicta, ut ſyrupus uiolarum, ſicuti cum alkalibus, uirideſcunt: torna ſolis coeruleſcit, non tam praecipitatione aliqua, quam uariatione coloris. Nam ſyrupus uiolarum, praedominans alkali, torna autem ſolis, acidi ſuperpondium oſtendit.

Theſ. 47. Et forte ex his allatis, uariisque aliis, ob breuitatem praetereundis, colorum uariandorum artificiis, famoſi iſti praeſtigiatores, et ὑδροπόται ſua deſumſerunt, qui aqua fontana copioſe pota, fucum facere ſolent credulae plebi, euomendo in uitra hinc inde diſpoſita uariorum

riorum colorum liquores; uitris ſcilicet, in quae pura proiicitur ex uentriculo aqua, uel leuiſſime aliqua ex praedictis, aliisue, tinctura, medicatis et delibutis.

Theſ. 48. Interdum tamen acidum quoddam occultum, aquis inexiſtens, hiſce ſupra allegatis experimentis non cedit, ſed alia ratione detegi oportet, ſi uel in minima copia adſit. Manifeſtatur itaque per ſolutionem colophonii, picis reſinaeue, cum ſale tartari, uel nitro fixo rite iuſtitutam. Fit autem iſta ſolutio, ſi colophonio puluerem ſalis tartari uel cinerum clauellatorum admiſces, in aqua diu coquis, et deinde per emporeticam chartam calens adhuc liquidum filtras. Alias per ſolutum ſulphur, idem obtinebis, ſi uni huius parti pulueriſatae et liquefactae, duas calcis uiuae portiones admiſcere uolueris, atque exinde per aquam puram coquendo, et filtrando, lixiuium impetrare atque elicere. Mira hinc exſurgunt phaenomena; nam, cuicunque liquori infuſa fuerit haec ſolutio, uariatur, praeter illos, qui calcem ferunt, ipſique calci homogeneum limum, ut teſtacei et lapideſcentes facile quidam liquores: acidum autem foetido odore proditur; alkali uariatione coloris. Prout haec omnia, poſt multos alios, nuperius demonſtrauit in paraſceue actorum laboratorii chymici Regii Stockholmenſis, Chymicus celebris, nobiliſſimus DD. VRBANVS HIERNE, magni Regis et Reginae quondam auiae archiater meritiſſimus.

Sed poſſunt in aquis uariis uaria et pene infinita adhuc eſſe particularum noxiarum genera, quas nullo adhuc cognito artificio detegere ualemus.

Theſ. 49. Memorantur quoque *aquae inebriantes*, forte a ſulphure quodam ſoluto, quod narcoſin iuducit. Talem ferebat aquam Lynceſtis, amnis, de quo ſic OVIDIVS, *l. 15. Metamorph.*

Hinc fluit effectu diſpar Lynceſtius amnis,
Quem quicunque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam ſi mera uina bibiſſet.

Fieri hoc interdum ex locis, myrto paluſtri narcotico obſitis, per quae decurrit aqua, nullus dubito, cum ipſe hoc expertus ſum, non ſolum odorem myrti, ſed aquam ipſam, dulce quid ſapientem, ebrietatem iuduxiſſe. Et, ſicut inebrieantes aquae perhibentur, ita quoque, qui furorem inducant, potae. Sic NASO, *lib. 4. Faſtor.* inter Cybelen et Celaenas, amnem fuiſſe, refert, Gallum nomine, huius naturae. Ita autem canit:

Inter — uiridem Cybelen, altasque Celaenas,
Amnis it, inſana, nomine Gallus, aqua:
Qui bibit inde, furit, procul hinc diſcedite, quîs eſt
Cura bonae mentis. Qui bibit inde, furit.

Parili

Parili modo *ſoporiferae lymphae* Poetis canuntur, quas inter maxime memorabilis fuit illa fluminis Lethaei: quamquam, qui adhuc iſto nomine ſolus remanſit, memorabilis in Wermelandia fluuius, ingens et profundus, *Leethſtroemen* dictus uulgo, iſtam uirtutem non habeat, oſtendente RVDBECKIO, eundem eſſe hunc, quem ueteres ſub Lethaei fluminis nomine comprehenderunt.

Theſ. 50. Addam de puteis illud PLINII, *l. 31. c. 3. Depreſſis puteis ſulphurata, uel aluminoſa occurrentia, putearios necant. Experimentum huius periculi eſt, demiſſa ardens lucerna, ſi extinguatur.* Sed interdum foetida, interdum aer nimium grauis, uitam eripit, ac ſuffocat. Sic contigit Stockholmiae, Ao. 1707. d. 14. Iunii, ut quidam famulus, delapſam ſitulam, ex puteo quodam, in balneorum platea, ſuburbii Borealis, noſtris *Badſtugugatan*, auferret, ſed in medium puteum proueniens, decidit exanimis. Alter proſilit famulus, alterum ſubleuaturus, ſed pariter mortuus in priorem prolabitur. Superuenit et tertius, ciuis ueredarius, qui parili modo occidit. Huius famulus, herum ſubleuaturus, ſuperuenit, ſed in ſcalis conſtitutus, niſi aſcendiſſet ex momento, mortuus quoque et ille fuiſſet. Tam pernicioſus ſentiebatur halitus. Puteus decem ulnas Suecicas in profunditate habebat, aqua uero contenta uix unam cum dimidia ulnam ſuperabat. Per-

foſſus erat ſuperiori anno, et lapide ſtratus, anguſtus, aſſeribus in ſuperficie contectus, dulcem ferens et rubidulam aquam. Soli natura paludoſa, ſed ab annis tribus uario quisquiliarum genere refertum, et aequatum.

Theſ. 51. Ego uero huius repentinae cauſam mortis, non adeo quidem uenenatum, et ex putrefactione quisquiliarum ortum halitum, exiſtimauerim, ſed aerem ipſum, terra contentum, atque hiemali tempore una concretum, iam uero ex ſolis ardore, menſe demum Iunio, in noſtro Septentrione liquefactis omnibus, ſolutum, et libertati redditum, grauem ualde, pulmones conſtrixiſſe, ut ſpiritus ſit praecluſus, et ſanguis ſic in momento ſtiterit. Quod ad credendum non ſolum exinde ducor, quod putei dominus, tribus ante ſeptimanis, ex ſcala reſtiaria, non ſolum impune, et ſine ullo halitus ſenſu, deſcenderit ad excipiendam aliam ſitulam, ſed et quod puteorum foſſores non audeant nouos intrare puteos, tempore aeſtiuo, priusquam ollam carbonibus uiuis repletam immiſerint, ut ſic halitus, et aer grauis, liberentur, et exeant. Putei ergo arcte claudi non debent. Sed forſan in hoc argumento fallor: *neque enim omnium rerum adferre poſſe cauſas, minus mirum eſt, quam conſtare in aliquibus,* iuxta PLINIVM, *l. 1. c. 12.* Et HIPPOCRATES, iam ultimo ſenio confectus, *in Epiſt. ad Democritum,* ſic queritur: *Ego ad finem medicinae*

non

non perueni, etiam ſi iam ſenex ſim. Atque eſt exiguum ualde, quod in morborum initiis intelligimus. Ideoque bene GALENVS, *l. 2. de Criſib.* morborum incipientium naturam, herbis nuper pullulantibus adſimilauit, quas nonniſi plurimum expertus et peritiſſimus Botanicus cognouerit.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

Monita quaedam rationalem Theoriam et Praxin Medicam reſpicientia continet, eoque ſimul auctor ſe excuſat, et commendat.

Theſ. 1. Antequam ad finem tendam, hoc moneo cum HIPPOCRATE, *Epidemiorum lib. 6. Sect. 2.* quod nihil temere affirmandum, nihil contemnendum ſit. Magna enim artis pars eſt, pronunciante eodem, *de diebus iudicatoriis, n. 1.* de his, quae recte ſcripta ſunt, conſiderare, ac iudicare poſſe. Atque HIPPOCRATES olim, *lib. de arte, n. 1.* ſibi optat, inuenire poſſe aliquid, quod ante cognitum non eſſet, ſemiperfectaque poſſe perficere. Quod mihi magis optandum eſſet, medico iuueni, et in una ſolummodo artis uniuerſae particula ſcribere uolenti. Praeclare autem idem, *lib. 1. de Diaeta*, aſſerit, nullum reprehendendum eſſe, quod inuenire non potuerit, ſed omnes

laudem mereri, qui inueſtigare aliquid conati ſint,

Theſ. 2. Tantum tamen abeſt, ut ea, quae ſuperius a me de uenenorum in corpus agendi ratione ſupponuntur, cuiquam pro apodictice ueris obtrudere in animum induxerim unquam; ſed tantum uolui communicata, ac talia, quae appareant non coactam habere uerisſimilitudinem, nec mechanicis legibus, experimentis et obſeruationibus prorſus incongrua. Adeo enim, ut pulchre PHAEDRVS ait, *Praefat. lib. 4. Fabul.*

Non ſemper ea ſunt, quae uidentur, decipit
Frons prima multos, rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.

Theſ. 3. Quando uero per continuatam aliorum experientiam, et meam qualemcunque, certiora fui edoctus, meos hoſce ingenii luſus, et Leydenſia praeſertim, ac naualia tandem otia, paratus ſum uel omnino immutare, uel aliorum maturatioribus collatos combinatosque lucubrationibus, ſeueriore adhuc quondam adhibenda nouacula, pleniores reddere, ac magis politos, poſtquam iam mihi poſt tot pauperioris fortunae toleratas moleſtias atque aerumnas, quibus, tanquam alter apud ALCIATVM, *Embl. 15. l. 1.* iuuenis, ſiniſtram licet alis idoneis inſtructus, plus quam ſaxo ponderoſo dextram ſemper deprimebar, optatus aliquando per Diuinam Gratiam

cla-

- - *clareſcit dies,*

Ortuque Titan lucidus croceo ſubit.

ut SENECAE ſunt uerba, *in Herc. Fur. Act. 1.* Sed idem mihi forte dicendum, ac Neſtori Homerico, *in Iliadis,* quam nunc incluſam fuisſe ferunt, *l. 4.* qui conſilio animoque pollebat, in ordinandis copiis, uiribus tamen et corpore deficiens, inquit:

ἀλλ' ὅπως ἅμα πάντα Θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν·

Dedit enim Creator quaſi *documentum, nimio robore membrorum, uigorem mentis hebeſcere, quaſi abnuente natura utriusque boni largitionem, ne ſupra mortalem ſit felicitatem, eundem, et ualentiſſimum eſſe, et ſapientiſſimum,* uerba ſunt VALERII MAXIMI, *l. 9. c. 12.*

Theſ. 4. Et, licet phaenomena praecipitationum certo naturae ingenio ac perpetua et interrupta ſerie celebrentur, modos tamen, et fiendi rationem, per me non ſuſtineam explicare; cum potius fatear, me non adhuc inueniſſe, in quo tuto acquieſcam. Quidquid enim hic uel particularum uariis formis, figuris, aut molibus, tribuitur, illud certe, quamuis ingenioſe quidem diſputari poſſit, dubio tamen non caret; et in minimis naturalibus perſcrutandis, neceſſe etiam eſt, imbecillitatem humanam errare, ac coecutire. Namque, ut Cl. PITCARNIVS, *Diſſ. 3. §. 25. p. m. 60.* ueriſſime diſſerit, *Medici non ſemper exiſtiment, ſe rite defunctos problema-*

te, poſtquam, ad eius ſolutionem, inuocauerint omnifarias figuras, aetheremque ſubtiliſſimum, ſalium hoſtile genus, et corpora, nequidem nomine tenus nota, motusque inteſtinos, et cetera glorioſae ignorantiae nomina.

Theſ. 5. Equidem ualet adhuc, et ualebit etiam per continua futurorum annorum ſecula, quod olim apud Comicum, Demea dixit, *in Adelphis, Act.5. Sc. 4.*

Nunquam ita quisquam bene ſubducta ratione ad uitam fuit,
Quin res, aetas, uſus, ſemper aliquid adportet noui,
Aliquid moneat, ut illa, quae teſcire, credas, neſcias,
Et, quae tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Quod et in pluribus locis huius mei tractatuli uidere eſt, ſi meliora uero peioribus, uel peiora melioribus ſucceſſerint, iudicent Lectores aequi bonique. Ego namque bona quidem fide illud FLACCI, *ſermon. l. 1. Sat.10.* mecum cogitaui:

Saepe ſtylum uertas, iterum, quae digna legi ſint,
Scripturus. - -

Namque, ſecundum TACITVM, *Annal. l. 3. c. 55. Forte* rebus cunctis ineſt quidam uelut orbis,

orbis, ut, quemadmodum temporum uices, ita morum uertantur, nec omnia apud priores meliora, ſed noſtra quoque aetas multa laudis et artium imitanda poſteris tulit. Et in omnibus erratis meis, a doctioribus cupio doceri, opinionumque commenta ſemper, quoad uiuam, ſuſpecta tenebo, niſi quae ſana ratione et mathematicis ſuffulta fulcris fuerint. Adeoque ut olim Pallas, in anum transformata, Arachne apud NASONEM, *l. 6. Metamorph.* dixit:

- - Non omnia grandior aetas,
Quae fugiamus habet; ſeris uenit uſus ab annis.

Theſ. 6. Hac denique ſpe mentem noſtram ſolamur, plurimis ſuperiori atque hoc etiam ſeculo naturae operibus enodatis, multa alia per diuinam gratiam, uirorumque celebrium aſſiduam experimentis nauandam operam, naturalium rerum arcana, atque ipſa forſitan illa, ad quae nunc hallucinamur, et ſtupemus, detectum iri myſteria. Quos inter, cui multum certe in hoc negotio debere me, ingenue fateor, ſumma cum animi ueneratione nominatum uolo, celeberrimum D. D. Hermannum Boerhaue, Profeſſorem Leydenſem, alterum Hippocratem, Medicum Geometram, et Mechanicum noſtri temporis longe ſollertiſſimum. *Eſt enim*, PLINIO dicente, in *Praef. ad Veſpaſ. benignum, ut arbitror, et plenum igenui pudoris, fateri,*

per quos profeceris. Et certe, idem hic exclamo, quod Didoni Aeneas, *lib. 1. Aeneid.*

In freta dum fluuii current, dum montibus umbrae
Luſtrabunt, conuexa polus dum ſidera poſcet,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Cuius uiri ſcripta, ad rigores expenſa mathematicos, nunquam ſatis demirari et celebrare posſum, exſpectans uehementer de uiribus medicamentorum tractatum. Sed, ſi fatorum iniuria hunc nobis eriperet, ut aliquo modo deſiderantibus adſim, in publicum dare conſtitui illa, quae ſub praelectionibus publicis calamo comprehendere ualebam, quamuis fatear, ad hanc Medicinae partem, ſicut ad abſoluendam Coam Venerem, ab Apelle inchoatam, ſolum Apellem, ita ſolum huic negotio HERMANNVM ſufficere BOERHAVE.

Theſ. 7. Nam, qui ſuas particulas, nunc has, nunc alias, crepant, atque ſua inuenta, ſua machinamenta uenditant ignaris, nae illi mihi magis ſcurrae Plautinae dicendi ſunt, quam Medici graues, et rationales. Quia hi ſunt, ut PLAVTVS, *Trinum. Act. 1. Sc. 2.* inquit:

Quia omnia ſe ſimulant ſcire, nec quicquam ſciunt.
Quod quisque in animo habet, aut habiturus eſt,

eſt, ſciunt.
Quod in aurem Rex Reginae dixit, id ſciunt.
Falſo n' an uero laudent, culpent, quem uelint,
Non flocci faciunt, dum illud, quod lubent,
ſciant.

Et clariſſimus GVALTERVS HARRIS, *de Morb. Infant. p. m. 12.* in theoriam hodiernam ſic declamat: *Etenim omnes iſtae perbellae ſpeculationes, et iuniorum animis laſciuientibus, perinde ac Poetici uolatus, ſemper admirabiles, ſaepiſſime nuſpiam exiſtunt, niſi in ipſa inuentoris phantaſia, atque etiam ab iis, qui Praxi Medica minus omnium feliciter ualent, haud raro ſolent excogitari.* Atque hic diuerſe ſentientium impetus partim ab inuidia prouenit, ut ſua ſic Praxis felicius eat, iuxta HESIODVM, *lib. 1. Op. et Dier.*

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κτοέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Theſ. 8. Et, ſi quid tentamine hoc in publicum contuli boni, pergratum erit. Apes tamen quodammodo imitatus ſum, quae uagantur per diuerſa pratorum ſpatia, et flores carpunt, deinde, quidquid attulere, diſponunt, ac per fauos diuidunt, et ſuccum uarium in unum ſaporem miſtura quadam et proprietate ſpiritus ſui mutant. Id quoque ingenue fateor, quod candide omnia dicantur; *ratus quantulam*

lamcunque in hoc ſcientiae genere acceſſionem, etſi nihil magnificentius, quam odontalgiae et clauorum, pedibus innaſcentium, curationem edoceat, longe maximi faciendum eſſe, prae inani ſubtilium ſpeculationum pompa, ac leuicularum rerum notitia, quae fortaſſe Medico, ad abigendos morbos, non magis ex uſu futura eſt, quam Architecto, ad conſtituendas aedes, Muſicae artis peritia, uerba ſunt SYDENHAMI, antiquae uirtutis et fidei uiri, *Obſ. Med. circ. Acut. Sect. 2. cap. 2.* Quamuis in hoc tam delicato, et Ariſtarchis pleno ſeculo, nihil placere poteſt, iuxta FLACCVM, *de Art. Poet.*

- - - - Quod non
Multa dies, et multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non caſtigauit ad unguem.

Theſ. 9. Ideoque, ut dicam, poſteriores hae curae diu latuerunt, ut retractarentur, et lamberentur in foetum pulchriorem. Si enim ita fiant, iuxta eundem ibidem.

- - Nonumque prematur in annum
Membranis intus poſitis, delere licebit,
Quod non edideris. Neſcit uox miſſa reuerti.

Ego namque ingenio illo non ſum, quo Q Haterius, ſenatoria familia, eloquentiae, quoad uixit, celebratae, qui, dicente TACITO, *l. 4. c. 61. impetu magis, quam cura, uigebat; utque aliorum meditatio et labor in poſterum ualeſcit,*

ſic

ſic Haterii canorum illud et prófluens cum ipſo ſimul extinctum eſt. Multa tamen hic dari impolita et ſqualida, non diffiteor; iuxta enim querelam Silenii Plautinae, *Ciſtell. Act. 1. Sc.*

Immundas fortunas aequum eſt ſqualorem ſequi.

Theſ. 10. Verum enim uero, quid eſt, quod aeternitati exilem laborem, et tenui fortuna enatum, conſecret? cum ſecundum Vatem Venuſinum, *Epiſt. 19. l. 1.*

Nulla placere diu, nec uinere carmina poſſunt,
Quae ſcribuntur aquae potoribus.

Sed fortaſſis erunt aliqua, quae ſuos habebunt amatores. Et fateor, multa mihi haec conſtitiſſe cura, et ſedula obſeruatione naturae geometrizantis, praeſertim in inſula Birkenſis noſocomio militum naualium Sarinpeenſi, Ao.1709. et 1710. ubi uarios morbos, acutos, et chronicos, curabiles, et non curabiles, uidere, iisque manu et uoce Medicinam facere pro re nata, et quod Diuinae Bonitati unice adſcribendum eſt, plurimos ſanitati reſtituere contigit. Vbi et illud datum eſt obſeruare, quod morbi epidemici unius anni, non fuerint ſimiles morbis alterius anni epidemicis, curandi praeſertim ratione. Non tamen deerunt, qui hoſce culpabunt bonae mentis conatus: namque bene PLAVTVS, *Poenul. Act. 3. Sc. 3.*

Eſt

Eſt theſaurus ſtultis in lingua ſitus,
Vt quaeſtui habeant male loqui melioribus.

Theſ. 11. Equidem opinionum commenta, et chimaeras, quae nullo infixa fundamento ſaepe pro ueris uenditantur, adſcitis in probationem undecunque rationibus, quantum potui, euitare conatus ſum; illa uero, quae lucem hiſce foenerari uidebantur, attuli. Et, ſi quid ueri hiſce inerit pagellis, gloria ad illas redundabit, ex quibus mutuatus ſum: etiam ad me forſan leuis gloriola, quidquid iaculetur unquam liuoris morſus. Dixit enim bene PLINIVS Iunior, *Epiſt. 5. l. 3. nullum eſſe librum tam malum, ut non aliqua parte prodeſſet.* Perinde autem eſt cum theoriis, modo in morborum praxi conueniamus. Namque cum Cl. SYDENHAMO, *Epiſt. 1. ad D. Brady, non uerebor dicere, quod Medici cura omnis atque induſtria, in expiſcanda morborum hiſtoria, iisque remediis adhibendis, quae experientia indice, ac magiſtra, eosdem ualent depellere, debent collocari, obſeruata tamen iſta medendi methodo, quam recta ratio, non ſpeculationum commentis, ſed trito et naturali cogitandi modo innixa, ei dictauerit.* Quare, ut poſtea loquitur: *ad Experientiae leges et normam niſi exerceatur medicina, eam prorſus exulare, ſatius eſſet; luditur enim, quod aiunt, de corio humano plus ſatis, cum hinc empyrici, neque morborum hiſtoriam,*

nec

nec methodum medendi, callentes, et receptis tantum freti, iſthinc Sciolorum uaniſſimi, ſpem omnem in affectato artis ambitu, et ſpeculationibus utrinque pari fere momento diſceptatis ponentes, quaſi iunctis uiribus, maiorem edunt ſtragem, quam ederent morbi, eorum deſtituti auxilio.

Theſ. 12. Veritas, Mathematico ſuffulta fundamento, aeterna eſt, et permanens. Sed multa alia opinionum fuere commenta, quae ſuis celebritatem inibant ſeculis, nunc uero obſoleta iacent et uilia. Et

Vt ſunt humana, nihil eſt perpetuum datum,

Quemadmodum PLAVTVS, *Ciſtell. Act. 1. Sc. 3.* loquitur. Neque ullus unquam calumniandus eſt, ex ueteribus Medicis, nec ullus praeter decorum ex recentioribus laudandus. Nec Paracelſus ideo, quod quaedam igne confecerit medicamenta, Medicorum Monarcha dicendus eſt, ut fecere quidam, nec ideo, quod aurum conficere potuerit, ut quidam ipſi imputant, niſi forte fuit aurum comicum PLAVTI, *Poenul. Act. 3. Sc. 2.*

Macerato quo *pingues fiunt auro in Barbaria boues.*

Theſ. 13. Sed dicet forte aliquis, ſe depictum in hac tabella, et ſicut olim Pacuuius, ACCIO PLAVTO, Tragoediam ſuam, *Atreum*, legenti, dixit, ſonora quidem et grandia eſſe, quae

ſcripſi,

ſcripſi, ſed uideri tamen ea duriora paulo et acerbiora. At tum reſpondeo cum Accio, ita eſſe, ſed meliora fieri, quae deinceps ſcribam. Quod enim in pomis eſt, idem eſſe aiunt in ingeniis. Quae dura atque acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia et iucunda. Sed, quae gignuntur ſtatim uieta et mollia, atque in principio ſunt uuida, non matura mox fiunt, ſed putrida. Ergo dies atque aetas omne ingenium mitificat. Et uideri poteſt hanc in rem GELLIVS, *Noct. Attic. l. 13. cap. 2.*

Theſ. 14. Et, ſi quis contendat, me fruſtra alicubi aliorum oppugnaſſe ſententias, nigraeque ſucco loliginis, aut aerugine mera adſperſiſſe, id quidem libenter fateor, et ingenue dico, me ipſorum mentem non aliter percepiſſe. Hinc a me forte reſponderi poteſt, quod SOCRATES olim, cum obſcurum Heracleti librum legiſſet: *ἃ μὲν συνῆκα, γενναῖα· οἶμαι δὲ καὶ, ἃ μὴ συνῆκα.* Id tamen omnibus conatus ſum uiribus, ut ab illorum ſtarem parte, qui ueritates, mechanicis, geometricisque legibus inixas, inculcant; non aliter, ac qui odora pigmenta conficiunt, ante omnia curant, ut nullius odoris ſint propria, quae condiuntur, confuſis uidelicet et bene mixtis omnium ſuccis odoraminum in ſpiramentum unum. Meliora uero faciet, qui, iuxta IVVENALEM, *Sat. 13.*

- - - Gallinae filius albae,
Nos uiles pulli, nati infelicibus ouis.

Theſ.

Theſ. 15. Equidem multi dantur Medici, qui forte fortuna acceſſerunt ad naturae ſcrinia, per ignem detegenda, fauenti quorundam gratia, rerum gerendarum neruos abunde ſuppeditantium. Sed illi ipſi putent, ſe non ſolos naturam poſſidere in manu, quin quoque a minorum gentium diis arcana eius contrectentur, nec omnia illa uera eſſe, quae pro auctoritate, tanquam pro aris et focis pugnantes, uenditant, cum in ueri inueſtigatione nullius uiri auctoritas ualeat, ſed pertinax labor, et ſolertia emaculata uerae Philoſophiae fundamentis ſuperſtructa. Sed, ut loquitur Plautinus Tyndarus, *Capteiu. Act. 2. Sc. 2.*

Eſt profecto Deus, qui, quae nos gerimus, auditque et uidet.

Theſ. 16. Sunt profecto praeterea Medici, qui externo habitu nihil niſi Cinnama redolent, fimbriatisque ſuperbiunt ueſtimentis. De quibus uere cum IVVENALI dicere poſſum, ex *Sat. 6.* quod

Purpure uendit Cauſidicum.

Neſcio tamen quo fato tales plus ab aegris aeſtimentur, ac illi, qui maiorem et doctrinam et experientiam ſub uili palla recondunt, aegris prorſus quibusdam, ſicut cauſſidicos olim Romanis, Medicum ex corporis ornatu aeſtimantibus. De quo ſic paulo infra pene luſit idem Satyricus:

Reſpicit hoc primum, qui litigat, an tibi ſerui
Octo, decem comites, an poſt te ſella, togati
Ante pedes. Ideo conducta Paullus agebat
Sardoniche, atque ideo pluris, quam Gallus agebat,
Quam Baſilus. Rara in tenui facundia panno.

Theſ. 17. Et, ſi permiſſum fuerit, quod tamen praecauerunt, tales, per aliquos Medicinae campos, deducere, examinando, nuſquam ſe inuenient, nec aliud, quam uerboſam ſtoliditatem, prae ſe ferent, non abſimiles Alcibiadi, ob agros ſuperbienti, ſed cum SOCRATES mappam Geographicam protuliſſet, et Atticam quaerere regionem iuſſiſſet, ſuosque ibidem fundos, tantam ſuperbiam creantes, Atticam quidem inueniri, reſpondenti, ſed ſuos nuſpiam agros. Ad quae SOCRATES, ἐπὶ τούτοις μέγα φρονεῖς, ὅιπερ οὐδὲν μέρος τῆς γῆς εἰσὶ, ut AELIANVS habet, *Var. Hiſt. l.* 3. *c.* 23. Sic Menecrates, Medicus, Philippo, Macedonum Regi, ſcribens, ex ſuperbia ſic orſus eſt: Philippo, Menecrates, Iupiter, ſalutem. Ad quae reſcripſit Philippus: Menecrati ſanitatem! conſulo, ut ad Anticyram te conferas, prout idem memorat, *lib.* 12. *c.* 51.

Theſ. 18. Nec ignarus ſum deſpectui uulgo haberi Medicum, cui non auctoritatem canities et longior aetas conciliauit. Ob quam uenerandam canitiem quidam Medici putant omnia ſe ſcire; hinc tam arrogantes euadunt, inuidique,

que, ut nullum alium, praeſertim ex iunioribus, in conſiliorum ſocietatem admittant, cum quadam naſi criſpatura reſpuentes, nunquam animo meditati, hoc ueriſſimum eſſe MENANDRI, Comoedi:

Ουχ ἁι τρίχες ποιοῦσιν ἁι λευκαὶ φρονεῖν.

Solo enim ſenio ſuperbiunt, re quidem maxime optabili, ac ueneranda, ſed ueterum opinionum maxime tenaces, et noua inuenta tumide faſtidientes. Nullus tamen in me reperiet, aut ad fingendas nouitates, procliuitatem, aut in anticipatis opinionibus, obnixe retinendis, pertinaciam. Et forte de quibusdam illorum bene dixeris, paucam cerebro ſapientiam, capillis nullam ineſſe, iuxta illud ANACREONTIS, Poetae Graeci, et, ut uolunt, antiquiſſimi, *Carmin.* 47.

Τρίχας γέρων μὲν ἐστι
Τὰς δὲ φρένας νεάζει.

Theſ. 19. Et adhuc memini, me nonnullorum non effugiſſe inuidiam, licet non celeri, ſero tamen pede, eorum Nemeſi, quam claudam fecerunt Poetae, ſecuta, propter nonnulla contra eorum mentem de efferueſcentiis et praecipitationibus ſcripta. Erant enim illi taciti ſermones uenturarum fortunarum,

ceu flamina prima,
Cum deprenſa fremunt ſiluis, et coeca uolutant
Murmura, nautis uenturos prodentia uentos.

 ut

ut cum VIRGILIO loquar, *lib. 10. Aeneid.* Sed bruta, et e pelui uenientia nihili ſunt aeſtimanda fulgura. Namque, ut FLACCVS olim, *Carm. l. 2. Od. 10.*

Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene praeparatum
Pectus. Et ut alibi, *Lib. 1. Epiſt. 1.*
Hic murus aheneus eſto:
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Adeone uerum eſt illud CALCHANTIS, Graecorum uatis, qui, ut eſt apud HOMERVM, *Iliad. l. 1.* Achilli, conſilium ab eo petenti, reſpondit, iram extimeſcens Agamemnonis

Κρείσσων γὰρ βασιλεῦς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρυι,
Ειπερ γάρ τε χόλουγε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψη
Αλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότου ὄφρα τελέσση
Εν στήθεσσιν ἑοῖσι.

Huc quoque quadrat, ut totus appareat locus uermiculatus, illud Plautinum, *Poenul. Act. 3. Sc. 6.*

ita ſunt iſti noſtri diuites:
Si quid bene facias, leuior pluma eſt gratia;
Si quid peccatum 'ſt, plumbeas iras gerunt.

Theſ. 20. Verum enim uero, contra omnes maleuolos et obtrectatores maſcule me per Diuinam Gratiam tuebor, quemadmodum canit Poeta, Latinorum uenuſtiſſimus, *lib. 7. Aeneid.*

Vt

Vt pelagi rupes, magno ueniente fragore,
Quae ſe ſe, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet; ſcopuli ne quidquam et ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.

Et licet, Deo ſic uolente, magnisque Patronis, ad Medicinam Heraldicam non admittar, ſorte tamen mea contentus uiuam, exclamans cum SENECA, *Thyeſt. Act.* 2.

Stet, quicunque uolet, potens,
Aulae culmine lubrico,
Me dulcis ſaturet quies;
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Aetas, per Tacitum fluat.
Sic, cum tranſierint mei,
Nullo cum ſtrepitu, dies,
Plebeius moriar ſenex,
Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

Theſ. 21. Sed longius me impetus trahit, prouocante materia. *Feliciſſimis itaque opulentiſſimisque plurimum aeſtus ſubeſt, minus-*

que ſe inueniunt, quo in maiorem materiam inciderunt, qua fluctuarentur, uerba ſunt SENECAE, *de Benef. l. 5. cap. 12.* Haec autem ſunt, quae hac uice in nobile de Venenis Argumentum commentari uolui, ſi Deus uitam uiresque conceſſerit, plura forſitan ſequentur, poſtquam intellexero, haec ipſa lucem ſuam meruiſſe. Concludam itaque cum FLACCO, *Epiſt. 6. lib. 1.*

Viue, uale. Si quid nouiſti rectius iſtis,
Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.

TANTVM.

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

A.

Abrazador, quid? pag. 421
Abſinthium. 547
- - eius principia. 548. not. h.
Abſinthium non habet uirtutem ſpecificam ſtomachalem, hepaticam, febrifugam, &c. 548. n. h.
Abſinthium, eſt remedium, quod in morbis ſaltem, a ſeroſa colluuie dependentibus, conducit. 548. et ſequ. n. h.
Abſorbentia, ſaepe ſunt hypnotica. 604
Abſtinentia in febribus ſtomachalibus proficua. 865
Abutillon, quid? 551. et ſequ.
Aceti potione, obeſi et pingues gracileſcunt. 845
Acetum uini in uariolis commendatur. 863
- - in eroſione dentium proficuum. 935
Acetum grumos ſanguinis reſoluit. 360
Acetum, remedium ſingulare contra ictus ſerpentum. 888
Acetum, antidotus opiatorum. 912
Acida putredinem arcent. 860
Acida uim ſoluentem atque attenuantem poſſident. 360. n. h.
Acida, fermentatione producta, coagulatum ab alkali aut ſpiritu oleoſo, diſſoluunt. 1018
Acida omnia non cogunt. 1018
Acida, in morbis acutis, et calidis, ſunt uera alexipharmaca. 841
Acida, in febribus putridis, a ſale alcalino dependentibus, optima ſunt ſubſidia. 842. n. q. et 897

Acida, in leprae et elephantiaſis medela, proficua 979. et ſequ.
Acidularum abuſus hydropem accelerat. III. n. p. 952. n. k.
Acidularum uſus in obſtructione uiſcerum proficuus. III. n. p.
Acidum acre in primis uiis ſaepe hoſpitatur. 345
Acidum occultum aquis inhaerens ſolutione cocolophonii, etc. manifeſtatur. 1041
Acinax, uenenum cardiacum. 639
Aconiti uncia dimidia ſphacelum ipſamque mortem inducit. 391
Acria medicamenta reddunt corpus pallidum, exſuccum, et aridum. 516
Acria effectus ſuos in corporibus partim ui propriae ſubſtantiae et figurae, partim ui motus fluidorum arietantium, producunt. 35. n. e.
Adamas, uenenum temporaneum. 113. et ſequ.
Adamantis impoliti deglutitioni, cruenta deiectio, tabes, et mors ſucceſſit. 113. et ſequ.
Adoleſcentes inficiuntur peſte, ex oſſium peſte mortuorum commotione. 289
Aelma 143
Aeris rubigo, uenenum. 106
Aeris externi reſiſtentia aequalis debet eſſe cum elaſticitate pulmonis. 233
Aeris mutatio in affectibus chronicis affert utilitatem. 955. n. m.
Aer nimium tenuis, peſtis cauſa 231. et 242. et ſequ.
Aer humidus, peſtis cauſa. 801
- - correctio. ibid.

Affectus

Affectus uehementiores, uenena cardiaca. 639
Affion, quid? 588
Agaricus et eius elementa. 411. et ſequ.
Ageſilaus cera circumfuſ9 a putredine defenditur. 857
Agrippina Claudium Caeſarem boletis necauit. 1007 et 1008. n. c.
Alcali haud raro in lue ♀ea accuſandum eſt. 14. n. p.
Alcalina, quomodo operentur? 273. n. 4.
Alcohol uini, eiusque effectus. 573. et ſequ.
Alimenta uiſcida poſſunt dici noxia et uenenoſa. 462
Alimenta ſimplicia, optima. 864
Alimenta oleoſa optimum praebent nutrimentum. 681
Alimentorum uberior uſus, ſomni cauſa. 603
Alimenta, uiuendi non ſolum, ſed et moriendi materiam eſſe, Plutarchus aſſerit. 684
Allium, eiusque uires. 418
Aluus mouetur ex tonitru. 119
Amor, uenenum. 623 - 639
Amor immedicabilis. 920
Amor, militiae ſpecies. 643. n. r.
Amor tabi anſam dedit. 624. et 632. et ſequ.
Amor per uaria media exſuſcitatur. 703
Amuleta. 823
Amuleta anilia, ridicula, abſona, et ſuperſtitioſa remedia. 824. N. n. et 902.
Amygdalis amaris uim ebrietatem diſcutiendi, ineſſe, Plutarchus confirmat exemplo. 913
Anacardium, et Anacardia, quid? 370. N. g.
Anacardium in affectibus capitis atque apoplexia non conducit. 371. N. g.

Ananas, quid? pag. 416
- - fructus, niſi uino uel aqua maceretur, choleram et diarrhoeam lethalem excitat. 417
Anginae medela. 867. et ſequ.
Angliae Rex uulneratus, lapide bezoardico curatus eſt. 818
Animalium rabidorum morſus medela. 887
Animalium effluuia in quibusdam ſubiectis uaria excitant mala. 162. n. f.
Animi affectus uehementiores, praeſentiſſimam ſaepe mortem afferunt. 759
Annaeus Lucanus, Poeta ſuauis, et ſucci plenus. 6
Antarthritica et antipodagrica ſpecifica et tuta adhuc deſiderantur. 945. n. g.
Anthelmintica. 354
Anthelmintica, peſtis uerminoſae antidota. 799
Antidotum uenenorum deſcripſit Hoffmannus, aliique. 20. n. s.
Antihecticum Poterii maxima cum circumſpectione adhibendum eſt. 435. N. n.
Antimonium. 13
Antimonium, uenenum truculentum. 685
Antimonio ſues et equi pingueſcunt. 685
Antimonium crudum in morbis, a ſeroſa colluuie dependentibus, exoptatos exerit effectus. 13. n. u.
Aouai fructus, interne adhibitus, ſubitaneam inducit mortem. 404. n. z.
Apium riſus, ſpasmmum cynicum, riſum ſardonicum, excitat. 378. n. p.
Apoplexiae cauſae. 607. et ſequ.

Apum

Apum ictus et morſus, inflammationi, gangraenae, aliisque affectibus anſam dedit. 205. et ſequ. n. b.
Apuae, peſtis cauſa. 280
Aqua tepida, copioſe hauſta, poſt aſſumta uenena acria, optimum conſtituit remedium. 791. et ſq.
Aquae mercurialis ſigna. 1035
- - arſenicalis ſigna. 1036. et ſequ.
Aquae gelidae nimia ingurgitatio ſaepius nocet. 505. et ſequ.
Aquarum edulcoratarum ſigna. 1039. et ſequ.
Aquae cretam ferentes in Epiſcopatu Germaniae Salisburgenſi dantur. 447
Aquae calidae potus, in quo ſal polychreſtum Pariſienſe ſolutum eſt, in febribus ardentiſſimis peſtilentialibus conducit. 844
Aquae inebriantes, furorem et ſoporem generantes. 1042 et ſequ.
Aquae uenenatae. 1027. et ſequ.
Aqua noxia in Theſſalia. 1638. n. i.
Aqua putrida, peſtis cauſa. 802
Arak, quid? 567
Aranea, in ſtomacho haerens, uaria excitat mala. 190. n. t.
Aranearum eſus innoxius. ibid. n. u.
Araneas puella impune et hilariter deglutiit. 675
Ari radix. 389. et ſequ.
Ariſtolochia rotunda aliquid uirulentiae in ſe habere, a Plinio adſeueratur. 415
Ariſtolachiae radices, non ſunt ſpecifica anthelmintica et alexipharmaca. 415. n. k.
Aromata Indica uenerem languidam proritant. 422

Aromatum abuſus grauiora inducit mala. 424 n. l. et 309
Aromata promiſcue aſſumta, inducunt ſterilitatem. 648
Ars medica non dubia et incerta 874. n. e.
Artifices falſi medicinae. 822
Arſenicum, uenenum. 70
Arſenicum, remedium anceps. 669
Arthritidis origo uaria. 482
Aſarum, noxium eſt. 379
Aſari radix infebribus tertianis, quartanis, aſthmate, diarrhoea, non promiſcue adhiberi debet. 38. n. r.
Aſelli non habent ſpecificam uirtutem lithontripticam et diureticam. 139. N. n.
Aſpidis ſpecies. 169. et ſequ.
Atramentum mox omni priuatum colore. 1023
Atrophiae cauſae. 683
Auenzoar, uenenum propinare noluit. 15

B.

Balſami uulnerarii compoſitio 903
Barbi oua noxia. 280 n. z.
Bartholdus Suartz, pulueris pyrii inuentor. 844
Baſiliſcus necare per halitum dicitur. 167
Baſiliſci ſpecies. ibid. n. i. et ſequ.
Belgae in Orientem euntes, naues ſuas aceto perluunt. 858
Belladonnae fructus comeſtus, delirium, tetanum, ipſamque mortem excitauit. 534 et 535 n. a.
Bellariorum detrimenta. 74. n. m.

Belli-

Belliſarius, Caeſaris Iuſtiniani Dux, aquas in caſtellum influxuras, ueneno infecit 1032 n. g.
Bernaui, electuarium, uenenum. 593
Bers, illiusque praeparatio. 594
Bethel coitum inſtaurat. 566 et ſequ.
Beydelſar 384
- - ſuccus aſſumtus dyſenteriam lethalem facit. ibid.
- - ſuccus ad curandam impetiginem commendatur. 385
Bezoar, quid? 817
Bezoartico lapide, Eduardus, Angliae Rex, uulneratus, curatur. 818
Bilem, febres non generare, taxatur. 340 n. x.
Bilis atra, quid? 334
Boletis uim nutrientem et uenerem ſtimulantem una cum multis aliis tribuit Wedelius. 385 n. t.
Boletis inter medicamenta, minime uero inter alimenta, locus concedendus. 386 n. t.
Boleti, animi deliquium, motus conuulſiuos, aliaque mala efficiunt. 386 n. t.
Boreas multa ſecum fert ſalia. 239
Boſa, eiusque praeparatio. 593 et ſequ.
Brachium in antlia Boyleana poſitum tumeſcit. 233
Bubonis medela. 828
Bufo nocet. 122 et ſequ.
Buxi effectus. 405 n. b.
Buxus fluxum cruentum excitat. ibid. n. b.

C.

Cadauerum foetor, peſtis cauſa. 289

Cadauera inhumata, quae afferant incommoda. 815
Calculi in cerebro, glandula pineali, aliisque uiſceribus generati et reperti fuerunt. 485 et ſequ. n. f.
Calculi, ſine nucleis, ſaepe in ueſica urinaria generantur. 485 n. f.
Calculorum generationis cauſae uariae. 474 375 376 et ſq.
Calculus ſerpentis.
Calor externus nimius, ſomni cauſa. 599
Calor conclauis fortis, tum in ſanis, tum aegrotis, uaria excitat mala. 60 n. c.
Calx uiua. 91
Calcis uiuae uapores uariis malis anſam dediſſe, exemplis illuſtratur. 92. et ſequ. n. c.
Campſicu, quid? 421
Canis rabidi notae. 166
- - ſaliua hydrophobiam excitat. 207
Canes, feles, et gallinae, tempeſtate peſtilenti, occidi debent. 268
Cannabis principia et uires. 540
Cannabi uirtutem dilatandi cranii fiſſuras ineſſe, Lentilius teſtatur. 541 n. e.
Cannabis ſuccus in Otalgia commendatur. 543 n. e.
Cantharides uaria excitant mala. 135 et ſequ.
Cantharidum uſus internus. 137 et 892 n. m.
Cantharides externe ueſicas excitant. 670
Cantharides, ſaepe ſunt narcotica et ſoporifera. 524 et ſequ.
Cantharides interne urinam cient, et languentem uenerem excitant. 670

Capitis

Capitis uulnera, aliaeque illius laeſiones, ſomnolentiam diuturnam ſaepius concitarunt. 703
Caprae febri non carent. 282
Carbones foſſiles. 85
- - eorum exhalationes phtiſin pulmonalem aliaque excitant mala. ibid.
Cardiaca ſpecifica non dantur. 638
Carmina et murmura ad dolores artuum ſedandos, inflammationes ſiſtendas, febresque curandas, adhibent mulieres. 696
Carnium eſus uaria affert mala. 149 256 838 et ſq.
Carnium et piſcium uſus in febribus reiiciendus. 126 n. a.
Carnium delectus neceſſarius. 689
Carnis putridae eſus, peſtis aliorumque morborum cauſa. 688 et ſeq.
Caro ſuilla uariis morbis materiam praebet. 277 n. y. et ſeq.
Carniuori facile excandeſcunt. 184
Carpaſum, quid? 373 n. i.
Caſtoreum, nec eſt ſpecificum uterinum, nec ſpecificum antiſpaſmodicum, ſed remedium reſoluens et antacidum. 142 n. q.
Catalepſis cauſae uariae. 712 et ſeq.
Cataplaſma in capitis dolore. 845
Catapotia, quid? 525
Catarrhi ſpecies. 940 n. f.
Catarrhi, Britannos affligentes, peregrinationis miniſterio tolluntur. 504 n. n.
Cenchris, quid? 171 n. m.
Cercopithecus, quid? 2 n. b.

Ceruus non eſt omnium uenenorum alexipharmacum. 881
Cerui, tempore coitus, feriſſimi ſunt. 453
Chalybeata in flacciditate ſolidorum proſunt. 956
Chara, quid? 383
Chin-chinae principia. 582 et ſeq.
Chin china, non eſt ſpecificum febrifugum. 582 et 938
Chin china, eſtremedium abſorbens, roborans, et lene reſoluens. 584 n. p.
Chin chinae uis cetharctica, a particulis ſcabris et rudioribus deriuanda. 583
Chin china paroxyſmum febrilem quidem ſuſpendit, materiam autem peccantem non euacuat. 582
Chloroſin matrimonium tollit. 625 et 929
Chryſocolla, abortiuum uenenum. 660
Chylificatio, putrefactionis expers. 367 n. f.
Cibi multi uariae indolis, ſanitati officiunt. 452 n. s. et ſq.
Cicutae principia. 277 et 398
- - drachma una intra tres horas occidit. 728
Cicuta cocta, et aceto condita, impune ſumitur. 380 780 431
Cicuta recens in manibus delicatioribus ueſiculas excitat. 380
Cicuta, in uino data, citius interimit. 400
Cocculae Indicae, ſunt uenena acria et corroſiua. 576 et ſeq.
Coffe, quid? 654

Cottus

Coitus ſine contagii labe cum infecta perſona celebratus. 287 n. b.
Colchicum, quid? 376
Concharum foetor affert mortem. 284
Conuulſiones, ſanguinis profluuio ſuccedentes, malae. 520 n. p.
Conſultationes medicae, a peritis medicis inſtitutae, non repudiandae ſunt. 995 n. x.
Coralium molle eſt ſub aquis, aeri uero admotum induratur. 481
Coriandrum abundat ſale uolatili oleoſo. 530 n. x.
Corroborantia, peſſima uenena. 638
Cornu monocerotis. 1002
Coronae imperialis bulbus. 417
Corpora fluida } quid? 1017 et ſequ.
Corpora ſolida }
Creta, non eſt alcalina. 1023
Crinones, in infantibus contabeſcentiae cauſa. 719
Criſis probe in acutis eſt obſeruanda. 873
Crit, quid? 742
Crocus, eiusque uires. 577
Crocus non omnibus conducit. 179 et ſeq.
Croco uis uenerem ſtimulandi tribuitur. 591
Croci metallorum uſus in ophthalmia plane repudiandus. 83 n. t.
Cryſtalli montanae, in uariis morbis proficuae, principia, et uſus. 116 n. r.
Cryſtallus montana, arſenici antidotus. 795
Cucumeres ſiccioribus ſaltem conducunt. 457 n. x.
Culter, uenenum cardiacum, etc. 639
Cupri mons Sueciae, aſylum in peſte. 809

Cupri fodinae peſti reſiſtunt. pag. 825
Cutis tranſpirabilis. 298
Cyclaminis radix abortum excitat. 659
Cylaminis radix, ad pituitae, ſerique expurgationem commendatur. 374 n. l.
Cynogloſſum uirtutem habet narcoticam. 553
- - pilulae de cynogloſſa, in tuſſi ferina, a catarrhis acribus dependente, conducunt. 553 n. k.

D.

Datura flor. purpureo. 530
Daturae radix uaria excitat mala, 531 et ſq.
Decocta, ex ligno ſaſſafras et ſancto parata, ſubiectis phlegmaticis, lue uenerea laborantibus, conueniunt. 977 n. r.
Delirium, ex inflammatione ortum, uenaeſectione curatur. 865
Demelmiua, quid? 421
Denſitatis liquidorum cura. 856
Dentes comminuunt alimenta. 681
Deſiderium, ad uenena, obſtructionem facientia, refertur. 507 et ſequ.
Deſiderium, uenenum. 231 et 623
Deſidia, uenenum pernicioſum. 507
Diarrhoea critica ex effectu a ſymptomatica diſtinguenda. 343 n. a.
Dipſas, ſerpentis ſpecies. 172
Doloris capitis medela. 845 n. s.
Dolor, uenenum temporaneum. 632
Dolor, ad uenena, obſtructionem facientia, refertur. 507

Doloris

Doloris dentium medela. pag. 947
Doloris uis nocendi. 630 et ſequ.
Dormientium ambulationis cauſa. 722 et ſequ.
Dubbelt Oehe, quid? 872
Dutroae elementa et uires. 532
Dyſcraſiarum ſigna. 931
Dyſenteria, morbus acutus. 302 n. g.
Dyſenteriae origo diuerſiſſima. 305 et ſequ.
- - medela, origini accommodanda. 861 862 n. z

E.

Ebrietas, uenenum. 909 n. q.
Effluuiorum efficacia. 297
Elaterium in hydrope adhibetur. 414
Elephantiaſis cauſae. 332
Elleborus niger, imprudenter adhibitus, uentris morſus, tormina, ac ſpaſmos producit. 413
Elychnii ſebacei foetor detrimentum affert. 160. n. e.
Emetica fortiora, ſunt uenena. 407. et ſequ.
Emetica fortiora in plethoricis non ſunt adhibenda.
Emetica in grauidis cum euphoria adhibentur. 646 n. r.
Emetici pernicioſus effectus. 82
Emmenagoga, ſunt abortiua. 660. et ſequ.
Emulſiones pharmaceuticae fiunt contritione atque ſolutione. 681
Epilepſiae cauſae. 319
Epilepſiae origo uaria. 946

Equi, qui rarius exercentur, humores colligunt uiſcidos. 686
Equitatio ſtomacho utiliſſima. 953
Erica baccifera. 537
Ericae flores et folia habent uirtutem aperientem, lithontripticam, emmenagogam. p. 538. n. c.
Error in diarrhoeae et dyſenteriae medela, in purgantium atque adſtringentium uſu fundatus. 34. n. d.
Euphorbium uim habet corroſiuam. 410. n. f.
Excantari homines carminum murmure, uulgus credit. 695. et ſequ.
Exercitia corporis fortiora procurant abortum. 658
Exercitatio temperata corporis, ad bonum corporis habitum conducit. 955
Experimenta chymica, ſolutioni ac praecipitationi illuſtrandae ſeruientia. 1010. 1011. 1012. et ſequ.
Exulcerationis faucium medela. 976. n. q.

F.

Faciei Hippocraticae deſcriptio. 849
Fames. 261. n. p. et ſequ.
Fames non ſemper a fermento acido dependet. 679
Fames maior ſentitur tempore hyemali, quam aeſtatis. 680
Faſcinatio induxit mortem. 724
Faſcina diabolica non dantur. 727
Faſcinorum curatio. 915. et ſequ.
Faſcinum, quid? 691
Faſcinum ad ſpiritus et effluuia e corpore egreſſa referri poteſt. 693
Febris ardentis cauſae. 312
Febrium acutarum cura. 827

Febres catarrhales. 246
Febres catarrhales, quomdo curandae? 937
Febris Hungaricae ſymptomata. 202. et ſequ.
Febris medela uaria. 862
Febres uernales, illarumque cauſae. 280
Febres intermittentes a cruditatibus uentriculi atque inteſtinorum non ſemper dependent. 258 N. n.
Febris ſcarlatina. 249
Febris diuerſa ſpecies et cauſa. 308
Febrium diſtinctio non eſt de nihilo. 2. N. h.
Febris tertianae et quartanae medela. 938
Febrium epidemicarum cauſae. 864
Febrium maculoſarum cauſae. 864
Felis cerebrum noxium. 142
Fermentatio, quid? 364
Fermentatio nulla intra uaſa ſanguifera demonſtrari poteſt. 40. et 41. N. i.
Ferrum, eiusque uſus. 109. et ſequ.
Ficus immaturi dyſenteriam et exulcerationem excitant. 419
Ficus Pharaonis, quales fructus. 459
Figura ſalium. 36. 37. et 929. N. y.
Filicis radix, grauidis abortum, ceteris ſterilitatem affere dicitur. 659
Finne-Tyrer, quid? 698
Flagellatione multi a longis morbis curati fuerunt. 957
Flos Africanus uenenatus. 419
Flores ſalis ammoniaci, ſunt optima antacida, et uiſcidum reſoluentia remedia. 523. n. r.

Fluxum menſtruum non omnes foeminae atque uirgines experiuntur. 519. n. o.
Fluxus menſtruus ſuppreſſus, dyſenteriae cauſa. 305. n. h.
Foenum recens congeſtum excitat ebrietatem, lethargum et ſuffocationem. 420
Foetus, in ſubſtantiam lapideam mutatus. 479
Frigida, externe applicata, ſudorem proliciunt. 854. N. u.
Frigoris materiam componunt ſalia nitroſa et ammoniacalia. 493. et ſequ.
Frigus, uenenum obſtruens. 490. et ſequ.
Frigus nimium, ſomni cauſa. 599
Frigus, prae aliis partibus, maxime afficit pulmones. 503. N. m. et ſequ.
Frumenta ab aere corrumpuntur. 261. N. o.
Fuga, optimum peſtis remedium. 810. 812
Fumus ex coriis et pinguedine ceti, noxius. 161
Fungi omnes, non ſunt uenenati. 386
Fungi rubri, lacteſcentes, et maculoſi, uaria excitant mala. 390
Fungi repudiari debent. 1010
Fungi, mortem, intra triginta ſex horas, induxerunt. 393

G.

Galli Cale Kurenſes irati, circa caput in ueſiculis collaribus inflammantur. 176
Gangraenae medela. 847
Garapa, quid? 568
Garum ueterum, quid? 454 et 456 n. u.

Gau-

Gaudium, uenenum. 639 et ſq.
Gaudium mors ſecura fuit. 623 et ſq.
Gimſem radix, uenerem mouet, atque inebriat. 567
Gladius, uenenum cardiacum. 639
Globos plumbi, ex ſclopeto emiſſos, ob pyrium puluerem, uenenatos eſſe, putat Alphonſus Ferrus. 743
Globus, ex machina emiſſus, uenenum cardiacum. 639
Gonorrhoea uirulenta. 929 et ſeq.
- - eiusdem origo et medela. 930 931 et ſequ.
Gryllos, tanquam inſigne lithontripticum, commendat Hagendornius in calculis. 140 n. o.
Gummi Guttae. 409
Gummi Gamandra, eſt fortius remedium ſtimulans, atque euacuans. 409 n. e.
Gypſum obſtruit et corrodit. 441 et 730
- - tabem, hydropem atque cachexiam inducit. ibid.
- - uerum in iuncturis naſcitur. 444 n. p.
Gypſea materia, membrana incluſa, ſub ſutura lambdoidea, reperta fuit. 445 n. p.

H.

Haemorrhoidalis fluxus obſtructio, uariis anſam dat malis. 520
Haemorrhous, ſerpens, fluxum ſanguinis ex omnibus partibus cauſatur. 174
Hectica febris uario accipitur ſenſu. 235 n. l
Hecticae febris cauſa. 236 n. l. et 276 n. x.
Helleborus, non ſemper prodeſt, nec ſemper nocet. 48
Hirudines deglutitae, mortis cauſa. 134 n. l.

Homicidiorum origo ab eſu carnium deriuatur. 154 n. a.
Homines fere omnes ſibi facie reliquarumque ſtructura et functione partium, diſſimiles. 49
Homines in lupos, canes, uel urſos, per ueneficiorum incantamenta conuerti, multi perhibuerunt. 712
Horminum, non habet ſpecificam et uniuerſalem uirtutem fluorem album curandi. 551 n. i.
Horminum, non eſt remedium ſpecificum antiſpaſmodicum, atque anticolicum. 551 n. i.
Hydrophobia, qualis morbus? 163
- - eius cauſa et origo. ibid.
Hydropis cauſae multiplices, quibus accommodanda medela. 509 et ſequ.
Hydrops ſemper cum ſiti eſt coniunctus. 510
Hyoſcyami radices amentiam inducunt. 559 et ſequ.
Hyoſcyami ſemina frequentius in foro medico uſurpantur. 506 n. m.
Hyems aeſtiuos morbos ſoluit, et uice uerſa. 810
Hygiene non repudianda, ſed ſedulo exercenda. 24 n. u.

I.

Ieiuno magis nocet uenenum. 877
Ignis corpora uarie mutat. 104 et 120 et 1020
- - uſus in peſte. 807
Incubus uarias agnoſcit cauſas. 720 et ſequ.
Inedia, abortus cauſa. 660
Infantes lactantes, nullo ſubſequenti detrimento, lac matris, peſte affectae, hauſerunt. 287 n. b.
Infantium raptus, figmentum eſt, a ueneficio non deriuandum. 717 et ſeq.

Inſtrumentum Sanctorii, pro humectanda lingua, magnae, in ſedanda ſiti febrium, eſt utilitatis. 844 n. r.
Inuidia, uenenum. 231 et 627
Ipecacuannhae radix, non pro ſpecifico remedio omnis diarrhoeae et dyſenteriae habenda. 259 n. n.
Ira, uaria inducit mala. 620
Ira maniam excitauit. 622
Iram mors ſecuta fuit. 621
Iſtria, mercurii feraciſſima regio. 825
Iucca Americana. 374. n. x.
Iuuenes plethorici frequenter febribus afficiuntur continuis. 50 n. r.

K.

Kamea, quid? 902
Keſzeolcze, quid? 862

L.

Laborioſi, obſtructionibus minus ſunt obnoxii. 511
Lac, optimum alimentum. 682.
Lac, hominibus, atrophia laborantibus, conducit. 682
Lac, optimum contra uenena antidotum. 788 et 790 et ſeq.
Lactis potatio ſuper uinum, nocet. 212 n. e. et ſq.
Lacerta. 130 n. e.
Lactucam, uenerem extinguere, ueteres putarunt. 651 et ſequ.
Lapis Lazuli corrodit. 105
Lapis Armenus uiridis corrodit. ibid.
- - Aquilaris uires. 1004
Lapides ſalem quendam frigidum habent. 496
Laudanum liquidum Sydenhami, cardiacum et uires reſtaurans remedium. 616 250

Laureola, uid. Mezereon. 379
Laxantia, non ſemper in arthritide conducunt. 945
Laxum in morbis chronicis praecipue peccat. 946
Lepra ex eſu carnis ſuillae. 278 n. y.
Leprae et Elephantiaſis uenenum, alcalinum. 979
Lepus Marinus. 125
Lienoſis, dyſenteria, ualetudinem reſtituit. 342
Ligaturae nouorum nuptorum. 714 et ſequ.
Limpha tenuis gelatinoſa deficit in ſenibus. 8 n. g.
Lithargyrium. 435
- - corporis marcorem, reſpirandi difficultatem, ſuffocationem, obſtruendo, conciliat. 435
Litterae miaſmate uirulento ſaepe imbuuntur. 738
Loca caua et paluſtria. 239
- - foetida, noxia. ibid.
- - uentis expoſita ſalubria. 241
Lolium, quibus conſtet. 538 et ſequ.
Lolium uertiginem, capitis dolorem, ulcera, aliaque ſymptomata excitat. 539 n. d.
Lolii uſum externum Dioſcorides commendat. 540. n. d.
Lucius, gallinae, et caprae, ſerpentes ſine detrimento deglutiunt. 687
Ludus aleae, latrunculorum, aut chartarum, animum a re impenſius amata auertunt. 918
Lues uenerea, Scortatorum et uagae ueneris flagellum. 320 et ſequ. 2
Lues uenerea, endemium Indiae incolis eſt malum. 323 n. d.

Luis

Luis uenereae origo. 327. n. r. et ſequ.
- - medela 964 et ſequ. et 976 et ſq. n. r.
Lues uenerea, ueneris immodicae effectus. 625
Lues uenerea, ſterilitatis cauſa. 648
Lumbago Rheumatica. 173
Lupulus abundat ſale uolatili oleoſo. 542
- - ebrietatem inducit. 543

M.

Magnetis arſenicalis compoſitio. 824
Mali hypochondriaci ſedes. 336
Mandragorae poma. 913
Mandragora habet uim anodynam et ſomniferam. n. u.
Manuſtupratio, ſterilitatis cauſa. 649
Marſi, Romanis, a uenenatis ſerpentibus demorſis, opem tulerunt. 880
Martialia, non ſunt abortiua. 646 n. r. et ſequ.
Maſeniliem Boom ſomnum lethalem inducit. 404
Mask-Murr, quid? 545
Maslach, eius praeparatio. 591
Matrimonium, amoris auxilium. 918
Medicamenta authentica. 25
Medicamenta, non ſecundum modum actiuitatis ſuae, ſed receptiuitatis, in corporibus operantur. 1016 n. d
Medicamenta acria, languentibus, atque in agone conſtitutis aegrotis, male dantur. 56
Medicamenta acria, ſunt narcotica. 524
Medicamenta calidiora, ſanguinem coagulant. 1020

Medi-

Medicamenta, ſine urgente neneſſitate, non ſunt adhibenda. 774. et 993. n. u.
Medicamenta praeſeruatoria. 817
Medicamenta uolatilia, promiſcue adhibita, febres continuas ipſamque mortem excitant. 58
Medicamentum uniuerſale, contra omnes morbos, et omnia uenena, non datur. 778
Medicina, quid? 776
Medicina optima, nulla uti medicina. 992. n. u.
Medicamenta optima, promiſcue adhibita, fiunt uenena. ibid.
Medicina, omnium artium praeclariſſima. 835
Medicus, Regionis ſuae, in qua praxin exercet, temperiem, ſitum, uictum, uentorum naturam, et ordinem, examinare debet. 775. et ſequ.
Medici examen neceſſarium. 271. n. s.
Mel incidit et eluit coagula. 857
Melancholici fiunt phrenetici, uolatilium abuſu. 337
Membrum uirile ab arſenico nigreſcit et extenditur. 755
Menthaſtrum. 659
Mercurium uiuum ſine detrimento Georgius Brandenburgicus aſſumſit. 781. et ſequ.
Mercurius ſaliuationem non ſemper per os facit. 961
Mercurii crudi dulcisque operatio. 660-960
Mercurialia inducunt ſterilitatem. 716
Mercurius, omnium rerum uenenum iniuſte appellatur. 65. n. h.
Mercurius, remedium proficuum. 66. n. h.

Mer-

Mercurii dulcis congruus uſus, coitum in phlegmaticis promouet. 986. n. t.
Mercurius ſublimatus, interne aſſumtus, occidit. 177
Mercurialia, non ſunt ſpecifica luis uenereae antidota. 962. n. c. et ſequ.
Metalli foſſorum morbi. 86
Metalli foſſorum munus obire, poena erat. 89. n. z.
Metalla interdum penetrant in arbores et plantas. 432
Mezerei ſemina a multis in claſſem fortiſſimorum purgantium referuntur. 379. n. q.
Millepedes, non habent uirtutem ſpecificam diureticam et lithontripticam. 139
Mithridatium, non eſt antidotus uniuerſalis contra uenena. 778
Morbilli, quid? 307
Morbillorum medela. 863-865
Morbi acuti celeres habent motus. 876. n. f.
Morbi uarii, ex diaetae erroribus, et abuſu rerum ſex nonnaturalium, oriuntur. 762
Morbi omnes incurabiles, non ſunt uenenati dicendi. 765
Morbi a repletione, ſanantur euacuatione, et contra. 773
Morbi mulierum et uirorum inter ſe differunt. 521. n. q.
Morbi ſenum rarius curantur. 518
Morbi ſporadici, quid? 301. n. f.
Morborum originem ſincere indicare debent aegroti. 907. n. p.
Morborum cauſae probe ſunt perquirendae. 775 et ſequ.

Morborum, ex curis ortorum, medela. 904
Morbo chronico laborantes, non tam cito aliquo corripiuntur contagio. 53
Morſus canis, non rabidi, pernicioſus. 206. n. c.
Mortis genera. 7. n. f. et 9. n. 1.
Mortis renunciatio ex ueneno, eſt res cum maximo periculo coniuncta. 765
Motus literatis conducit. 462 n. z.
Muſculorum motus ab influxu liquidi neruei et ſanguinis in neruos et muſculorum uaſa dependet. 620
Muſica, in tarantiſmo, optimum remedium. 897 et ſq.
Mutatio aeris et regionis., quid praeſtet in morbis? 816
Myrti duas ſpecies, nimirum ſatiuam alteram, alteram ſylueſtrem, Dioſcorides allegat. 545 n. g.
Myrtus paluſtris, cereuiſia coctus, inebriat. 544
Myrti uſus internus laetitiam producit. 546 n. g.

N.

Napellus Alpicus. 429
Napelli uſus internus coagulationem ſanguinis producit. 277 368 392
Napellus eroſiones, inflammationes, ſphacelum, ipſamque mortem excitat. 393 n. u.
Narcotica, humorum coagulationem inducunt. 610
Narcotica, non promiſcue ſunt adhibenda. 525
Narcoticorum modus operandi incertiſſimus. 610
Natura, quid? 873
Nauigationis inſuetus uariis afficitur malis. 635 et ſeq.
Nauigatio uicem ſaliuationis ſaepe agit. 958

Nebrus, Medicus, aquam uenenis infecit. 1031
Nephritis, inflammationem renum inſpecie notat. 486 n. g.
Nerium, uid. Oleander. 373 n. k.
Nicotiana, quibus conſtet, et quid praeſtet? 554
Nicotianae oleum, animali datum, conuulſiones, ipſamque mortem inducit. 555
Nicotiana peruigilio anſam dedit. 557 n. I.
Nicotianae uſus non omnibus conducit. 556 et ſq.
Nitri uſus in peſte. 808 n. g.
Nitroſa, in morſu hominis proficua. 893 n. l.
Nitro Gothlandia abundat. 348
Nummus argenteus, ueneno imbutus, mortem induxit. 736
Nux Vomica, eiusque principia et effectus. 406
Nuci uomicae ineſt ſal amarum, alcalinum, cauſticum. 407

O.

Obeſitatis cauſae. 683
Obſtetrices non prius ad artem admittantur ex praecepto Socratis, quam parere deſiuerunt. 996
Oenanthe. 396
Offa informis. 127
Oleander, brutis animantibus, ac hominibus, ex mente Galeni, pernicioſus. 372 n. k.
Oleandri frutex nocet. 405
Olei Vitrioli abuſus. 98
Oleoſa et pinguia, optima uenenorum acrium antidota. 787 677

Opium

Opium, diuerſa de eodem iudicia. 666 et ſequ.
Opium, eſt remedium reſoluens, atque adſtringens. 612 n. q.
Opium uerum, uariaeque opii ſpecies. 588
Opii praeparatio diuerſa. 588
Opii modus agendi. 595 596 611 et 613 et ſeq.
Opii principia. 596 et ſeq.
Opium Hippocrati notum fuit. 594
Opiata, uires corporis augent, furoremque inſpirant. 592
Opii abuſus, inflammationes, conuulſiones, ſpaſmos, aliosque morbos excitat. 591
Opium, interdum, in dolore uehementi, prodeſt. 605
Opii uim ſoporiferam ab oleoſitate deriuat Ettmullerus et Borrichius. 595
Opiata ſecretiones omnes, excepta perſpiratione, impediunt. 611
Opium crudum raro adhibendum. 612 n. q.
Opium in peruigilio, tempeſtiue adhibitum, conducit. 614 n. q.
Opii uſu ſaepius augetur dolor. 14 n. q.
- - antidota. 912
Opium colicam lethalem produxit. 614 n. q.
Opium libidinem excitat. 617
Opiata remedia, uinoſis parata, nimis ſolida irritant. 612 n. q.
Opii eſſentia, uino Canarienſi, aut ſpiritu ſalis dulci, parata, in peruigilio, delirio, conuulſionibus ſubiectorum phlegmaticorum, maximé eſt proficua. 613 n. q.

Opia-

Opiatorum et narcoticorum operatio uaria eſt, pro uarietate ſubiectorum. 763 et ſequ.
Opiata, in ſpaſmis, a ueneno excitatis, ſunt proficua. 796
Orichalcum. 117 n. s.
Orchidis radix uenerem ſtimulat. 702
Oruietanum, non eſt ſpecificum alexipharmacum. 678 et 778 et ſequ.
Oſſium ſpicula, inflammationis cauſa. 117 n. s.
Oſtreorum caro, optimum et alimentum, et medicamentum praebet antihecticum. 449 n. r.
Oua. 360 n. e.
Oui gallinacei cruſta contactu aeris indureſcit. 480
Oues, linguam exſerentes, titubantes, et grauiter aegrotantes, peripneumonia laborant. 697 et ſequ.
Oxygarum, quid? N. u.
Oxyſcoyni, ſ. iunci acuti ſemen, ſoporiferum eſt.

P.

Pediluuia ſomnum promouent. 602
Peize ſola, quid? 523
Penis uitia, ſterilitatis cauſa. 642. et ſeq.
Peponis aquatici genus creſcit in noua Suecia. 803
Peripneumoniae cauſa. 236. medela. 488
Peripneumoniae haud raro epidemice graſſantur. 313. n. l.
Peſtis origo. 804. 806. 812. 226. n. k. 251. 802. et ſequ.
Peſtis autumnalis. 812
Peſtis bouina, porcina, etc. 813

Peſtis hiſtoria. 894
Peſtis, nemoribus ſuccenſis, auertitur. 45
Peſtis ſigna prognoſtica. 217
Peſtis in ſacro codice hiſtoriae. 218
Peſtis meridiana. 223
Peſtis artificialis. 294
Peſtis uerminoſa, rara eſt. } 799. et 231
- - - - medela et medicamenta }
Peſtis cauſae, et ſigna. 750. ſequ. 754. et 799. et ſequ.
Peſtis uenena. 757. et ſequ.
Peſtis ſternutatoria et ſingultoſa. 755. et ſequ.
Peſtis, acutiſſima febre ordinario ſociata eſt. 752. n. s.
Peſtis, per epiſtolam propagata. 738
Peſtem, apud Epheſios a Daemone excitatam allegat Philoſtratus. 294
Peſti medetur acetum. 859. n. y.
Picam curat matrimonium. 625
Pilae in hominibus inuentae. 699
Pilae odoratae in peſte. 802
Piſcium foetor nocet. 279
Pityocampa, quid?. 135
Plantaginis aquaticae folia trita, et cuti applicata, dolorem, inflammationem, et ueſicas excitant. 377. n. o.
Plantae uenenatae, alkalino uolatili oleoſo ſale ſcatent. 432. et 1010
Plethora. 518
Plethorae diſtinctio in puram atque impuram locum non habet. 518. n. o. et ſeq.
Pleuritis et peripneumonia, ſunt morbi periculoſiſſimi. 468

Pleu-

Pleuritis a frigore. 501
[illegible] 313. n. l.
- - medela. 866
Plicae Polonicae cauſa. 446. n. q.
Plock Finck et Fulle Hundſoppa, prouerbium. 812
Plumbum, et omnia ex plumbo producta, ſunt uenena obſtruentia. 433. et ſequ.
Podagra, et eius medela. 941. n. g.
Polypi cordis, uenena obſtruentia. 640
Pollutio nocturna, ſterilitatis cauſa. 649. et ſequ.
Poma aurea, ſeu amoris, noxam adferunt. 534
Pomum citius putreſcit. 813
Pouſt, quid? 588
Praecipitationis cauſae. 1014. et ſequ.
Pſilotrum. 13. n. m. et 74
Pſyllii, gentes uenena exſugentes. 880. n. g.
Ptyalismus, omnium morborum a uiſcido dependentium, accommodatum remedium. 959
Ptiſanae Hippocraticae. 340
Pugio, uenenum cardiacum. 639
Pulegium ſylueſtre et montanum, ad ſerpentes ſonoros necandos, laudatur. n. k. 891
Puluis, ex adamantinis fragmentis et ſacharo ſaturni compoſitus, famoſiſſimum conſtituit uenenum. 731
Puluis ſympatheticus. 850. 852
Pulueres, ex trituratis ſegetibus prodeuntes, in uenena referuntur. 420
Pulſus incertus, formicans, nunc debilis, nunc fortior, in peſte deprehenditur. 752

Purgantium operatio uaria eſt, pro uarietate ſubiectorum. 733. 48. n. q.
Purgantia draſtica, non promiſcue ſunt adhibenda. 48. et 51. n. s.
Purgantia uehementiora, ſunt abortiua. 661
Purgantia fortiora, ſunt uenena. 407
Purgantia ualidiora conciliant ſomnum. 602
Purgantia acria facilius ruſticos et laborioſos laedunt, quam otioſos. 46
Putredo quid? et unde? 356. - 359. et ſequ.

Q.

Quallen ſ. Qualen. 125
Quarantena, quid? 809

R.

Rabiei medela. 894. n. m.
Rachitis, in Anglia eſt morbus frequentiſſimus. 718
- - cauſae. 719
Raia, piſcis. 125
Rana paluſtris. 122. n. u.
Remedium nullum datur, quod quotidie bis terue hauſtum, non certam corpori afferat labem. 24. n. u.
Remedia omnia omnibus non conueniunt. 832
Remedia ex Moraliſtarum Gymnaſiis. 924
Rheumatiſmus. 316
Rheumatiſmi medela. 811
Ruta, non eſt aconiti antidotus. 319. n. u.
Ruta uenerem ciet. 653

Rutela

Rutela Veſpalis. 193

S.

SAbina abortum facit. 660
Sacharum ſaturni maxima prudentia et minima doſi adhibendum eſt. 435. n. m
Sagitta uenenata Sigeus Galleranus fuit occiſus.
Salamandra, quale animal? 131
Sal ammoniacus. 348
Sal mirabilis Glauberi. 1021
Sal marinus, ſ. muriaticus, ſcorbutum excitat. 351
Sal alcali et acidum calci uiuae ineſſe, nonnulli affirmant. 1023
Sales Vitriolici uenenis acribus annumerantur. 97
Salium uolatilium potentia agendi. 38. n. g.
Salis acidi abſentia et praeſentia in ſanguine. 346 n. b. 355.
Sales uolatiles plantarum ſaponem naturalem artificioſiſſimum conſtituunt. 609
Salia, abſolute coagulantia, et reſoluentia, nulla dantur. 1016
Saliuae deglutitio in peſte, noxia. 298. et ſequ.
Salſae intemperiei ſigna. 931
Sanguis menſtruus in ſtatu praeternaturali uenenatus. 144. n. r.
Sanguinis taurini deglutitio, mortis cauſa. 146
- - caprilli deglutitio mortem affert. ibid.
Sapphyrus. 823. N. n.
Sapo niger, abortiuum. 661
Sapones omnes uegetabiles uenenis acribus adſcribi poſſunt. 370

Saturnina, non ſunt ſpecifica antaphrodiſiaca. 439 N. n.
Saturnina uenena in frigida et calida diuiduntur. 436
Saturni uapor ſtagnationem ſanguinis in pulmonibus excitat. 436
Saturnina uenena, uino immiſſa, faciunt ſterilitatem. 438. et 716
Saturnina, uenena temporanea et lenta. 730
Scammonium, rite praeparatum, remedium innocens. 412. n. h.
Scarlea. 548. et ſequ.
Scarleae principia. 550. n. i. et ſequ.
Scarlea, non habet ſpecificam uirtutem aphrodiſiacam. 552. n. i.
Scarlea, in morbis, a ſeroſa colluuie dependentibus, conducit. 551
Scarleae uirtus inebrians. n. i. 515
Scheid Waſſer, uenenum. 99
Scincus. 131. n. h.
Scirrhi generatio. 471
Sckott, quid? 698
Scolopendra. 128. n. c.
Scolymus uenerem ſtimulat. 702
Scorbutus, aſylum ignorantiae. 352. n. c. et 933. n. b.
Scorbuti medela. 934
Scorpiones. 188
Seminis excretio impedita, grauioribus malis anſam dedit. 929. et ſequ. 973. et ſequ.
Semen pſyllii. 460

Semi-

Seminis defectus, ſterilitatis cauſa. 645. et ſequ. 923. n. s.
Seps, ſerpens. 172
Serpentes in uentriculum ingreſſi, uomitu eiiciuntur. 885
Serpens, Cobra de Capello. 890
Serpentinum uirus nocet. 176. et ſequ.
Signa, ex acri metallico, uel alkalino putrefactiuo, urgentia. 747. 758. et ſequ.
Signa, ex lentis et diuturnis uenenis, urgentia. 748 et ſequ.
Sinkingen, quid? 939
Siſymbrium. 659
Sitis cauſae uariae. 466. n. a.
Slom, quid? 451
Solani radix, uino macerata, ipſumque uinum hinc deſumtum, deglutitionem impedit. 534. n. z.
Solani foetidi ſemen, ſoporiferum uenenum. 531
Solanum maniacum. 533. et ſequ.
Solani baccae delirium furioſum excitant. 533. n. z.
- - Ex ſolani ſucco terribiles fiunt imaginationes. 697
Somnus, quid? 599
Somni cauſae, uel externae, uel internae, uel naturales, uel non naturales. 599. et ſequ.
Somnus, poſt ficuum eſum, pernicioſus. 460. n. 9.
Somnus, poſt aſſumta uenena corroſiua et acria, non concedendus. 786
Soporis cauſae. 608
Sordes peſti anſam dant. 269. n. r.

Spicae Celticae cornua, quid? 372. N. h.
Spiritus familiares, multi credunt. 713. et ſequ.
Spiritus uini adſtringit. 608
- - alimenta conſolidat et indurat. 570
Spiritus uini neque eſt acidus, neque alkalinus, ſed ſulphureus. 1019
Spiritus Vitrioli, hypnoticum. 604
Spiritus Cornu Cerui, in morbis, a ſeroſa colluuie dependentibus, conducit. 523. n. r.
Spiritus uini ſtrenui potatores in appetitum proſtratum, leucophlegmatiam atque hydropem incidunt. 571
Spiritus uini abuſus inducit peripneumoniam. 508
- - febres et inflammationes excitat. 567
Spiritus uini non omnia corpora ſoluit. 569
Spiritus Caluarius. 472
Spiritus urinoſus ſterilitatem inducit. 661
Stannum, uenenum obſtruens. 434. n. m.
Staphis. 375. N. n.
Statira, Artaxerxis coniux, uenenum accepit. 1006
Sterilitatis cauſae innumerae. 644. n. r.
Sternutatoria, in oculorum fluxu, ſurditate, dolore capitis, ex pituita, conueniunt. 558
Sternutatoria, ſine urgente neceſſitate, non adhibenda. 558. et ſequ.
Strammoneum flore albo. 531
Strictum in morbis acutis dominatur. 946
Strumae Salisburgenſium a mala qualitate aquarum ſunt deriuandae. 446. n. q.
Stuhm, quid? 440
- - foeminis abortum creat. ibid.

Succus

Succus Cedri abortum facit iuxta Plinium. 659
Succus citri, non eſt uniuerſale omnis ueneni antidotum. 889. n. i.
Succus nerueus, quid? 620
Succi neruei uiolentior et celerior influxus, ſaepe repentinam mortem effecit. 620
Succi neruei uaria diſpoſitio, uariusque influxus, uarios producit effectus. ibid.
Sudor multus et copioſus in febribus acutis, malus. 836
Sudorifera non in omnibus morbis conueniunt. 850
Suffocatio, et mors, ab aſſumta uberiori alimentorum quantitate, fuere inducta. 453. n. t.
Sulphur, antimonium, arſenicum, ſapones metallici. 609
Sulphuris generatio. 99. et ſequ.
Sulphuris uires. 100. n. l.
Swinkowa, quid? 1037

T.

Tabaci fumigatio animos facit cordatos. 593
Tabes ex amore. 624
Tabis cauſae uariae. 683
Tarantula. 193. et ſequ.
Tarantula occiſa, et uulneri mox applicata, ueneni excretionem promouet, reſiſtentiam minuendo. 897
Tarantiſmus, morſus tarantulae effectus. 194. n. z.
Taxi baccae dyſenteriam excitant. 402. et ſequ.

Taxus necat. 401
Tela uenenata. 901
Tempeſtatum mutationes uariis anſam dant malis. 244 273 et 504
Terrea, nunquam in morbis infantum ſunt adhibenda. 353. n. d.
Terrea, poſt ſufficientem ueneni euacuationem, abſorbendi et roborandi ſcopo, adhibenda. 789 n. c.
Terror, abortus cauſa. 658
Terror, peſtis cauſa. 814 n. k.
Terror excitat diarrhoeam. 627
Terror ſalutares producit effectus. 629 630
Terror in infantibus excitat conuulſiones. 629
Tetanus, uenenorum mercurialium effectus. 77 et ſq.
Theae infuſum uim habet adſtrictoriam. 512
Theae potus nimius flacciditatem inducit. 511
Theriaca, non eſt uniuerſalis omnium uenenorum antidotus. 778 et ſequ.
Thermae et acidulae magnificentius laudantur. 950
Thlaſpi ſemine necari partum, Plinius aſſerit. 660
Tinca, icteri magnes. 281 n. z.
Tinctura antiphtiſica Grammanni, maxima cum circumſpectione eſt adhibenda. 435
Tithymalli ſuccus, quid praeſtet? 412
Tolfoerſtycke, nummi fulmine fuſi. 118
Toxicum, quid? 420
Traſya inuenit uenenum, quod mortem non laborioſam adfert. 728
Triſtitia nocet. 630 et ſeq.

Triſtitia, ad uenena, obſtructionem facientia, refertur. 507 et 639
Triſtitia, ſuppreſſii fluxus menſtrui cauſa. 231
Triſtitiam mors ſecuta fuit. 623
Tuluiana, quid? 863 n. a.
Turbith minerale, uenenum. 67
Tutia, interne ſumta, corrodit. 105

V.

Variolarum cauſa materialis, non a ſanguine menſtruo deducenda. 311 n. i.
Variolarum medela. 837 n. p. et 838 et ſeq.
Variolis ſaepe animantia bruta afficiuntur. 312 n. k.
Vaſa, ex terra ſigillata parata, indito ueneno quocunque, illico in fruſta diſſilire dicuntur. 1003
Vaſa rupta in cadaueribus poſt mortem. 829
Vena colli rupta per per iam. 621
Venae ſectio larga et ſaepe inſtituta, abortus cauſa. 662 662
Venae ſectio in plethoricis abortum praecauet. 646 n. r.
Venae ſectio in peſte cum euphoria inſtituta. 828 340
- - neglecta in iuuene. 829 n. o.
Venae ſectio ſaepe uenenum potentiſſimum. 830
Veneficii lege Cornelia capite damnantur. 770
Venena, abortum excitantia. 657
Venena acria, in hominibus, fortiori cordis contractione gaudentibus, citius excitant mortem. 733
Venena animalium, ſunt alcalina. 877
Venena corroſiua. 33 et ſequ.

Venena

Venena coagulant. 57
Venena putrefacientia, ſanguinis ſubſtantiam in uiridem colorem conuertunt. 747
Venena delibutoria. 734
Venenorum delibutoriorum praeparatio. 740
Venena amatoria. 706 et ſq.
Venena chronica. 928
Venena temporanea. 728 et ſeq.
- - quomodo operentur. 734
Venenorum temporaneorum operatio uaria eſt, pro uarietate conſtitutionum. 733
Venena metallica acida, non tantam corruptionem, quam uenena alcalina animalium, in corporibus excitant. 756 n. u.
Venena gypſea, cretacea, calciformia et aluminoſa, non difficulter ſuam teſtantur praeſentiam. 1009 et ſq.
Venena narcotica, ſaturnina, cretacea. 757
Venena fungorum emeticis curantur. 915
Venena fere omnia cognita ſunt. 26
Venena nulla dantur abſolute talia, ſed omnia ſunt reſpectiua. 33 n. c. et 664 684
Venena maxima, ſunt aliquando maxima remedia. 783
Venena narcotica et ſoporifera. 522
Venena cardiaca. 638 et ſq.
Venena ſterilitatem inducentia. 657
Venena ſterilitatem inducentia, abſolute talia, non dantur. 645 n. r.
Venena Δηλητήρια et Φάρμακα. 370
Venena ſaturnina et gypſea. 990 et ſq.

Venena

Venena obſtruentia, et obſtructionem facientia. 489
Venena, pro uaria diſpoſitione recipientis, diuerſimode operantur. 671 et ſeq.
Venena, ui conſuetudinis, potentiam ſuam nocendi, in corpore amittunt. 672 et ſq. 673 674 676
Venena magnorum artificum, non deprehendi, niſi morte, poſſunt. 102 n. f.
Veneni compoſitionem uetat lex Platonica, eamque damnat Galenus. 11
Veneni uis agendi in minima mole. 296 n. d.
Veneni loco, Medicus quidam, Domitio, dedit medicamentum innoxium. 15 et ſqu.
Venenis enectorum exempla. 766 et ſeq.
Veneni acris praeſentia, ab extremorum frigore, et caloribus internis, non ſemper cognoſcenda. 760 et ſq.
Veneni genus habuit Franciſcus Ordelaphus, quod, carbonibus iniectum, illico omnes interimebat circumſtantes. 731 et ſq.
Venenorum indoles probe indaganda. 792
Venenorum corroſiuorum acidorum antidota, ſunt terrea, et abſorbentia. 793 et ſq.
Venenorum cognitio medico neceſſaria. 12
Venenum, uocabulum μέσον. 21
Venenum acre febrem calidam adfert. 758
Venenum corpus non afficit, niſi afficiantur ſolida. 798 n. d.
Venenum ueteres in annulo ſecum ferebant. 771
Venenum hydropis, ſaepe eſt pituita immeabilis. 509
Venenum uariolarum. 306

Venenum peſtis, non eſt ſenſibile. 757
Venenum bonum. 671
Venerem ſtimulantia. 701 et ſq.
Veneris ſolutionem, aqua forti factam, praecipitat ſal tartari. 1013
Venti, qui et quales? 237 et ſq.
Venus immodica, uenenum. 625 et 641 n. r.
Venus premature culta, ſterilitatis cauſa. 647 ſq. 654
Veratrum, dyſenteriam, conuulſiones, ac tetanum excitat. 413
Vermes euomuntur. 229
Vermiculorum in ſemine praeſentiam multi defendunt. 983 n. t.
Veſicatorium, remedium ſtupefaciens. 606
Veſpae punctura, gangraenae cauſa. 205 n. a.
Veſpertiliones, chirurgi uice funguntur, in aperienda uena. 867 n. d.
Veſtes pelliceae, uitandae. 815
Veteres ex pulſu et aliis ſignis uitam et mortem aegrotantium praedixerunt. 753 n. t.
Vigilia, quid? 599
Vigiliae, uenenum. 639
Vigiliae corpus eneruant. 626
Vini et aquae bonitas, uel prauitas, internoſcitur per praecipitantia. 1010.
Vini uſus modicus, ſalubris. 573
Vini abuſus, uaria inducit mala. 572
Vini adulterati ſigna. 1025
Vina ſulphurata, uaria excitant mala. 1026
Vini uſum, pueris, Plato, ante annum decimum octauum, plane denegat. 159

Vinum ſaluiatum mortem induxit. 737 et ſeq.
Viperarum uenenum duplex. 178 n. q. et ſeq.
Virulentiae uiperinae cura. 879 et ſequ.
Vis uitae, quid? 31
Vis uenenorum. 296 n. d.
Vita ſedentaria in litteratis ſucceſſiue cum leniori motu commutanda. 465 n. z.
Vitae et mortis cauſae. 772 n. z.
Vitri ſpicula. 107 n. m.
Vitrioli ſpiritus in morbis calidis proficuus. 843
Vitriolica firmant et conſolidant corpora. 473
Volatilia, per ſe non ſunt uenena. 211 n. d.
Vomitus cruentus, ex catapotio accepto. 703
Vomitus, poſt aſſumta uenena, oleoſis et pinguibus, promouendus. 787 et 788
Vomitus uehemens, abortus cauſa. 660
Vlcerum benignorum et malignorum ſigna ex natura puris deſumſit Hippocates. 469 n. c.
Vrinatores, aere nimis calido et tenui facto, ſub aquis uiuere nequeunt, niſi refrigerio donentur. 233
Vulnerum medela. 903
Vulnus fibrillulae nerueae, ardores, pulſationes, conuulſiones, gangraenam, ipſamque mortem, ſaepe affert.
Vterus, ſaepe inſons, perperam accuſatur. 522 n. q.
Vteri ſcirrhus, ſterilitatis cauſa. 655

Z.

Zachar, quid? 817

Tox col
Lindesköpfe